1.0.5. 372.

Digitized by Google

Digitized by Google

THOMÆ DEMPSTERI

DE

ETRURIA

REGALI.

Digitized by Google

Digitized by Google

THOMÆ DEMPSTERI
DE
ETRURIA REGALI LIBRI VII.
NUNC PRIMUM EDITI

CURANTE

THOMA COKE

MAGNÆ BRITANNIÆ ARMIGERO

REGIÆ CELSITUDINI

COSMI III.
MAGNI DUCIS ETRURIÆ.



MED.PALAT. BIBL.CAES.

FLORENTIÆ. M.DCC.XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

T H O M Æ
D E M P S T E R I
A MURESK SCOTI

Pandectarum in Piſano Lyceo Profeſſoris Ordinarii

D E

ETRURIA REGALI

LIBRI SEPTEM

Opus Poſtumum

IN DUAS PARTES DIVISUM

Tomus Primus

Priores tres Libros comprehendens.

F L O R E N T I Æ. M.DCC.XXIII.
Typis Regiæ Celsitudinis

Apud Joannem Cajetanum Tartinium, & Sanctem Franchium
CUM APPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google




COSMUS III
ETRURIÆ VI
ANNO
MAGNUS DUX
ÆTATIS SUÆ
LXXX
Vincentius Franceschini Sculp.

REGIA CELSITUDO.

TRACTATUS hujuſce ſcripturam originalem inter libros meos manuſcriptos aſſervatam evolventi, ita mihi & argumentum, & recondita eruditionis varietas, & in

dicen-

Digitized by Google



Vincentius Franceschini Scul.

REGIA CELSITUDO.

TRACTATUS hujuſce ſcripturam originalem inter libros meos manuſcriptos aſſervatam evolventi, ita mihi & argumentum, & recondita eruditionis varietas, & in

dicen-

Digitized by Google

dicendo eloquentia placebant, ut eundem ab aliis quoque cum voluptate fructuque legi poſſe facile mihi perſuaderem. Quod cum argumenti ratio me invitet, ut opuſculum hoc nemini prius quam Etruriæ Principi dicarem, occaſionem facile hinc arripuit ambitio mea Regiam Tuam Celſitudinem publice adeundi, quam ut ſumma tum veneratione privatim colerem, & virtutes tuæ regiæ, & ſingularis erga me & noſtrates omnes humanitas jamdiu effecerunt. Auctorem itaque de Etruria Tua bene mereri volentem accipe, Magne Dux Etruſce: & de Etruria optime merite, Auctorem de literis bene merentem accipe,

Prin-

Princeps Medicee, quandoquidem eruditis patrocinari Mediceum eſt: Veſtræque gentis ea ſingularis eſt laus, ut per eam præcipue reſurrexerit, quicquid interierat literarum. Sunt vero & aliæ porro cauſæ, propter quas Tractatum hunc Tibi ad pedes offerre non volui ſolum, ſed & debui. Scriptorem adduco ſpeciali neceſſitudine, & antiqua Domus Tuæ clientela Tibi obſtrictum: Dempſterus nempe quum juriſprudentiæ fama claruiſſet maxime, & in præcipuis Europæ cathedris magna cum laude ſe geſſiſſet, ad Pandectas in Academia Piſana docendas a COSMO II. tandem accitus eſt; quam provinciam or-

nare non contentus, genio ſuo, hiſtoriæ & antiquitatum amantiſſimo, ſatisfacere inſuper voluit, librumque hunc compoſuit, ipſo forſitan jubente Principe. Hoc quidem mirum videri poteſt, ita diſpoſuiſſe Fortunam, ut de rebus Etruſcorum antiquis ſcribere & Britanno homini contingeret unice, & quod idem liber in Britanni pariter hominis manus incideret, quo nec rerum Etruſcarum amantior quiſquam, nec nominis Tui ſtudioſior. Tu vero, Sereniſſime Princeps, quanta fuit vel antiquiſſimis temporibus Patriæ Tuæ gloria ex hoc libro lubens videbis: qui qualeſque Populi terram Veſtram inco-

luc-

Digitized by Google

luerint; quibus regebantur inſtitutis, quibus belli pacisve utebantur artibus; quam diſciplinam, quales religiones ab Etruſcis magiſtris accipere non erubuit ipſa Roma: quot denique & quam egregia inventa in uſus humanos peperit Etruſca ſolertia; quo minus miremur eandem terram in hunc uſque diem artibus florere, & magnorum ſemper fuiſſe ingeniorum feracem. Tu ergo, Sereniſſime Princeps, opus hoc tantæ eruditionis plenum, & ex innumeris Auctoribus ſummo cum labore collectum benignus accipe. Quod ſi Æneam Virgilius in Elyſium deducere voluit, ut venturi e

ſtirpe heroës, & futura gentis ſuæ fama ob oculos ei ponerentur; Tu antiquam patriæ Tuæ gloriam, & defunctorum heroum egregia facta tamdiu ſepulta, Dempſtero inter tantas remotiſſimi temporis tenebras facem præferente, mirabundus aſpice. Quod quum Dempſterus hoc libro alienam famam e tenebris vindicare potuerit, ipſum vero librum (ea rerum humanarum eſt conditio) ab iisdem præſervare non potuit; ego hanc mihi reſervatam eſſe partem fortunæ meæ gratulor, ut hunc, nempe Dempſteri Tractatum ab integro jam ſeculo ſepultum, in lucem proferendo, habeam unde teſtari

poſſem

poſſem, quanto grati devotique animi affectu memet profitear

REGIÆ TUÆ CELSITUDINIS

Londini Pridie Kal. Septembr. clↄ.iↄ.ccxxiii.

Obſequentiſs. & Humill. Servum
THOM. COKE

Digitized by Google

Digitized by Google



Vas Fictile Altum Pedes Romanos Antiquos I. Vncias II. Florentiæ in Museo S. M. Ducis Etruriæ.

AD LECTOREM

HUMANISSIMUM.

CUM Etruriæ veteris permiſte, atque interciſe Auctores mentionem faciant, eamque confuſam generalemque, docentes nempe & populos quosdam Etruſcos dictos extitiſſe, & virtute ſolertiaque, rebuſque geſtis & inventis celeberrimos fuiſſe: ſpecialis vero de iisdem nulla in hæc ſecula reſervetur hiſtoria, doleantque eruditi gentis tantarum rerum inventricis ipſam pæne memoriam periiſſe; non exiguam certe laudem meruit Dempſterus noſter, qui opus Literatis omnibus intactum felici auſu aggreſſus, ab innumeris Auctoribus, quæcumque ſparſim tradebantur notitiæ, immenſo labore collegit, collectaſque accurato judicio perpendens ita diſpoſuit, ut luculenta jam de Etruſca gente concinnetur nobis Hiſtoria. Hunc autem Dempſterum ſcias,

Can-

Candide Lector, eumdem eſſe, qui & aliis ſimilis argumenti operibus ſatis nobile in Republica literaria nomen ſibi comparavit: qui in Academiis Tornacenſi, Toloſana, Pariſienſi, Piſana, Bononienſi, nec eaſdem ſemper ſcientias docendo, multiplici laude per Europam claruit: qui innumeros ferme libros conſcripſit, omnigena eruditione refertiſſimos; quorum Catalogum Jo: Nicolaus Paſqualius Alidoſius retulit in ſuo, quod anno 1633. edidit, opere de Exteris Doctoribus Academiæ Bononienſis, quem hic ex ipſo referimus:

Carmina omnis generis, in his Satyræ in Elizabetham Anglam, ſanctorum occiſorem: & de omnibus totius mundi Principibus Acroſticha. Duaci affixa, & partim edita.

Orationes, & Præfationes ſolemnes, alieno & proprio nomine habitæ, ut Duaci, Tornaci, Lutetiæ, Toloſæ, Piſis, Bononiæ: Editæ iis locis.

Silvæ Poëmatum variorum, ubi Protreptica, Lyrica, Comica, Ludicra, Strenæ, Expoſtulatoria. Libr. VII.

Panegyrici: in his Clementis VIII. & Paulo V. Romæ.

Epithalamia: in his Electoris Brandeburgi, Comitis Perthani, Vicecomitis Hadintoniæ. Francofurti, & alibi locorum.

Leſſi & Epicedia: in his Henrici IV. Galliarum Regis, conjugis Illuſtriſs. Timoleontis Deſpinay Sanlucii proregis Brunopolis, Comitis Auguſtæ. Lutetiæ.

Epigrammata, Doctorum operibus præfixa. Libr. II.

Declamationes Scholaſticæ adinſtar Senecæ, natalis S. Catharinæ Lexoveo dicta, & publicatæ. Libr. I. Lutetiæ.

Genethliaca: in his Ludovici XIII. Galliarum Regis. Libr. I. Flexiæ.

Tragediæ, Maximilianus, Stilico, Decemviratus abrogatus, Jacobus I. Scotiæ Rex, Libr. I. Lutetiæ.

Epiſtolæ ad ſummos Pontifices, Reges, Cardinales, Duces, Principes, viros eruditos omnium gentium cum reſponſoriis eorum. Libr. IV. MS.

Trium-

Triumphi ſacrorum, de S. Thoma de Aquino, Catherina Martyre, Triduana, Richarda Auguſta, & aliis. Libri III. Pariſiis.

Judicium de omnibus omnium gentium, temporum, & pene linguarum Hiſtoricis. Libri IX. Pariſiis.

Coſmographia, frequenti Lutetiæ auditorio dictata. Lib. I. Audio Lugduni poſtea editam.

Politica Parecbaſes in gratiam Alexandri Razivilii Principis Poloni emiſſa. Lib. I. Lutetiæ.

In Claudianum Notæ. Lib. I. Flexiæ.

In Statium Notæ. Libr. I. Flexiæ.

In Claudianum Commentarius. Libri XI. Lugduni & alibi.

In Æliani Variã Hiſtoriã Notæ. Libri XIV. Lutetiæ.

In Corippum Notæ. Libri IV. Lutetiæ.

Mythologia ex numiſmatis & inſcriptionibus. Libr. I.

Antiquitatum Romanarum. Libri X. in quibus nonnulla ſunt retractanda, & maxime ubi de jurejurando militari libr. 10. *cap.* 3. *egent caſtigatione, quæ jam parata eſt.*

De triplici Juramento. Libri III. opus Illuſtriſs. Card. Mellino nuncupatum. Propediem edetur.

Ad Benedictum Accoltum de bello ſacro Commentarius, & Notæ uberiores. Libr. IV. opus ſuſceptum in gratiam Leonardi & Petri Accoltorum, patriciorum Arretinorum & Florentinorum, fratrum, qui Magno Duci a Scriniis, & juris civilis profeſſione inclyti. Prodiit Florentiæ.

Etruriæ Regalis libr. VII. ſuggeſſit Camillus Guidius Eques Volaterranus, flos hujus ſeculi hominum, alter parens meus, imperavit Coſmus II. Magnus Etruriæ Dux, & magno pretio invitavit. Opus inter arcana illius Principis aſſervatur.

Hiſtoria naturalis quadrupedum. Lib. I. ſupplementum Ulyſſis Aldovrandi. Senatus Bononienſis impoſuit, prodiit Bon.

Ὀβελος καὶ Χέραυνος. in gloſſas Vividni, Accurſii, & aliorum: Principi Virginio Cæſarino a me dicatum: Comiti Ruino a bibliopola. Lib. I. Bononiæ.

Obſervationes in gloßas per totum corpus Civile, in Codicem, & Pandectas, Feuda, & Novellas. Adhuc MSS. Lib. LXXVII.

Mendicabula repreſſa. Lib. I. Lugduni.

Apparatus ad Hiſtoriam Scoticam. Libri II. Bononiæ, Illuſtriſsimis Cardinali Antonio Cajetano Legato, & Angelo Cæſio Prolegato inſcripti.

Menologium Scotorum: potius apices Menologii. Lib. I. Bononiæ, Illuſtriſſimo Cardinali Mapphæo Barberino nuncupatum.

Nomenclatura Scotorum Scriptorum de viris claris ab initio regni, quater edita. Lib. I.

Hiſtoria Scotica. Libri XIX. MSS.

Epiſcopatuum, Monaſteriorumque Scotiæ omnium fundatio, & ſucceſſio. Libri IX. MSS.

Scoti bello illuſtres CCCCXCV. Lib. I. MSS.

Scotorum Regum affinitas. Libri III. MSS.

Chronicon Pictorum Lib. I. MSS. de origine, & fine illius Regni, regibus enumeratis, & præclara tantæ gentis domi foriſque acta; Virginio Cæſarino Principi Romano inſcriptum.

In Hiſtoriam Hibernicam P. Edmundi Campiani Societatis Jeſu Notæ. Lib. I. MSS.

Anatomia partium humani corporis Antiquaria & Hiſtorica. Lib. I. Flexiæ.

Commodianus contra Gentes cum notis. Libri II. jamdudum Typographo datus, ut ederetur. Auctorem eum antiquiſſimum, ſed nunquam editum, R. P. Jacobus Sirmondus Soc. Jeſ. doctiſſimus, & de literis optime meritus, mihi conceſſit.

Apparatus Scotici. Lib. XI.

Man-

Digitized by Google

Mantiſſam de fabuloſis veterum Diis in hoc Etruriæ Regalis opere lib. 1. cap. 17. ipſe Dempſterus a ſe ſcriptam fatetur; ſed fortaſſe hæc eadem eſt ac *Mythologia ex numiſmatis & inſcriptionibus*, in ſuperiori catalogo allata.

Ferdinandus Ughellius Tom. 3. Ital. Sacræ de Epiſcopis Lucenſibus, affirmat Dempſterum de Eccleſia Piſana, deque ejusdem Præſulibus ſcripſiſſe; verum hoc non arbitror ipſum feciſſe peculiari quodam opere, quum nullam illius mentionem faciat Alidoſius in laudato catalogo, quem ab ipſo Dempſtero accepit, ac iisdem verbis in ſuum opus tranſtulit, ut apparet ex titulo Etruriæ Regalis, in quo *alter parens* dicitur Cammillus Guidius, quæ verba non Alidoſii, ſed Dempſterii eſſe, atque ad ipſum referri nemo non videt. At Ughellius puto ad libr. 5. cap. 2. Etruriæ Regalis reſpexiſſe, ubi in hoc argumento multus eſt noſter Auctor.

Hic autem præterea ſummo genere natus eſt, patre Barone Muresckì, Achterleſi, Chislemonti; Banfiæ vero, ac Buchaniæ Prorege, ſeu Irenarca, ut illum vocat Dempſterus noſter in Epiſtola, qua Romanas Antiquitates dicat Jacobo I. Britanniæ Regi, ubi etiam illius infortunia recenſet: Matre vero Baroniſſa Balconiæ, ac Alberdonii Principi. Celeberrimo eruditiſſimoque viro Juſto Lipſio uſus eſt præceptore, ſub quo adeo profecit, ut ſextum decimum annum agens Tornaci humaniores literas publice docuerit: ac ſequenti anno Lutetiæ Pariſiorum Juriſprudentiæ Doctor renunciatus fuerit, & in ea toto orbe laudatiſſima Academia Davidi Sincleto ſucceſſerit, quam poſtea reliquit, quum a Magnæ Britanniæ Rege accitus, eique hiſtoriæ conſcribendæ munus demandatum fuit. Tantus autem Vir innumeris doctorum virorum teſtimoniis meruit laudari; ſed loco omnium ſit, quod de eo affert Thobias Magirius in Eponymologico Critico: *Thomas Dempſterus Baro Scotus J. C. Erat hic, uti refert Mattheus Peregrinus, indefeſſus in legendo, ita ut XIV. diei*

horas in librorum lectione continuare ſoleret. Mentis acumine ſatis valuit, ſed memoria tenacitate longe plurimum, adeo ut multoties diceret, ignorare ſe quid ſit oblivio. Nihil adeo abditum antiquitatis monumentis, cujus non meminiſſet; ita ut Fr. Coſpius, vir in literis omni comparatione major, Dempſterum magnam Bibliothecam loquentem compellare conſueverit. Stylus ei copioſus, confragoſus tamen, moribus aptus, & ſimulandi neſcius: ſive amore odiove quempiam proſequeretur, utrumque palam. Ut amicis obſequentiſſimus, ita inimicis maximé infenſus. Vide Miræum de ſcriptoribus ſeculi XVI. pag. 161. ubi & ejus ſcripta ex parte recenſet.

Quamobrem, quum ejus nominis celebritas adeo percrebuerit, fuiſſetque a Pontifice Maximo per Cardinalem Bonſium Magno Etruriæ Duci commendatus, inter Profeſſores celeberrimi Piſani Athenæi allectus fuit anno MDCXVI. ut Juriſprudentiam doceret ſtatimque ad hoc de Etruria Regali præclarum opus animum appulit; ut teſtatur Janus Nicius Erythræus cap. 9. Pinacoth. his verbis: *Atque hanc Piſanam commorationem arbitror fuiſſe cauſam, cur ſeptem illos elegantiſſimos de Regali Etruria libros ſcriptos reliquerit, qui nondum editi, ſumma Magni Etruriæ Ducis cura aſſervantur.* Et jam Nonis Martiis anni CIↃIↃCXVII. Petro Strozzio, Pauli V. Pontificis Maximi a ſecretis, hujus operis epitomen, ſeu potius rudimenta per epiſtolam miſit. Quum autem menſe Junio in patriam rediiſſet, ac menſe poſtea Novembri ejusdem anni CIↃIↃCXVII. Piſas remeaſſet, ingentem librorum vim, ad hoc opus perficiendum conducentium, attulit. Ac tandem quum e veſtigio Piſas relinquere decreverit anno CIↃIↃCXIX. librum hunc, quamvis non adhuc ad umbilicum perductum, vel ſaltem non omnino caſtigatum, Magnæ Etruriæ Duci hac epiſtola dicavit, quæ una cum plurimis aliis ejusdem Dempſteri epiſtolis autographis, apud Cammillum Guidium Volaterranum aſſervabatur, nunc apud nobiliſſimos heredes:

Sere-

Sereniſſimæ Principi D. N. Magnæ Etruriæ Duci Matri
Thomas Dempſterus.

Diſceſſurus mecum tacitus deliberavi, quid honore accepto dignum poſſem rependere, quum in tanta novercantis fortunæ inopia nihil T. C. S. dignum invenirem. Obtulit ſe Etruria Regalis, opus a S. T. C. imperatum olim, & a me ſtudioſe laborioſeque adornatum, cui ordinando nec labori meo, nec ſumptibus parſum. Si deſiderabitur aliquid, adero quandocumque lubebit T. C. S. ſupremam manum impoſiturus, nec me unquam beneficiorum capiet oblivio, & ſeu verbo potero, ſeu ſcripto, Sereniſſimæ hujus familiæ præconia quæram, & laudes prædicabo, & intelligent poſteri, me quum pauciſſima obſequii ſigna exhibuerim, maxima affectaſſe. Hoc ergo munus, ingeniique mei teſſeram lubens accipe; majorem & meliorem, ſi potuiſſem, notam habitura. Vale Sereniſs. D. N. Piſis XI. *Kal. Sextilis* CIƆIƆCXIX.

Bononiam igitur profectus eſt, poſtquam tres annos Piſis Pandectas explicaſſet, ibique ſummo honore complexus, atque omnium plauſu ad humaniores literas in illa Academia docendas electus, quod munus per ſeptennium magna ſui nominis gloria obivit, nec minori etiam lucro; ubi tandem mortuus eſt anno CIƆIƆCXXV. Non. Septembr. & ad Divi Dominici ſepultus. *Academici Noctis* quum clariſſimo Viro parentarent, Ovidius Montalbanus Orationem habuit, quam publici juris fecit Bononiæ anno CIƆIƆCXXVI. ex qua multa ad ejus vitam pertinentia erui poſſunt. Verum poſtquam Piſis profectus eſt, numquam præterea vel de limanda, vel de edenda Etruria Regali cogitavit Dempſterus. Quamobrem minime mirum eſt, ſi cuipiam corrigi aliquid debere, aut addi poſſe videatur. Satis egiſſe egomet mihi videbor, ſi in cauſa fuero, ut e Literatis aliquis, præcipue autem ex illis, quos hodierna habet Etruria, excellentis ingenii & præſtantis eruditionis viros, ut horum, in-

quam,

quam, aliquis fortaſſe novo conatu deſiderata ſuppleat, aut luculentius explanet. Ad ulteriorem itaque operis perfectionem, ut quod in me eſt, conferam, librum hunc nullibi potius quam in ipſa Florentia imprimendum volui, ut ubi opus hoc præclariſſimum ſcriptum fuerat, ibi tandem ederetur. Etenim hac urbe quoque commodius antiqua Etruſcorum Monumenta, quæ per Etruriam ſparſa ſupererant, colligi poterant, ac diligenter delineata figuris ære impreſſis in lucem venire, quod nec a Dempſtero excogitatum, nec ab ullo alio umquam factum fuerat. Quapropter, Lector, quisquis hæc curas, theſaurum Etruſcarum Antiquitatum locupletiſſimum, & nunc primum collectum admirare, eoque feliciter fruere.



Urna Fictilis Ex Clusio Advecta Florentiam Apud Nobiles De Bonarrotis

INDEX

INDEX
CAPITUM
Hujus Primi Tomi.

LIBER PRIMUS

CAP. I.

Etruſci, & Etruria unde: Etruria, an Hetruria efferendum: Etruri idem ac Etruſci: R. & S. literæ uſus: termini Regionis: barbaro ſeculo Tuſcani dicti, & Tuſcianenſes. Pag. 1.

CAP. II.

Tuſcia & Tuſci, a thure nomen deductum non videri, quod thuris uſus non ſit antiquus: Tuſci, an Thuſci? a Rege vox tracta. pag. 4.

CAP. III.

Tyrrheni, Turrheni, Tyrſeni: Tyrrhenia: indigenæ, an advenæ: a Rege appellationem ſortiti: claritudo, & bella prima: metropolis: Romulus inde ortus. pag. 8.

CAP. IV.

Lydia, Lydi: voluptatibus ante appulſum in Etruriam dediti: ſortitio de principatu obtinendo: a Poëtis pro Etruſcis appellati. pag. 11.

CAP. V.

Pelaſgi, Pelargi, Etruriæ incolæ vetuſtiſſimi: ver ſacrum votum: ut Coloniæ vere deductæ, ita Mundus vere creatus: regio non dicta Pelaſgia ab illis incolis. pag. 15.

CAP.

CAP. VI.

Arcades Etruriæ incolæ & ipſi vetuſtiſſimi: iidem cum Pelaſgis: ſervos & dominos æqualiter habebant: eorum poſteri fœdus cum Ænea pepigerunt: glande veſcebantur: Luna priores: ab iis quædam Romani mutuati, pag. 20.

CAP. VII.

Aborigines primi omnium Etruriæ cultores: ſedes eorum, non in Latio, ſed Tuſcia: indigenæ, non advenæ: ob antiquitatem truncis orti crediti. pag. 25.

CAP. VIII.

Etruriæ alii incolæ vetuſti, recentiores, & obiter de Italiæ mutato ſæpe principatu, barbariſque ejus incolis. pag. 28.

CAP. IX.

Etruſcorum fama, opulentia, ac potentia: Italiam totam domuerunt: Romæ tributum impoſuerunt: trecentas Umbrorum urbes ſubegerunt: cum Jaſone & Argonautis pugnaverunt: Mantuam, Nolam, Capuam, Bononiam, ipſamque Romam condiderunt: in Alpibus Colonias plantaverunt: Volſcis, & Cumanis imperarunt: Phlegræos campos tenuerunt, ubi Gigantomachia. pag. 31.

CAP. X.

Etruſci ſoli qualitas: ſilvis abundans: venatui aptæ illæ: apri, glandes, feracitas frugum: nobiles Cluſinæ, Senenſes: etiam mare piſcoſum. pag. 40.

CAP. XI.

Etruria vini ferax: aſſervatum in doliis picatis: fumo expoſitum: vetuſtate æſtimatum, Lunenſe, Florentinum, Faliſcum, alia recentia. pag. 44.

CAP. XII.

Etruriæ conſtitutio: ager pinguis: boves compacti: & aëris temperies: litorea inſalubria: mediterranea ſana. pag. 51.

CAP.

CAP. XIII.

Etruriæ aquæ medicatæ, & thermæ celebres: unde Tuſci Aquileges: Homerus calidarum aquarum meminit: Caretanæ, Tauri, Narnienſes. pag. 53.

CAP. XIV.

Etruſcorum Religio, aut potius ſuperſtitio, quam Senatorum Romanorum filii docebantur: Dii ipſorum Conſentes, ſeu Complices: Jovis, non Jupiter: Menſes Diis illis ſacri. pag. 56.

CAP. XV.

Etruſcorum Dii propri Vertumnus, Volumnus, Volumna, Voltumna, Viridianus, Valentia, Curis, Nurtia: clavi in ejus templo fixi, annorum indices: & forte Ammudates. pag. 60.

CAP. XVI.

Etruſcorum Deus Janus, ſeu Janes: nomina relatis in Deos mutari ſolita: rei ruſticæ præerat, & januis: primus Deorum Italorum, ideo Pater dictus: ſtatuæ ejus, & per digitos ſupputatio. pag. 64.

CAP. XVII.

Etruſcorum Dii cum Romanis communes, Jupiter, Bellona, Mars, Fortuna, Juno, Pallas, Apollo: & arcana reconditaque de iis omnibus in medium allata. pag. 69.

CAP. XVIII.

In Etruria oraculum Tethyos, ſeu Themidos, obſcurum & perplexum: & quando oracula ſiluerunt. pag. 79.

CAP. XIX.

Etruſcorum leges primæ, atque politicus ſtatus, cum in Italia celebrari primum cœperunt. pag. 85.

CAP. XX.

Etruſca lingua, diverſa a Latina Græcaque: literæ Etruſcæ, & inſcriptiones nonnullæ, quæ non poſſunt intelligi: vocabula ex ea varia, quo fonte: ipſa Romana lingua ſæpe mutata. pag. 86.

CAP. VI.

Arcades Etruriæ incolæ & ipſi vetuſtiſſimi: iidem cum Pelaſgis: ſervos & dominos æqualiter habebant: eorum poſteri fœdus cum Ænea pepigerunt: glande veſcebantur: Luna priores: ab iis quædam Romani mutuati. pag. 20.

CAP. VII.

Aborigines primi omnium Etruriæ cultores: ſedes eorum, non in Latio, ſed Tuſcia: indigenæ, non advenæ: ob antiquitatem truncis orti crediti. pag. 25.

CAP. VIII.

Etruriæ alii incolæ vetuſti, recentiores, & obiter de Italiæ mutato ſæpe principatu, barbariſque ejus incolis. pag. 28.

CAP. IX.

Etruſcorum fama, opulentia, ac potentia: Italiam totam domuerunt: Romæ tributum impoſuerunt: trecentas Umbrorum urbes ſubegerunt: cum Jaſone & Argonautis pugnaverunt: Mantuam, Nolam, Capuam, Bononiam, ipſamque Romam condiderunt: in Alpibus Colonias plantaverunt: Volſcis, & Cumanis imperarunt: Phlegræos campos tenuerunt, ubi Gigantomachia. pag. 31.

CAP. X.

Etruſci ſoli qualitas: ſilvis abundans: venatui aptæ illæ: apri, glandes, feracitas frugum: nobiles Cluſinæ, Senenſes: etiam mare piſcoſum. pag. 40.

CAP. XI.

Etruria vini ferax: aſſervatum in doliis picatis: fumo expoſitum: vetuſtate æſtimatum, Lunenſe, Florentinum, Faliſcum, alia recentia. pag. 44.

CAP. XII.

Etruriæ conſtitutio: ager pinguis: boves compacti: & aëris temperies: litorea inſalubria: mediterranea ſana. pag. 51.

CAP.

C A P. XIII.

Etruriæ aquæ medicatæ, & thermæ celebres: unde Tuſci Aquileges: Homerus calidarum aquarum meminit: Caretanæ, Tauri, Narnienſes. pag. 53.

C A P. XIV.

Etruſcorum Religio, aut potius ſuperſtitio, quam Senatorum Romanorum filii docebantur: Dii ipſorum Conſentes, ſeu Complices: Jovis, non Jupiter: Menſes Diis illis ſacri. pag. 56.

C A P. XV.

Etruſcorum Dii propri Vertumnus, Volumnus, Volumna, Voltumna, Viridianus, Valentia, Curis, Nurtia: clavi in ejus templo fixi, annorum indices: & forte Ammudates. pag. 60.

C A P. XVI.

Etruſcorum Deus Janus, ſeu Janes: nomina relatis in Deos mutari ſolita: rei ruſticæ præerat, & januis: primus Deorum Italorum, ideo Pater dictus: ſtatuæ ejus, & per digitos ſupputatio. pag. 64.

C A P. XVII.

Etruſcorum Dii cum Romanis communes, Jupiter, Bellona, Mars, Fortuna, Juno, Pallas, Apollo: & arcana reconditaque de iis omnibus in medium allata. pag. 69.

C A P. XVIII.

In Etruria oraculum Tethyos, ſeu Themidos, obſcurum & perplexum: & quando oracula ſiluerunt. pag. 79.

C A P. XIX.

Etruſcorum leges primæ, atque politicus ſtatus, cum in Italia celebrari primum cœperunt. pag. 85.

C A P. XX.

Etruſca lingua, diverſa a Latina Græcaque: literæ Etruſcæ, & inſcriptiones nonnullæ, quæ non poſſunt intelligi: vocabula ex ea varia, quo fonte: ipſa Romana lingua ſæpe mutata. pag. 86.

Digitized by Google

CAP. XXI.

Etruſco ſermone uſi quatuor populi, & ob id quadruplex ejus dialectus, Oſca, Rhetica, Umbrica, & Phuliſca. pag. 92.

CAP. XXII.

Etruſcorum Politia vetuſtiſſima, ac primum ſingularis eorum peregrinos affectus proſequentium. pag. 95.

CAP. XXIII.

Etruſcorum Politia artes plurimas exercere: & artifices ipſius Etruriæ Regis domeſtici. pag. 97.

CAP. XXIV.

Etruſcorum Politia in conviviis, ſub eadem veſte cum uxoribus recumbere. pag. 98.

CAP. XXV.

Etruſcorum Politia debitores, qui verſuram feciſſent, probo afficere, geſtareque pone eos vacuam crumenam. pag. 99.

CAP. XXVI.

Etruria mater multarum aliarum gentium, Volſcorum, Campanorum, Oſcorum, Opicum, Frontonorum, Marrucinorum, Picenorum, Rhetorum, Euganeorum, aliorumque. pag. 101.

LIBER SECUNDUS

CAP. I.

ETruſcorum Regum quadruplex ſeries, & varia ſtemmata. pag. 105.

CAP. II.

Etruriæ Regum ornamenta & inſignia: toga palmata, ſella eburnea, ſceptrum ſeu haſta, corona, corporis cuſtodes, adminiſtratio legum, jus, comitia publica ſeu conventus indicendi: & nomen Regis aliud aliquando, quam Principem ſignificare. pag. 106.

CAP.

CAP. III.

Janus, primus Etruriæ Rex, ſtatim a diluvio Noe: uxor ei Venilia; ideo ei primitiæ omnium ſacrificiorum oblatæ: primus ſacra ad aras fieri docuit: nummos percuſſit: agriculturam docuit: fœderibus præeſt: bifrons, & quadrifrons: belli ac pacis præſes: lauru nova ineunte anno coronatus: indigena. pag. 112.

CAP. IV.

Etruriæ Regina Cameſes, a Jano in partem regni aſſumpta: ſoror ejus & uxor. pag. 117.

CAP. V.

Etruriæ Rex Tiberinus, Jani, lapidibus occiſi, filius: filiæ quatuor, Cameſene, Cliſlbene, & Canens, Pico Latinorum Regi nupta: quarta ignoratur. pag. 118.

CAP. VI.

Etruriæ Rex quartus Vertumnus, ſive Vadimon, & ipſe Janigena pag. 121.

CAP. VII.

Etruſcorum Rex quintus Aunus Janigena. pag. 123.

CAP. VIII.

Etruſcorum Regum Catalogus. pag. 124.

CAP. IX.

Catalogus alter Etruſcorum Regum. pag. 130.

CAP. X.

Etruſcorum Regum ſecundum ſtemma: Coritus Rex, Filius Jovis, pater Jaſii & Dardani, qui Trojam in Aſia condidit: urbs & mons in Etruria eo nomine. pag. 131.

CAP. XI.

Catalogus tertius Etruſcorum Regum, a duobus aliis paulo diverſus. pag. 134.

CAP. XII.

Etruſcorum Regum ſtemma tertium: dicti illi Larthes, & Larthevianum Regia: iidem Claræ & Magni appellati: non a Laribus ſumptum nomen: qui Lares, & Lar, ſeu Lars primus ex ea familia: opima ſpolia a Cornelio Coſſo oblata. pag. 135.

CAP. XIII.

Etruſcorum Regum quartum ſtemma, qui Lucumones dicti: illi dominabantur, cum Romani Etruria ſunt politi: vini uſum Gallos docuerunt, iiſdemque Italiam invadentibus duces fuerunt: per contumeliam Lucumo idem atque inſanus: pro quolibet tamen Principe dicebatur. pag. 140.

CAP. XIV.

Etruſcorum Rex Fontus, Jani filius, in Deos relatus. pag. 143.

CAP. XV.

Etruſcorum Rex Anius, raptorem filiæ perſequens, in Aniene demerſus. Anii fluvii duo: ab hoc Anniorum, ſeu Antoniorum genus: Latinus, Rex Latii ejus nepos, & de raptu virginum pauca. pag. 144.

CAP. XVI.

Etruſcorum Rex Debeberis, & ipſe Tiberi demerſus. pag. 148.

CAP. XVII.

Etruſcorum Rex Tiberis, qui et fluvio tertium nomen dedit, vel Tiberinus Albanorum Rex. pag. 149.

CAP. XVIII.

Etruſcorum Rex Tybris, & ipſe flumini nomen indidit: ab Argonautis occiſus: varia ejus fluvii nomina. pag. 150.

CAP. XIX.

Etruſcorum Rex Æolus, inſulis etiam vicinis imperans: filiam ad mortem compellit, quod a fratre ſuo gravida eſſet facta: ejus nepos Ulyſſes: habitabat in inſulis frequentius, unde ventorum Rex creditus: & an nuptiæ inter fratrem ſororemque apud alios, quam Perſas, validæ. pag. 152.

CAP.

C A P. XX.

Etruſcorum Rex Liparus, Æoli deceſſor, ſucceſſorve: & ipſe inſulis delectatus. pag. 156.

C A P. XXI.

Etruſcorum Rex, aut verius Imperator Meleus, toti Italiæ imperabat. pag. 157.

C A P. XXII.

Etruſcorum Rex Rhætus, coloniam in Germaniam trans Alpes duxit: vina Rhætico. pag. 158.

C A P. XXIII.

Etruſcorum Rex Malæottus, prope Volaterras habebat Regiam: in Græcia obiit, incertum quo exitu. pag. 160.

C A P. XXIV.

Etruſcorum Rex Etruſcus, filius Herculis, genti nomen dedit. pag. 161.

C A P. XXV.

Etruſcorum Rex Tuſcus, & ipſe nomen genti indidit. pag. 162.

C A P. XXVI.

Etruſcorum Rex Tyrrhenus, ſive Tarabus: ex Lydia, ſive Mæonia in Italiam traiicens: Tyrrheniam regionem nominavit. pag. 163.

C A P. XXVII.

Etruſcorum Rex Raſena, & ipſe advena, oriundus Mæonia. pag. 164.

C A P. XXVIII.

Etruſcorum Rex Nicius Fæſulanus, qui vel ei civitati nomèn dedit, vel ab ea nomen ſuum accepit. pag. 164.

C A P. XXIX.

Etruſcorum Rex Piſeus, originis & ipſe Græcanicæ, tubæ æneæ inventor: a celeberrima civitate Piſis nomen habet. pag. 165.

C A P.

CAP. XXX.

Etruſcorum Rex Aleſus, ſive Aleſus, ſive Haleſus, Græcus & ipſe, pag. 167.

CAP. XXXI.

Etruſcorum Rex Haleſus gente Argivus, Faliſcos, & Alſium civitates condidit, & a ſuo nomine vocavit. pag. 167.

CAP. XXXII.

Etruſcorum Rex Tarcon, Græcus ex Mæonia, primo præfectus Tyrrheni tantum, mox ipſe Rex factus: frater Tyrrheni vel filius: civitates duodecim ſtruxit: nomen ſuum Tarquiniis indidit: Cortonæ habitavit. pag. 169.

CAP. XXXIII.

Etruſcorum Rex Felſinus, a quo Bononia ſtructa Felſina eſt appellata. pag. 171.

CAP. XXXIV.

Etruſcorum Rex Bonus, ſive Bon, fabuloſus: nomen Bononiæ, non ab eo, ſed a Boiis deſumptum. pag. 172.

CAP. XXXV.

Etruſcorum Rex Hadrius, civitati Hadriæ, ſive Atriæ aut Adriæ nomen dedit: pag. 173.

CAP. XXXVI.

Etruſcorum Rex Ocnus, ſive Hocnus, Anenus Bianor, Mantuæ conditor, cujus ſepulchrum non longe urbe erat. pag. 173.

CAP. XXXVII.

Etruſcorum Rex Mezentius, Cærite Regiam habebat: pactus vina Latina Turno in Æneam auxiliatus eſt: Latinum Aboriginum Regem & Æneam interfecit, & ab Aſcanio ejus filio interemptus: crudelia ſupplicia excogitavit: contemptor divum dictus: Imperator etiam vocatus: in exilium a ſuis pulſus. pag. 176.

CAP.

CAP. XXXVIII.

Etruſcorum Rex Aſylas, Æneæ tempore bello clarus: Augur: Regia ejus Piſæ. pag. 183.

CAP. XXXIX.

Etruſcorum Rex Abas, ſtrenuus bello, Æneæ auxiliatus contra Rutilos: Regia ejus Populonium, aut Ilva inſula: occiſus a Lauſo. pag. 184.

CAP. XL.

Etruſcorum Rex Maſſicus, bello Trojano Rutiloque interfuit: ſtrenuus manu: Coſſæ Regia illius: a monte ſic dictus. pag. 186.

CAP. XLI.

Etruſcorum Rex Oſinius, Æneæ in Turnum auxiliator: Regiam habuit Cluſii: mors ejus, uti & ſuperioris, a Virgilio male præterita. pag. 187.

CAP. XLII.

Etruſcorum Rex Morrius, ex gente Neptuni & Aleſi Regis, Veiis Regiam habuit: Saliorum ſacerdotum auctor. pag. 188.

CAP. XLIII.

Etruſcorum Rex Cluſius, Tyrrheni Regis filius: Cluſii conditor: filii Regum etiam Reges dicti. pag. 190.

CAP. XLIV.

Etruſcorum Rex Propertius: Volaterris Regia ejus erat: Capenos condidit: Populoniam coloniam deduxit: Vejentes juvit fœdere. pag. 191.

CAP. XLV.

Etruſcorum Rex Vejentus, vel Veiis nomen dedit, vel ab eo oppido accepit: Capenam in Latium coloniam deduxit: & de porta Capena quædam obiter. pag. 192.

CAP. XLVI.

Etruſcorum Rex Lucumus, ſeu Lucumo, cognomine Galeritus, Romulo tulit ſuppetias: tentoria invenit: forte Lucam condidit. pag. 194.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XLVII.

Etruſcorum Rex Cælius Veibennus, Romanis Regibus auxiliatus: Cælio monti nomen dedit: Tuſcum vicum Romæ ſuis civibus implevit, ſive Lucumo id præſtitit, ſive Porſena. pag. 195.

CAP. XLVIII.

Etruſcorum Rex Menalus: Regia ejus Veiis: Novius vel Nævius poëta, ſabula Lydus. pag. 197.

CAP. XIL.

Etruſcorum Rex Olenius Calenus, idem augur, Regeſque omnes Etruriæ ſacerdotio præditi, & aliæ gentes hoc imitati: Ociane oſtium ſeu rivus Padi ab eo dictum: Mediolanum non ſumpſit nomen ab illo. pag. 198.

CAP. L.

Etruſcorum Rex Porſena, vel Porſenna, ex familia Lartium: dictus Lars, Claras, Magnus: Cluſii Regiam habebat: bellum Romanis intulit ad reducendos Tarquinios: Horatii, Scævolæ, Clœliæ eo in bello virtus: pacem cum Romanis, fœduſque iniit: Augur: magnificentiſſime in Labyrintho a ſe condito ſepultus. pag. 202.

CAP. LI.

Etruſcorum Rex Galeromondus, de quo nihil præter nomen eſt certi, ac ne illud quidem valde certum. pag. 210.

CAP. LII.

Etruſcorum Rex Tolumnius, male ab aliis Volumnius dictus, cognomento Lar, ſeu Lars. Veiis habuit Regiam: Legatos Romanorum, qui ſacroſancti doniſque honorari debebant, interfecit: a Cornelio Coſſo duello interfectus: ſpolia opima de eo Jovi Feretrio relata: caput abſciſſum, & geſtatum lancea. pag. 211.

CAP. LIII.

Etruſcorum Rex anonymus, Veiis obſeſſis in urbe ea creatus: diſcordia Tuſcorum cauſa cur in Romanam ditionem tranſirent, nunquam ſuperandi, ſi fideles ad invicem fuiſſent. pag. 217.

CAP.

CAP. LIV.

Etruſcorum Rex Cilnius, Arretii Regiam habuit. pag. 220.

CAP. LV.

Etruſcorum Rex Mæcenas, quadringentis annis ante vulgatum illum Mæcenatem, Auguſti familiarem, & Muſarum altorem: Arretii ejus Regia: Mæcenates alii a Rege: & plura de literatorum alumno. pag. 221.

CAP. LVI.

Etruſcorum Rex Ælius Voltorrenus, ſive Volterranus, ſub quo ad lacum Vadimonis fractæ penitus vires Etruſcorum, ut nullus poſt eum Etruriæ Rex reperiatur. pag. 226.

CAP. LVII.

Etruſcorum Regum toto hoc libro deſcriptorum, vera, legitima, & genuina nomenclatura. pag. 227.

CAP. LVIII.

Etruſcorum Reges fictitii, & commentitii, exploſi omnes, & reprehenſa inſcitia literionum, qui amenter fabulas pro hiſtoriis obtruſerunt ultimo ſeculo. pag. 229.

CAP. LIX.

Etruſcorum Rex nullus unquam Cecinna, ſed clari plerique, & equeſtri dignitate ornati, Volaterrani cives. pag. 231.

CAP. LX.

Etruſcorum Rex non fuit Ælius Sejanus, ſed tantum magna apud Tiberium Auguſtum auctoritate; ſed poſtea, majeſtatis reus, cum liberis & amicis miſere interiit. pag. 234.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

CAP. I.

ETruſcus Tages invenit divinationem per auguria: libros de ea ſcripſit, qui Acherontici dicti: Augurum dignitas & collegium: Chriſtianis interdicta. pag. 239.

CAP. II.

Etruſcorum inventum Divinatio per aruſpicinam: Tagetis diſcipulus Bacchetis: peritiſſimi in Etruria aruſpices: in vicis etiam. pag. 244.

CAP. III.

Etruſcorum inventum obſervatio fulminum, & expiatio: Bigois Nymphæ libri, & ſcripta de ea re: Cæli in partes ſedecim diviſio: Jupiter fulgurator: alii Dii fulminum præſides: bidental locus conditi fulminis. pag. 246.

CAP. IV.

Etruſcorum inventum, oſtentorum obſervatio, & procuratio: monſtra, aut comburi, aut in altum mare deportari, demergique ſolita, ex Etruſca diſciplina. pag. 252.

CAP. V.

Etruſcorum inventum Cærimoniæ, illæque dictæ Etruſca diſciplina, Etruſca ars, maximeque circa prodigia procuranda occupata. pag. 255.

CAP. VI.

Etruſcorum inventis accenſendus mos orandi manibus ſupinis, & ſtando. pag. 256.

CAP. VII.

Parentalia Tanitii Etruſci cauſa hereditatis nata: exequiæ anniverſariæ: cenotaphium: Romuli nutrix. pag. 259.

CAP. VIII.

Etruſcorum inventum Salii ſacerdotes: Samothracum ſacra: ii poſtea ad Martem & Herculem a Romanis traducti: Præſul: amptruare, redamptruare: cantæ Saltares ex decimis: polluctus: Scyphus Herculaneus ad ſacra: axamenta: chori Saliorum duo. pag. 262.

CAP.

CAP. IX.

Etruſcorum inventum Samothracia Deorum ſacra, & quæ illa: Dii magni, boni, potentes. pag. 264.

CAP. X.

Templorum apud Etruſcos uſus antiquiſſimus. Templi variæ ſignificationes, quæ plerique populi aſpernati: jure belli non ſunt ſacra, ſed pro libidine victorum polluebantur. pag. 266.

CAP. XI.

Apud Etruſcos aræ Deorum: ſepulchris appoſitæ: in Comœdiis: morituri eas amplectebantur: immunitatem præſtabant: eas juraturi tenebant: dedicatio: fluviis erectæ, pag. 271.

CAP. XII.

Apud Etruſcos ſacrificia: inſtituta ea initio tenuja, far, lac, libum: poſtea litatum hoſtiis animalibus, etiam ablegminibus, majoribus, minoribus, auratis cornibus, albis, nigris, homine, animantibus, omnibus, niſi piſcibus. pag. 275.

CAP. XIII.

Apud Etruſcos artificium & uſus ſtatuarum Deorum, & virorum fortium: inviolabiles & religioſæ: fictiles aut ligneæ: in foro eminenti loco poni ſolita. pag. 278.

CAP. XIV.

Etruſcorum inventum Idola: aut, ut aliis viſum, Seruchus, aut Syrophanes; aut Cham ea excogitavit: aut Græci, aut Ninus: eorum varietas, & vanitas Εἴδωλον, *ſive* Εἴδωλα *a Poëtis dici. pag.* 281.

CAP. XV.

Etruſcorum inventum Religio, & modus urbem condendi: ea fuit, vomere æreo arare, taurum candidum vaccæ albæ jungere, quod in evertendis civitatibus obſervatum: iiſque ritus Etruſcus dictus. pag. 286.

CAP. XVI.

Etruſcorum inventum Pomœrium: & ipſum locus conſecratus. pag. 289.

Digitized by Google

C A P. XVII.

Etruſcorum inventum foſſæ muniendis urbibus, quæ & ipſa conſecrata. pag. 292.

C A P. XVIII.

Etruſcorum inventum muri urbium: & ipſi ſacra religione erecti: amphari, reficique ab imperatore ſoliti. pag. 292.

C A P. XIX.

Etruſcorum inventum ſacrum Nuptiale, quod porco fiebat, auſpiciis prævius. pag. 294.

C A P. XX.

Janus apud Etruſcos Monarchiam invexit: perfectiſſimus regnandi ſtatus: Regis elevatio in clypeo. pag. 298.

C A P. XXI.

Etruſcorum inventum inſignia Regni, ſeu Principatus: obiter de Diademate Regio. pag 300.

C A P. XXII.

Nobiles Romani ſe ab Etruſcis originem ducere gloriabantur: Nobilitatis diſcretio & nota, ſcilicet bulla, aurea illa: Laribus ſuſpendebatur: plebeii & libertini lorum geſtabant. pag. 301.

C A P. XXIII.

Celeres a Tuſco Celere appellati: Troſſuli, ab oppido Etruſco dicti: item Flexibuli, aut Flexumines. pag. 304.

C A P. XXIV.

Etruſcorum inventum ſecures & faſces: Vetuloniæ inventi dicuntur: tolli: varius pro dignitate eorum numerus: ſubmitti. pag. 305.

C A P. XXV.

Etruſcorum inventum lictor, ſeu apparitor: ab officio dignior unus alio: januam intraturo magiſtratu percutiebat. pag. 308.

C A P.

CAP. XXVI.

Etruſcorum inventum trabea, & quorum eſſet geſtamen: clavata, ſeu clavis diſtincta: fibulata. pag. 310.

CAP. XXVII.

Etruſcorum inventum ſella curulis: & ipſa Regum primo, mox magiſtratuum patriciorum. pag. 312.

CAP. XXVIII.

Etruſcorum inventum annuli, ferrei, aurei, Thynici, Samothracii, Regum, legatorum, matronarum, equitum, advocatorum, poëtarum: cur leva ferrentur: utenſilia eis clauſa. pag. 313.

CAP. XXIX.

Etruſcorum inventum phaleræ: bellicus ornatus: conſularis. pag. 317.

CAP. XXX.

Etruſcorum inventum paludamenta, quorum geſtamen illa more Romano: dicta & chlamys eadem veſtis. pag. 319.

CAP. XXXI.

Etruſcorum inventum prætexta: quæ veſtis, & quorum abolla dicta. pag. 320.

CAP. XXXII.

Etruſcorum inventum calcei militares, qui & Tyrrheni dicti: & crepidæ: faſciis ligati. pag. 322.

CAP. XXXIII.

Etruſcorum inventum calcei ſenatorii: dimidiatæ lunæ figuram adſutam illi habebant: anſulis ſtricti: coloris nigri: patricii dicti. pag. 323.

CAP. XXXIV.

Etruſcorum inventum cothurni, ſive calcei tragici: iidem & venatorii. pag. 325.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXV.

Volumnius Tuſcas tragœdias ſcripſit: primus apud Græcos tragœdus: item & apud Romanos: & Poeta Tuſcus ſub Auguſto. pag. 326.

CAP. XXXVI.

Etruſcorum inventum triumphus, & ejus pompa ſive apparatus: triumpus & triumphus: alii populi ante Romam conditam triumphabant. pag. 328.

CAP. XXXVII.

Etruſcorum inventum currus triumphalis: is rotundus, turris inſtar: coronis penſilibus ornatus. pag. 332.

CAP. XXXVIII.

Etruſcorum inventum equi quatuor, triumphi currui juncti: illi albi: ab aliis animalibus, etiam hominibus, currus tracti. pag. 333.

CAP. XXXIX.

Etruſcorum inventum corona triumphalis, laurea & aurea a carnifice ſuſtinebatur in eodem curru: duplex illa, ſolida ex auro, Etruſca dicta, & inaurata, lemniſcis obducta: aurum coronarium: in ſinu Jovis deponi ſolita. pag 334.

CAP. XL.

Etruſcorum inventum toga picta: quæ fuerit illa, & quorum geſtamen. pag. 337.

CAP. XLI.

Etruſcorum inventum tunica palmata, geſtamen Regum, Conſulum, Triumphantium. pag. 339.

CAP. XLII.

Etruſcorum inventum Gladiatores: illi in theatris, in funeribus, in conviviis lege poſtea ſublati a piis Imperatoribus. pag. 340.

CAP. XLIII.

Pythagoras Etruſcus, ab eoque Philoſophiæ nomen inventum: & ejus ſymbola ab Etruſcis obſervata. pag. 343.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XLIV.

Pythagoras Etruſcus ſphæræ mechanicæ inventor : & de Archimedis ſphæra. pag. 345.

C A P. XLV.

Pythagoras Etruſcus Geometriam excoluit. pag. 345.

C A P. XLVI.

Antiquiſſimis temporibus apud Etruſcos moneta ſignata : prima pecunia ratitus quadrans, a ratis effigie : materia numiſmatum, corium, teſta, plumbum, æs, argentum, aurum : vultum Principum ſolitus ſibiiſme-tis inſculpi, ſed ſupremorum tantum. pag. 346.

C A P. XLVII.

Etruſcorum inventum claves oſtiorum, & de iis : cuſtodiebantur ab uxoribus, in divortio adimebantur. pag. 351.

C A P. XLVIII.

Etruſcorum inventum ſeræ oſtiorum : penſiles illæ : virgas geſtabant Janitores. pag. 352.

C A P. XLIX.

Phialæ Etruſcorum opificium : earum uſus ad convivia, & libationes. pag. 353.

C A P. L.

Etruſcorum mos circumferre pocula, & ad numerum bibere : & lex convivalis de potatione. pag. 354.

C A P. LI.

Etruſcorum opificum candelabra, & de lychnis, ſeu lychnuchis, quæ candelabrorum olim loco : artium plurium inventores illi, & valde ingenioſi. pag. 356.

C A P. LII.

Fulvius Lippinus in Etruria vivaria invenit beſtiarum. Modus eas ſaginandi : Leporaria dicta. pag. 358.

C A P.

C A P. LIII.

Floridæ veſtes in uſu apud Etruſcos: dictæ a colore florum, quos imitarentur: carinæ, & hialinæ a diverſo colore. pag. 359.

C A P. LIV.

Apud Etruſcos maſtrucæ, ſeu veſtes villoſæ in uſu: iis fortes uſi potiſſimum, & præ aliis Gothi. pag. 361.

C A P. LV.

Apud Etruſcos vinearum ſatio: non omnes gentes jus eas colendi habuerunt: tributum iis impoſitum. pag. 363.

C A P. LVI.

Apud Etruſcos arborum pomiferarum ſatio: & de Pomona, & Pomonali flamine. pag. 365.

C A P. LVII.

Etruſcorum inventum falces arborariæ: veneficiis adhibitæ ahenæ: pag. 366.

C A P. LVIII.

Etruſcorum inventum agricultura, ſaltem in Italia: de Cerere quadam. pag. 366.

C A P. LIX.

Etruſcorum inventum medicina, licet Ægyptii, Arabes, Græcii, aliique populi ejus ad ſe inventionem trahant: ſera Romam migravit, medicique ſervorum numero. pag. 370.

C A P. LX.

Muſicam Romani ab Etruſcis ſumpſere: ea conviviis intereſſe ſueta: hydraulica in uſu inſtrumenta, choraules, thymelici, pſaltriæ, tympaniſtriæ. pag. 372.

C A P.

C A P. LXI.

Caſſis militaris ab Etruſcis ſic dicta: ea aquam circumferre, & bibere ſueti milites: pennis gemmiſque diverſicoloribus ornabatur, rictuque belluarum horrendo. pag. 375.

C A P. LXII.

Etruſcorum inventum cornua bellica ex cornu bubulo, poſtea ex ære: buccina eadem: cornicines æneatores. pag. 377.

C A P. LXIII.

Ab Etruſcis acies militares diſponere Romani didicerunt. pag. 378.

C A P. LXIV.

Etruſci phalangem habuere: octo hominum millibus conſtabat. pag. 379.

C A P. LXV.

Etruſcorum in bellis nobilitas, & ab iis Velites aciei adhibiti, & quis eorum uſus: expediti dicti. pag. 380.

C A P. LXVI.

Apud Etruſcos ærea tibia: varius ejus uſus, bello, ludis, ſacris, funeribus. pag. 381.

C A P. LXVII.

Iterum Etruſcorum in bellis virtus: olim ænea tuba ab iis inventa, & quidem Piſis a Piſeo aut Meleo, aut Vetulonie: Græca vocabula a barbaris pro Latinis uſurpata: concha pro tuba, & tibia, & ſiſtrum. pag. 384.

C A P. LXVIII.

Etruſcorum inventum molæ: ſervi ad eas damnati, qui & aſini dicti: eorum manſiones præſepia, uti immundorum, haræ: aſini & equi velatis capitibus: molæ aquariæ, olearia: earum partes: Fornax Dea. pag. 389.

C A P. LXIX.

Etruſcorum inventum atria: quæ loca eſſent: templorum primum, mox ædium profanarum: imagines in iis, & vela: porticibus reſpondent: eorum ornatus: ſervi, iis præfecti, atrienſes. pag. 393.

CAP. LXX.

Etruſcorum inventum columnæ Tuſcanicæ dictæ: in mediis ædibus: arma ſuſtinebant: æratæ: in iis leges ſculptæ: ſepulchris impoſitæ. pag. 399.

CAP. LXXI.

Etruſcorum inventum ludi: diverſis linguis editi, Oſci: & quia in Deorum falſorum honorem excogitati, Chriſtianis interdicti: colores in iis quatuor, mox ſex: eorum cauſa, & factiones uſque ad Reipublicæ interitum. pag. 402.

CAP. LXXII.

Etruſcorum inventum ludii, ſive hiſtriones: planipedes, moriones, gelaſini, geletopi, copreæ, & pantomimi: præmia iis, & corona data: ſchola geſticulatorum. pag. 407.

CAP. LXXIII.

Etruſcorum inventum equi jugales in ludis: victores abſinthium bibebant: & quis quadrigæ ſit auctor: equi nobiles. pag. 413.

CAP. LXXIV.

Etruſcorum inventum pugiles in ludis, & eorum unctura: corpora nudata, Græcorum inſtituto, haud recte: nuditas libidinis incentiva: juramentum. pag. 419.

CAP. LXXV.

Lanificii uſus apud Etruſcos de lanificiis matronalibus. pag. 422.

CAP. LXXVI.

Etruſcorum opificium fictilia, & quidem Arretii: eorum pretia: uſus in conviviis, templis: vocata gryte, & catinus, & frivola, & ſympunium, & caudes. pag. 424.

CAP. LXXVII.

Etruſcorum in Italia inventum Plaſtice: ſimulachra Deorum fictilia: Tuſcanica dicta: aurea poſtea. pag. 429.

CAP.

CAP. LXXVIII.

Etruſcorum mos in corticibus arborum ſcribere: item in cera, in linteis textis, in ligneis tabulis, in ære, in charta expreſſæ literæ, in membrana, in plumbo: minium primis literis additum, cornua & umbilicus. pag. 430.

CAP. LXXIX.

Ab Etruſcis acceptæ fabulæ Atellanæ, ſeu Oſcæ: earum partes, & diſtributio: eſodium, embola, exodium, ſales: Poëtæ Urbici dicti, & cum his cantores. pag. 436.

CAP. LXXX.

Etruſcorum inventum carmina nuptialia, ſive Feſcennini verſus. pag. 438.

CAP. LXXXI.

Etruſcorum inventum navis, & illa ex corio & vimine, Britannorum ritu, ſeu Scotorum: ex abiete, ex alno: tutela: varia genera: nomina unde: pag. 439.

C·A P. LXXXII.

Etruſcorum inventum roſtra navium, & naves roſtratæ. pag. 442.

CAP. LXXXIII.

Etruſcorum inventum anchora. pag. 443.

CAP. LXXXIV.

Etruſcorum Piratica, myoparones, ſtlatæ, cilices, & in eos bellum. pag. 443.

CAP. LXXXV.

Etruſcorum inventum leges in Italia: ab iis duodecim Tabularum ſupplementum Romani ſumpſerunt. pag. 445.

CAP. LXXXVI.

Etruſcorum inventum Jura Fecialia, & Fecialium poteſtas in rebus bellicis: haſta & caduceo armati, illum jacebant bellum indicturi. pag. 447.

CAP. LXXXVII.

Etruſcorum haſta Velitaris: & de Velitum armaturis pauca. pag. 449.

CAP. LXXXVIII.

Etruſcorum pilum, & quale id teli genus fuerit: nomina inde Ducum Romanorum, Pilani, Primipilares. pag. 450.

CAP. LXXXIX.

Etruſcorum inventum venabula venatoria, quibus ingentis magnitudinis feras comminus excipiebant. pag. 451.

CAP. XC.

Etruſcorum inventum pretoria Ducum, ſive cælula, aut uraniſca: ea pellibus tegi ſolita: in obſidione Vejentum a Romanis uſurpata primum: papiliones: contubernales dicti, qui ſub iisdem pellibus milites hiemaſſent. pag. 453.

CAP. XCI.

Etruſcorum inventum ſcorpio, tormentum poliorceuticum, atque etiam telum: duplex, major, minorque: onager etiam dictus. pag. 455.

CAP. XCII.

Etruſcorum uſus bis in die menſas ponere: & Romanos ſemel tantum comedere ſolitos, idque veſperi: prandia non ſemper in uſu. pag. 457.

CAP. XCIII.

Etruſci poculis argenteis utebantur: in duplici genere, cælata, & pura: miniſtri ab argento, qui ea aſſervabant, dicti. pag. 459.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XCIV.

Etruſcis in uſu ſervi delicati, probeque veſtiti, qui menſis famularentur: Romani hoc etiam æmulati, pueros Alexandrinos, & ſymphoniacos in triclinia admittebant. pag. 461.

CAP. XCV.

Etruſcorum mores delicati ab Auctore perſtricti: æmulati Romani Gaditanas puellas menſis adhibebant. pag. 463.

PRÆ-

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

AD LIBRUM PRIMUM.

IN Pandia gemma, etiam[1] immobili, varii ſe oſtentant colores: ita venerandus ipſe Etruriæ aſpectus, etiam gentis potentiam & gloriam ignoranti peregrino, quid olim fuiſſet, ingeſſit, atque ultro inſinuavit; nam hoc mare portuoſum, hi colles frugiferi, hic Apenninus perpetuo jugo, veluti excubias præſtiturus, hi amnes piſcoſi, agri fertiles, nemora opaca, & viridanti coma ſilvæ pampinatæ, tot civitates, mutatis licet nomine, ſitu, interdum & ſalubritate, tot arces amœnæ, tot valida propugnacula, denique ingens rerum geſtarum fama accenderunt animum, ut qui primis ſeculis tam felicem terram coluiſſent, inveſtigare vellem: quod non verboſe, neque[2] Abydeno more, ſed ubique laudatis idoneis auctoribus agendum cenſui. Dent modo Etruſci eruditiſſimi veniam, peregri-

(1) Caſſiod. libr. 5. Epiſt. 34. (2) Suid.

regrinum nomen cum ſuorum majorum laudibus haud ingravate legi: [1]

Si modo coniferas inter viburna cupreſſus,
Aut inter pinos corilum frondeſcere fas eſt.

LIBER

(1) Nemeſian. Eclog. 2. fine.



Vas. Fic. Al. un. X. in Mus. Mediceo

LIBER PRIMUS

Etruſci, & Etruria unde: Etruria, an Hetruria efferendum? Etruri, idem ac Etruſci: R. & S. litteræ uſus: termini regionis: barbaro ſeculo Tuſcani dicti, & Tuſcianenſes.

CAP. I.



ETRURIAM bello juxta, paceque olim florentem, ac bis mille annis Regibus parentem, variaſque humanæ viciſſitudinis vices expertam, nunc tandem ſub Sereniſſimis principibus Monarchico imperio reſtitutam, pietate, eruditione, divitiis pollentem illuſtraturus, a nomine exordium duco. Ivo Carnotenſis MS. ex Bibliotheca Auguſtiſſimi Regis Britanniarum, in opere de undecim Europæ Provinciis: *Etruſci populi indigenæ in bello fortes, in pace pietati deditiſſimi, ab Etruſco Herculis filio nominati, qui cum patre ex Hiſpania in Italiam trajiciens, genti illi præfuit, Regiſque munus glorioſe obivit, quod nomen antea habuerint, ignoratur.* Servius

Digitized by Google

Honoratus ad libr. 10. Æneid. v. 164. *Etruria ab Etruſco Principe*. Fanucius Campanus, & ipſe egregius auctor, MS. quo utor beneficio Reverendiſſimi D. Raphaëlis Roncionii, Patricii Piſani, ad bonas literas nati, & ibidem Archipresbyteri: is ergo libr. 2. de Familiis illuſtribus Italiæ cap. 2. *Etruſci populi ſunt antiquiſſimi & nobiliſſimi, & præ ceteris Italiæ populis, eorum, quæ ad religionem & ſacrificia pertinent, ad ſuperſtitionem uſque ſtudioſi erant. Horum metropolis fuit civitas Etruria, & ſub ſe continet hos populos, ſcilicet: Tuſcos, Tyrrhenos, Faliſcos, Vejentes, & Ciminos*. Aliter profecto, quam quiſquam Coſmographorum, & nec civitas ulla apud eos Etruria, nec ea populorum diviſio, quam ille, neſcio unde, aut quam vere, induxit. Servius Maurus Honoratus ad libr. 11. Æneid. v. 596. *Etruria dicta eſt, vel quod ejus fines tendebantur ad proximam ripam Tiberis, quaſi* ἑτεροῦρια; *nam* ἕτερος *eſt alter, &* ὅρος *finis vocatur. Roma enim antea unam tantum Tiberis ripam tenebat*. Juvenalis:

Quæ imperii fines Tiberinum virgo natavit.

quidam ſane & ruri legunt (reſtituendum eſt omnino *& Etruri legunt*) *ab Eturie trus* .... *trans Tiberim enim Etruriam dicebant, homines Etruros, quos nunc Etruſcos*. Ex quibus, etſi truncatis Servii verbis, non eſt obſcurum elicere, antiquiſſimam hanc regionis fuiſſe appellationem: *Etruroſque* idem, ac *Etruſcos*, veteri conſuetudine valuiſſe; nam ante Appium Claudium nullus erat literæ R uſus: poſtea ea inventa ab eo, promiſcue dictionibus illæ adhibebantur literæ R. S. Pomponius J. C. l. 2. §. juris civilis ff. de orig. jur. Hic Appius fuit cognomento Craſſus, Conſul cum Camillo Anno 405. ut patet ex tabulis Capitolinis; uſque adeo ut *vapos, labos, arbos*, abjecta litera R, aſſumptaque S. dicerent. Quintilian. libr. 1. cap. 6. Rationem putaverim, quod R *canina littera* vocaretur. Q. Caſſiodor. in Pſalm. 73. gloſſ. vet. *birrire canum, ringere*. A Perſius ſat. 1. ad finem. Lucilius apud Ælium Donatum in Adelphos:

Irritata canis quod R complurima dicat.

Ab hoc more *Etruri, Etruſci* ſunt dicti: & *Etruria, Etruſia*. Fatue hic, ſtolideque ineptit Leander Albertus, qui pag. 24 *Etruſcos ab Etruria regione* deducit: & cur non verius ab Etruſcis populis Etruria regio? Sed hoc inſulſiſſimus ei perſuaſit Annius Viterbienſis. Si Etruſci ab Etruria, Etruria unde? Somniat deinde uterque Monachus de Etruſca gente, & Etruſca civitate; ſed ego pergo. Iſidor. libr. 14. cap. 4. *Etruria pars Italiæ dicta, quod ejus fines tendebantur uſque ad ripam Tiberis, quaſi* ἕτερος ὅρος, *ulterior terminus; Romæ enim finis antea una tantum Tiberis ripam tenebat*. Servii verba, ut ſolet, tranſcripſit. Alii Etruriam ab Etruſco principe putant. Hoc quoque juris controverſi, *Etruriane*, an vero *Hetruria* efferendum? Græci Scriptores, & derivatio omnino convincunt *Etruriam* dicendum; ita omnes Latinorum etiam codices. Martian. Capella libr. 6. Nupt. *Etruria regio tam indi-*

getis

getis Æneæ fœdere, quam remediorum origine, atque ipſius Tagetis exaratione celebrata. Ita vulgata lectio; at in MS. *Etruria regio a rege Etruſco tam indigetis*. At uſus obtinuit apud aliquos contra rationem, ut *Hetruria* ſcriberetur. Lapis vetus Romæ ad D. Cæſarii, non longe a ponte Sixto. (1)

L. TARQVINIO
L. F. POM
ETRVSCO
SVLPICIANO
SCRIBAE. QVAESTOR
EX. TESTAMENTO
D. H-S XX

Alius in agro Senenſi in pila aquæ benedictæ.

L. TITI. T. F
ETRVSCI

Termini ab initio latiſſimi; nam & Mantuam, & Bononiam, & Genuam, & Mediolanum inde; hinc vero Capuam, Nolam, Puteolos, adeoque Volſcos, & Campanos omnes Etruſcis fuiſſe ſubjectas colonias infra hoc opere diſſeretur; quin imo Diodor. Siculus libr. 5. Λάπεται δ' ἡμῖν εἰπεῖν περὶ τῶν Τυῤῥηνῶν. οὗτοι γὰρ τὸ μὲν παλαιὸν ἀνδρείᾳ διενέγκαντες, χώραν πολλὴν κατεκτήσαντο, καὶ πόλεις ἀξιολόγους καὶ πολλὰς ἔκτισαν. *Reſtat ut de Tyrrhenis etiam dicamus: hi quondam fortitudine præcellentes, magnum terræ tractum occuparunt, urbeſque multas, & celebres condiderunt*. Faventior T. Livius 1. Dec. libr. 1. *Tanta opibus Etruria erat, ut jam non terras ſolum, ſed mare etiam per totam Italiæ longitudinem, ab Alpibus ad fretum Siculum fama nominis ſui impleſſet*. Junius Philargyrius, doctiſſimus Grammaticus, ad libr 2. Georgic. v. 534. *Maximum enim imperium Etruſcorum in Italia fuit, ut ait Livius, ab Alpibus uſque ad fretum Siculum, unde totum mare, quod a dextra Italici litoris eſt, Tyrrhenum dicitur. Hoc Varro doctius dividit in provincias marinas*. Servius ad eumdem locum: *Secundum hiſtoriam, nam conſtat Tuſcos uſque ad fretum Siculum omnia poſſediſſe*. Neque vero tantum Italiæ principatum ab Alpibus, ſeu prima Liguria, uſque ad terminum ultimum Brutiæ tenuerunt, & armis pepererunt; ſed etiam extra Italiam longe lateque dominabantur. Anonymus Poëta in proſopopœja Tuſciæ:

Me Janus tenuit primus, formataque ab illo
Impoſui leges populis, & nomina ponto
Inferno & Supero, miſſos auxique colonos,
Imperiumque Italos trans fines, fœdera natis

 Dum

(1) Apud Grut. pag. 625. num. 4. ubi habetur L. TARQVITIO, &c.

Digitized by Google

Dum ſervata meis; ſed me diſcordia preceps
Romulea domitam genti ſervire coëgit,
Que decus antique longo poſt tempore lingue
Auxilii male grata mei, male grata laborum
Abſtulit, & manſit nomen, quod thura dederunt;
Arcades, & Lydi, vel quod mutare Pelaſgi
Non auſi . . . .

Poſteriori tandem ſeculo, Romanis jam rerum potitis, arctior Etruriæ limes, ab amne ſcilicet Macra ad Tibridem: quo nomine comprehenſa regio illa, quæ vulgo *Toſcana*, & ejus pars *Umbria*. Incolæ vero *Tuſcani*, auctore vetuſto Anaſtaſio, Bibliothecario S. R. E. qui vivebat ann. 867. Is in Stephano IV. *Tuſcani, & Campani Romæ aggregati*. Iidem & *Tuſcianenſes* dicti. Idem in Zacharia: *Ramingum Caſtaldum Tuſcanenſem*: & in Leone III. *In territorio Orbetano intra fines Cluſinienſes, ſeu Tuſcianenſes*. Sed hæc vocabula barbaro tantum ævo uſurpata.

Tuſcia & Tuſci a thure nomen deductum non videri, quod thuris uſus non ſit antiquus: Tuſci, an Thuſci? a Rege vox tracta.

CAP. II.

HOc etiam iſti provinciæ nomen, incoliſque impoſitum. Dionyſ. Halicarn. libr. 1. pag. 24. (1) Καὶ ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας τῶν περὶ τὰ θεῖα σεβάσματα λειτουργιῶν, διαφέροντας ἐς αὐτὴν ἑτέρων, νῦν μέντοι ἀσαφέστερον, πρότερον δ' ἀκριβοῦντες τοὔνομα ὥσπερ Ἕλληνες Θυοσκόους ἐκάλουν. *Et ob excellentem ſacrorum, ac divini cultus peritiam, nunc quidem obſcurius Thuſcos, olim vero exactiori voce quemadmodum Greci Thyoſcoos vocabant*. Paul. Varnefrid. libr. 2. Hiſt. Longobard. c. 16. *Sexta provincia Thuſcia eſt; que a Thure, quod populus illius ſuperſtitioſe in ſacrificiis Deorum ſuorum incendere ſolebat, ſic appellata eſt.* Ivo Carnotenſis MS. *Thuſci, vel a thure, vel etiam a rege Thuſco nominati videntur*. Fanucius Campanus & ipſe MS. *Thuſci a thure dicti ſunt, ob ſacrificiorum frequentiam, quorum municipium principale fuit Sena*. Itaque Coſmographo & Hiſtoricis nullum dubium, ſed unanimis conſenſus. Audiamus Grammaticos. Servius Maurus ad libr. 2. Æneid. v. 784. *Thuſci a frequentia ſacrificii dicti ſunt, hoc eſt ἀπὸ τοῦ θύειν a ſuffiendo*. Eadem repetit ad libr. 10. Æneid. v. 164. & addit, quod nullus alius, quod legere quidem memini, aſſeruit: *Thuſcos bene dicimus populos: Thuſciam vero non debemus dicere, quia nequaquam in idoneis auctoribus legitur*.
Et

(1) Edition. Francof. 1586.

Et de ſacrificiis repetit idem ad libr. 8. Æneid. v. 477. Ea denique ex illo, more ſuo, tranſcribit Iſidorus Hiſpalenſis libr. 14. cap. 4. Ex his liquido conſtat, aut *a thure*, aut ἀπὸ θύειν, *ab adolendo*, appellationem genti impoſitam; quare non eſt admodum vetuſta ea dictio: quod manifeſtum faciam. Nam diu poſt heroica tempora, ac ne regnante quidem Numa Pompilio, thuris aut notitia, aut in ſacris uſurpatio. C. Plin. libr. 13. cap. 1. *Iliacis temporibus thure non ſupplicabatur*. Pleniori manu Arnobius libr. 7. adverſus gentes: *Percunctamur de thure, unde, aut quo tempore noſſe illud, aut ſcire poteritis, ut merito exiſtimetis aut eſſe diis daudum, aut eorum acceptiſſimum voluntati: novella enim propemodum res eſt: neque annorum inexplicabilis ſeries, ex quo ejus notitia profluxit in has partes, & delubris meruit intereſſe divinis; neque enim temporibus, quemadmodum creditur & perhibetur, heroicis, quidnam eſſet thus, ſcitum eſt, ſcriptoribus ut comprobatur a priſcis, quorum in libris poſita nulla ejus mentio reperitur: neque genitrix & mater ſuperſtitionis Etruria opinionem ejus novit, aut famam, ſacellorum ut indicant ritus, neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in uſum cuiquam venit, ſacra res quum fieret: neque ipſe Romulus, aut religionibus in comminiſcendis artifex Numa aut eſſe ſcivit, aut naſci*. Certe itaque antiquo ævo thus ignotum, at ſub Romanis cupidiſſima ſuperſtitione diis oblatum, & maxime Jano, ut docui libr. 2. Antiquitat. Roman. cap. 3. Pro thure unguentis utebantur, ad ſuffienda deorum altaria, & ſulfure, de poſteriori Dioſcorides Pedavius libr. 5. cap. 124. Homerus, apud quem nulla thuris mentio, ſulfuris ad purgandas ædes ſacras, aut noxium quemlibet halitum eximendum, adhibiti meminit libr. 22. Odyſſ. in fine. Plinius libr. 35. cap. 15. Ita Poëtæ. Tibull. libr. 1. Eleg. 5.

Ipſeque ter circum luſtravi ſulfure puro,
Carmine cum magico præcinuiſſet anus.

Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 9.

Dein quemcumque locum externa tetigere puellæ,
Suffit, & pura limina tergit aqua.
Imperat, & totas iterum mutare lucernas,
Terque meum tetigit ſulfuris igne caput.

D. Juvenal. Satyr. 2. in fine:

. . . . cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulfura cum tædis, & ſi foret humida laurus.

Ovid. libr. 7. Metamorph. fab. 1.

Terque ſenem flammis, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

Et libr. 2. de Arte:

Præferat & tremula ſulfur, & ova manu.

Papin. Stat. libr. 4. Thebaid. v. 416.

Viſceribus laceris, & odori ſulfuris aura,
Graminibuſque novis, & longo murmure purgat.

De

De unguentorum, aut odoriferarum ſtirpium ſuffitu ante thuris inventionem, Alcimus Avitus libr. 3. v. 237.

Vivida quin etiam miſcebant cinnama thalli;
Et ſuffita domus pingui fragrabat amomo.

Non igitur a thure, cujus nullus antiquitus uſus, ut oſtenſum, nomen hæc regio habuit, & errant, qui ita cenſent; ſed *a rege Tuſco*. Ivo Carnotenſis initio hujus capitis. Feſtus Pomp. libr. 8. *Tuſci a Tuſco rege filio Herculis ſunt dicti*. Servius Maurus ad v. 71. libr. 1. Æneid. paulo aliter *a Tyrrheno quodam, qui ſubmerſus fuit in mari, quod Tuſciam alluit, cujus filius Tuſcus, a quo fuit Tuſcia*.

Anxie quoque viri docti inquirunt: *Tuſcia*, an vero *Thuſcia* ſit efferendum. Lapides adſcribam. Unus eſt Præneſte. [1]

Quos . Vmber . Sulcare . Solet . Quos . Tuſcus . Arator .

Orta difficultas vel potiſſima a thure, quod quidam *a tundendo* deduxerunt. Soſipater Chariſius libr. 1. Alii ἀπὸ τῦ θύειν, *a ſuffiendo*: inter quos eſt Julius Modeſtus; ſed lapides, ut dixi, ſine aſpiratione paſſim efferunt, & exempla apud Aldum Manutium in Ortographia. Vide Inſcript. 4. c. 2. quam inſcriptionem paulo diverſam reperies apud Wolfgangum Latium libr. 2. Commentarior. Reip. Roman. cap. 7. pag. 186. Alter lapis in ædibus Capranicorum. [2]

ASTERII

L. TVRCIO. APRONIANO. V. C
FILIO. L. TVRCII. APRONIANI. V. C
PRAEFECTI. VRBI[3]. NEPOTI
L. TVRCII. SECVNDI. V. C. CONSVLIS
QVAESTORI. PRAETORI. QVINDECIM[4]
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC
TORI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE. OMNI
VIRTVTE. PRAESTANTI. STATVAM
EX. AERE. ORDO. SPOLETINORVM
AD. MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS
CONLOCAVIT

CVRANTIBVS. FLAVIO. S. P. R. V. P. [5] ET. CONDO
NIO. TAVRO. IVN

POST. AMANTI. ET. ALBINI. COS

Viſi-

(1) Apud Gruter. pag. 72. num. 5. (2) Grut. pag. 476. num. 7. (3) Gruter. VRBIS. (4) Grut. QVINDECEM. [5] Gruter. SPE. V. P.

Viſitur alius etiam Narniæ ad portam antiquiſſimam. (1)

T.·.·.·. IL.·.·. AVII
P. PVBLILIO. CAEIONIO
IVLIANO.
CORRECTORI. TVSCIAE. ET
VMBRIAE. OB. INSIGNIA. EIVS
GESTA. ET. INLVSTRE. NOMINIS
ET. RATIONIS. MERITVM
ORDO. NARNIENSIVM. VNA. CVM
CIVIBVS. STATVAM. CONLOCAVERVNT
PATRONO. DIGNISSIMO

Quintum lapidem poſſidet Interamnæ Statius Donatus. (2)

IVLIO .·.·.·.·. EVBVLIDAE
C. V. CORR. TVSCIAE
X. VIRO. PRAEFECTO
AERARII. S. SATVRNI

OB. INLVSTRIA. IPSIVS
MERITA. ET. AMOREM. IVX
TA. CIVES. ORDO. INTE
RAMNATIVM. PATRONO

Denique ſextam Inſcriptionem extare dicunt Florentiæ. (3)

APPIVS. CLAVDIVS
C. F. CAECVS.
CENSOR. COS. BIS. DICTATOR. INTERREX. III
PR. II. AED. CVR. II. Q. TR. MIL. III. COM
PLVRA. OPPIDA. DE. SAMNITIBVS. CEPIT
SABINORVM. ET. TVSCORVM. EXERCI
TVM. FVDIT. PACEM. FIERI. CVM. PYRRHO (4)
REGE. PROHIBVIT. IN. CENSVRA. VIAM
APPIAM. STRAVIT. ET. AQVAM. IN
VRBEM. ADDVXIT. AEDEM. BELLONAE. (5)
FECIT

Tyrrhe-

(1) Apud Gruter. pag. 387. num. 2. & pag. 460. num. 4. (2) Gruter. pag. 422 num. 1. (3) Nunc in Muſæo Magni Ducis. (4) Errore lapidarii TYRRO. (5) In marmore BELLONA, ſed E videtur detrita cum marmore.

Tyrrheni, Turrheni, Tyrſeni: Tyrrhenia: indigenæ, an advenæ? a Rege appellationem ſortiti: claritudo, & bella prima: Metropolis: Romulus inde ortus.

CAP. III.

GEns eadem *Tyrrhenia* dicta, & Latino more *Turrhenia*, Y. in U. mutato, quod ſæpe contingit: quod a Gaſpare Scioppio notatum: iidemque *Turreni*, aut *Tyrrheni*, ac *Tuſci*, vel *Etruſci*. Suidas in voce Τυρσηνία χώρα. Vet. Gloſſ. *Etruſca* τυῤῥενή. Sunt eruditi nonnulli, qui a turribus, quas græce τύρσεις dicunt, eos *Tyrſenos* nominatos volunt. Dionyſ. Halicarnaſs. libr. 1. Antiquitat. Roman. Τὺς δὲ Τυῤῥηνὺς οἱ μὲν αὐτόχθονας Ἰταλίας ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ ἐπήλυδας, ϗ τὴν ἐπωνυμίαν αὐτοῖς ταύτην, οἱ μὲν αὐθιγενὲς τὸ ἔθνος ποιοῦντες ἀπὸ τῶν ἐρυμάτων, ἃ πρῶτοι τῶν τῇδε οἰκούντων κατεσκευάσαντο τεθῆναι λέγουσι. τύρσεις γὰρ ϗ παρὰ Τυῤῥηνοῖς αἱ ἐντείχιοι ϗ στεγαναὶ οἰκήσεις ὀνομάζονται, ὥσπερ παρ' Ἕλλησιν. ἀπὸ δὲ τῦ συμβεβηκότος ἀξιῦσι τεθῆναι τοὔνομα, ὥσπερ ϗ τοῖς ἐν Ἀσίᾳ Μοσυνοίκοις. *Hos quidam ajunt indigenas eſſe Italiæ, quidam advenas, & qui negant eos externi eſſe generis, nominatos dicunt a domicilis munitis, quæ primi in his regionibus ſtruxerunt; turres enim ut Tyrrheni, ita Græci Tyrſes, clauſa muris, & firma ædificia nominant. Volunt igitur ex re nomen eos inveniſſe, ut in Aſia Moſynæcos.* Et τύρσις quidem pro *turre* uſurpatur, cum ab optimis Scriptoribus Græcis, tum a Xenophonte libr. 7. Pædiaſ. pag. 190. Et libr. de Expedit. Cyri 4. pag. 327. Et libr. 5. ejusdem operis ſæpe poſt principium. Et eodem opere libr. 7. ad finem. Vide loca. Hæc eſt prima opinio ab ædificiis ſic dictos, ut Hamaxobios audimus apud Herodotum, Burgundiones in nuperis Francorum hiſtoriis: quod ſi verum, indigenas eos eſſe oportet. Rutil. Numatian. libr. 1. Itinerar. in fine:

Famam Lachanii veneratur numinis inſtar
Inter Turrigenas Lydia tota ſuos.

M. Lucan. libr. 2. v. 429.

Gallica rura videt, devexaſque excipit Alpes:
Tunc Umbris, Marſiſque ferax, domituſque Sabello
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnes
Indigenas Latii populos, non deſerit ante
Heſperiam, quam cum Scylleis clauditur undis.

Ex quibus verbis Etruriam cultam ab indigenis teſtatur: quod & lingua diverſiſſima a Græca, Latina, Aſiaticiſque omnibus idiomatis oſtendit,

dit, ut doceo cap. ult. hoc libr. 1. infra, & aliquid obiter J. Tzetzes in ſcholiis ſuis ad Lycophronem. Altera ſententia eſt, Aſiaticorum Tyrrhenos eſſe colonos. Plutarchus in Romulo: Διὸ καὶ νῦν ἔτι θύοντες ἐπινίκια, γέροντα μὲν ἄγουσι δι' ἀγορᾶς εἰς Καπετώλιον ἐν περιπορφύρῳ βοῦλλαν αὐτῷ παιδικὴν ἄψαντες, κηρύττει δ' ὁ κῆρυξ, Σαρδιανοὺς ὠνίους, Τυῤῥηνοὶ γὰρ ἄποικοι Σαρδιανῶν λέγονται. *Unde manſit, cum ob partam victoriam ſacrificant, ut ſenem per forum in Capitolium traducant in prætexta, cui bullam puerilem addunt, & proclamat preco: Sardeis venales; nam Sardium* (male Lapus *Sardianorum* vertit) *fama eſt Etruſcos colonos eſſe*. Adi parœmiographos.

Tertio placet quibusdam, *Etruſcos* quidem αὐτόχθονας, ſeu indigenas eſſe; ſed *Tuſcos*, *Lydos*, *Tyrrhenos* ex Aſia veniſſe, uti & *Pelaſgos*, & *Arcades*, quorum commixtione una gens, unuſque populus coaluerit, nomine mutato. Feſtus Pomp. libr. 18. ex Verrio Flacco: *Turrhenos Etruſcos appellari ſolitos, ait Verrius, a Turrheno duce Lydorum*. Servii Honorati Grammatici verba ſunt ad v. 71. libr. 1. Æneid. *Forte autem receſſit Tyrrhenus a fratre ſuo Lydo, quærens aliam terram, dimiſit ſuam, regnumque fratri, ſed prævenit ſubmerſio illius; evaſit vero filius ejus, & habitavit in Tuſcia*. Et ad v. 781. libr. 2. Æneid. *Lydius Tibris, ſic dictus a fratre Tyrrheni; Tuſci enim a Lydis originem ducunt; nam Lydus & Tyrrhenus duo fratres, cum eos provincia una non ferret, in ſortem miſerunt, ut diviſis copiis proficiſceretur unus ad novas ſedes quærendas. Profectus Tyrrhenus eſt, qui ex ſuo nomine Tuſcos Tyrrhenos vocavit*. Ejusdem ſunt etiam iſta ad v. 470. libr. 8. Æneid. *Supra diximus, Mæoniam provinciam eſſe, cujus dum brevitas duos fratres, Lydum & Tyrrhenum, ferre non poſſet, ex ſorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus eſt, & partem Italiæ tenuit, & Tyrrheniam nominavit*. Quod alii ſponte Tyrrhenum egiſſe, ille ut ageret, ſorte inductum prodit; ſed parum eſt diſcriminis, dummodo conſtet, illum & multitudinis ducem fuiſſe, & in Italia conſediſſe. Ipſe Virgilius loco proxime laudato:

. . . . Lydia quondam
Gens bello præclara, jugis inſedit Etruſcis.

Coſmographos ſubnectam Julius Solinus cap. 8. Polyh. *Quis ignorat &c. Tyrrhenos a Tyrrheno Lydiæ rege dictos?* C. Plin. libr. 3. cap. 5. *Umbros inde exegere antiquitus Pelaſgi, hos Lydi, a quorum rege Tyrrheni, mox a ſacrifico ritu lingua Græcorum Tuſci ſunt cognominati*. Strabo Amaſianus libr. 5. Geograph. pag. 151. Οἱ Τυῤῥηνοὶ τοίνυν παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις Ἐτρούσκοι καὶ Τοῦσκοι προσαγορεύονται, οἱ δ' Ἕλληνες οὕτως ὠνόμασαν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ Τυῤῥηνοῦ τοῦ Ἄτυος, ὥς φασι, τοῦ στείλαντος ἐκ Λυδίας ἀποίκους δεῦρο. ἀπὸ γὰρ λιμοῦ καὶ ἀφορίας ὁ Ἄτυς εἷς τῶν ἀπογόνων Ἡρακλέους, καὶ Ὀμφάλης, δυοῖν παίδων ὄντων, κλήρῳ Λυδὸν μὲν κατέσχε, τὸν δὲ Τυῤῥηνὸν τὸν πλείω συστείλας λαὸν, ἐξέστειλεν. ἐλθὼν δὲ τὴν χώραν ἀφ' ἑαυτοῦ Τυῤῥηνίαν ἐκάλεσε, καὶ δώδεκα πόλεις ἔκτισεν. Vertit Guil. Xilander, vir eruditus: *Tyrrheni ergo a Romanis Etruſci & Tuſci nominantur: Græci ſic appellarunt a Tyrrheno Atyos filio, qui eo coloniam ex Lydia duxerit; fame enim, & ſterilitate coactus Atys, unus ex Hercule &*

Omphale prognatis, de duobus filiis alterum, Lydum nomine, ſortito detinuit: alterum Tyrrhenum, cum majore populi parte amandavit. Is quum in Italiam veniſſet, regionem a ſuo nomine Tyrrheniam nuncupavit, & duodecim urbes condidit. Hiſtoricos Grammaticis & Coſmographis adjungam, quo clarior res ſit. Vell. Patercul. libr. 1. *Per hæc tempora Lydus & Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydia, ſterilitate frugum compulſi, ſortiti ſunt, uter cum parte multitudinis patria decederet: ſors Tyrrhenum contigit: pervectus in Italiam, & loco, & incolis, & mari nobile ac perpetuum a ſe nomen dedit*. Dionyſius Halicarn. genus ejus ſic deducit: Manes, ex Jove & Terra genitus, primus Mœoniæ imperavit: ex hoc & Callirhoe, Oceani filia, natus Cotys: nupta Cotyi Halies, Tulli filia, duos enixa eſt filios, Adiem & Atym: ille duxit Callitheam, Chorœbi vel Torœbi filiam, ſive, ut alii vocant, Choræi, a qua ſuſcepit Lydum & Tyrrhenum. Καὶ τὸν μὲν Λυδὸν (ait ille libr. 1. pag. 21. (1)) αὐτοῦ καταμένοντα τὴν πατρῴαν ἀρχὴν καταλαβεῖν, ϗ ἀπ' αὐτοῦ Λυδίαν τὴν γῆν ὀνομασθῆναι, Τυῤῥηνὸν δὲ τῆς ἀποικίας ἡγησάμενον πολλὴν κτήσασθαι τῆς Ἰταλίας, ϗ τοῖς συναραμένοις τοῦ στόλου ταύτην θέσθαι τὴν ἐπωνυμίαν. *Lydum domi manentem ſucceſſiſſe in paternum imperium, ab eoque denominatam terram Lydiam: Tyrrhenum, coloniæ deducendæ auctorem, occupaſſe bonam partem Italiæ, ſociiſque profectionis ſuum impoſuiſſe vocabulum*. Eadem pæne Herodotus libr. 1. pag. 25. quem conſule, Sigiſmundum Gelenium Fridericus Sylburgius jure arguit. Q. Florens Tertullian. ex Timæo libr. de ſpectac. cap. 2. *Lydos ex Aſia tranſvenas in Etruria conſediſſe, ut Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri ſuo ceſſerat regni contentione. Igitur in Etruria inter ceteros ritus ſuperſtitionum ſuarum, ſpectacula quoque religionis nomine inſtituunt: inde Romani accerſitos artifices mutuantur, tempus, enunciationem*. Quem locum integrum & probiſſimæ ſententiæ fruſtra critici torquent: quem locum integrum verbatim Iſidorus Hiſpalenſis libr. 18. cap. 16. tranſcripſit, niſi quod verba nonnulla corrupta. L. Seneca ad Helviam matrem cap. 6. *Tuſcos Aſia ſibi vindicat*. Fanucius Campanus MS. libr. 2. de Illuſtrib. Italiæ Famil. cap. 2. *Tyrrheni a Tyrrheno quodam Atyos filio, qui relicta Mæonia in Italiam ſe contulit, & in ora maris Inferi conſedit, ac horum municipium fuit civitas Cariara*. Aut mendum eſt, aut nugæ de Cariara civitate Metropoli Tyrrheniæ: certe Stephanus libr. de Urbibus in Tyrrhenia tres κρότωνας urbes collocat, & harum unam eſſe vult Metropolim.

Gentem hanc Virgilius *bello præclaram* ſupra dixit: nec unquam Græci Scriptores aliter Etruriam, quam Τυῤῥηνίαν vocant. Philoſtrat. Iconib. pag. 759. & alii paſſim. Eorumque res geſtæ antiquiſſimis ſeculis cum Latinis memorantur. Serv. Maur. ad v. 426. libr. 7. Æneid.

Tyrrhenas, i, ſterne acies;

Sane notum eſt, bello multum potuiſſe Tyrrhenos, & fuiſſe præcipue infeſtos Latinis; ut libr. 8. Æneid. v. 54.

Hi

(1) Editionis Francofurt. anno 1586.

Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latina.

Iidem bellum non minus ſtrenue, quam neceſſario cum Siracuſanis geſſerunt, ut abunde deſcribit Diodorus Siculus libr. 14. Hiſtoriar. Ferunt etiam celebritate famæ allectum Homerum eam regionem inviſiſſe. Heraclid. Pontic. libr. de Politiis in Cephaleniis: Μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἐκ Τυῤῥηνίας Ὅμηρος παραβαλὼν εἰς Κεφαληνίαν καὶ Ἰθάκην, ὅτε τοὺς ὀφθαλμοὺς λέγεται διαφθαρῆναι νοσήσας. *Teſtatur etiam Homerus, ſe ex Tyrrbenia in Cephaleniam & Itbacam trajeciſſe, cum morbo correptus oculos amiſiſſet.* Memoriæ commiſit Alcimus hiſtoricus vetuſtiſſimus *ex Tyrrbenia natum filium Æneæ Romulum*, a quo longa ſerie Romulus ille, qui urbem Romam condidit, deſcendit. Feſtus libr. 16. in *Romam*. Ita Poëtæ. Claudian. de Bello Gildon.

> . . . . *quatitur Tyrrbena tumultu*
> *Ora* . . . .

M. Lucan. libr. 2. Pharſal. v. 401.

> . . . . *Tyrrbena vado frangentes æquora Piſæ.*

Sil. Italic. libr. 10. Punicor.

> *Cui ſi mutaſſet ſexum natura, reverti*
> *Forſan Tyrrbenas tibi non licuiſſet in oras*
> *Porſena*. . . . . . .

Et libr. 12. Idem:

> . . . . . . *ubi cum Tyrrbena natarent*
> *Stagna cruore virum.*

Joann. Tzetzes Chiliad. Hiſtoriar. 8 cap. 235.

> Ἐκ Τυῤῥηνῶν τὸ πανουργῶν τυρσεύειν ὠνομάσθη.
> *A Tyrrbenis docte agere, ſeu aſtute, Tyrſevein eſt dictum.*

Lydia, Lydi, voluptatibus ante appulſum in Etruriam dediti: ſortitio de principatu obtinendo: a Poëtis pro Etruſcis appellati.

CAP. IV.

ETruria appellata eſt Tyrrhenia a Tyrrheno rege, ut ſuperiori capite fuſe probatum. Eadem gens Lydia dicta, vel a gente, quam ille in Italiam ſecum, novos futuros colonos, traduxit: vel a fratre ipſius Lydo, qui hereditarium & paternum Regnum in Lydia obtinuit; quare & hoc quartum regionis nomen. Servius Maurus ad libr. 2. Æneid. v. 781. *Lydia autem dicta eſt, in qua frater Lydus remanſerat, unde nunc traxit, ut Lydium diceret.* Q. Tertullian. Florens libr. de Pallio ſub init. *Prob quantum circummeavit, a Pelaſgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos, ut ab humeris ſublimioris populi*

Carthaginienſes complecteretur. Valer. Maxim. libr. 2. cap. 1. tit. 17. *Eaque res Ludium ex Etruria accerſendi cauſam præbuit, cujus decora pernicitas vetuſto ex more Curetum Lydorumque, a quibus Etruſci originem traxerunt, novitate grata Romanorum oculos permulſit*. Quod uſque adeo verum eſt, Etruſcos Lydorum eſſe colonos, ut communi appellatione populus uterque contineatur; licet Xanthus Lydius, antiquitatis patriæ peritus, id inficietur apud Dionyſium Halicarnaſſeum libr. 1. pag. 22. affirmat tamen Plutarchus Problemat. Rom. cap. 52. Ἐπεὶ δὲ Λυδοὶ μὲν ἦσαν οἱ Τυῤῥηνοὶ ἐξ ἀρχῆς. *Etruſci a Lydis originem trahunt*. Satisfacit plene C. Tacitus in certamine Aſiaticarum urbium libr. 4. Ann. *Ita Sardianos inter Smyrnæoſque deliberatum, Sardiani decretum Etruriæ recitavere, ut conſanguinei; nam Tyrrhenum Lydumque, Atye rege genitos, ob multitudinem diviſiſſe gentem, Lydum patriis in terris reſediſſe &c. illis per Aſiam, bis in Italia, auctamque adhuc Lydorum opulentiam, miſſis in Græciam populis, cui mox a Pelope nomen*.

Atque ut verum ſit, quod nemo negare poteſt, Lydos Etruſcos dictos, ita pleraque de Lydis, ante eorum appulſum in Italiam, apud veteres leguntur Scriptores, quæ nequaquam Etruſcis conveniunt, ut cum ἄσεβοι audiunt apud Strabonem Amaſianum libr. 5. Geogr. cum idem *Servos Athenienſium* refert *Lydos* libr. 7. pag. 211. item cum voluptatibus fœdiſſimis, & mollitiei dediti ſcribuntur ab Athenæo lib. 12. Dipnoſophiſt. cap. 3. & Clearchus id ipſum confirmat. Διὰ τρυφὴν παραδείσους κατασκευασάμενοι καὶ κηπαίους αὐτοὺς ποιήσαντες ἐσκιατραφοῦντο. *Præ luxu conſtructis viridariis, & ad hortorum ſimilitudinem redactis, in umbra degebant*. Conſule poëtas utriuſque linguæ de Omphale, regina Lydorum, cujus turpis mollities in Italiæ incolas quadrare non poteſt, uti nec fluxæ veſtes, & in muliebrem laſciviam pendulæ, quibus Lydi illi Aſiatici infamantur. C. Petronius in Satyrico pag. 184.

Nympharum Bacchique comes, quem pulchra Dione
Divitibus ſilvis numen dedit, inclyta paret,
Cui Lesbos, viridiſque Thaſos, quem Lydus adorat
Veſtifluus, templumque tuis imponit Hypæpis.

Promiſcue ſane utrumque populum efferunt. Silius Italic. libr. 9.

Strage virum merſus Trebia eſt, atque ora ſepulto
Lydia Flaminio premitur.

Idem libr. 10. Punicor.

Auditus tibi ſi Cocles, ſi Lydia caſtra.

Et eodem opere libr. 11.

Lydia Romano turbarit ſtagna cruore.

Et libr. 13. in principio, & ad finem:

Illa eſt, quæ Tibrim, quæ fregit Lydia bella.

P. Virgil. libr. 9. Æneid. & alibi ſæpe:

Lydorumque manum collectos armat agreſtes.

Quia autem ſupra dixit Servius, & cum eo Tacitus, Vellejuſque, ac Stra-

Strabo conſenſerunt, videndum, quis ille mos antiquitus fuerit. Ego ſane reperio de regno ambiguo ſortem jactam, & maxime apud Græcos. Herodot. libr. 3. & ex illo Polyænus libr. 7. Stratagemat. iiſque poſterior Ammianus Marcellinus libr. 23. quem conſule. Idemque de Gothis proditum a Sidonio Apollinare libr. 6. epiſt. 6. *Limes Gothicæ ſortis*, ideſt regni. Et libr. 8. epiſt. 3. *Promotæ limitem ſortis*, hoc eſt principatus aut imperii. Et libr. 9. epiſt. 5. *Diverſarum jure ſortium revocaremur*. Idque in omnibus inter reges controverſiis obſervatum loquuntur Polynices & Eteocles, Thebarum principes, & Oedipi filii, qui ſortis arbitrio paternum & hereditarium regnum inter ſe partiti ſunt; ut eſt apud Diodorum Siculum plene libr. 5. cap. 6. & Euripidem in Phœniſſis: idque voluntate patris factum narrat Julius Hyginus Fabular. cap. 67. Ita Poëtæ. L. Seneca Thebaid. Act. 2.

Jam regna repetens frater ex pacto venit.

Stat. Papin. libr. 1. Thebaid. v. 167.

. . . . jam ſorte cadebat
Dilatus Polynicis honor.

Et libr. 2. Thebaid.

Quippe animum ſubit illa dies, qua ſorte ſecunda
Fratris, Echionia ſteterat privatus in aula.

Et eodem libro poſtea:

Quæ ſors juſta mihi, quæ non indebitus annis,
Sceptra dicavit honos, teneo.

Obſervare licet idem factitatum ab Atreo & Thyeſte. L. Seneca Act. 1. Choro:

Alterna ſcelerum ne redeant vices.

Si exemplis agere placet, innumera ſunt. Succeſſores Alexandri, ſorte jacta, provincias ab eo partas diviſerunt. Plutarch. in Eumene. Auguſtus, Antonius, Lepidus triumviri orbem ſorte arbitra partiti. Appian. Alexandr. libr. 1. Bell. Civil. Darius Perſarum principatum ſorte eſt adeptus. Juſtin. Junianus libr. 1. hoc enim ei cognomen ex MS. Vaticano adſtruxit politiſſimus Jacobus Sirmondus, Sacerdos Societatis Jeſu. Adſtipulatur Paulus Oroſius libr. 2. cap. 8. *Darius, Cyro apud Scythas interfecto, poſt aliquantum intervallum, ſorte regnum adeptus eſt*. Et quid multis? Apoſtoli, lucem Evangelii per omnes orbis partes ſparſuri, ſorte provincias inter ſe diviſerunt. Ruffinus Hiſtor. Eccleſiaſt. libr. 10. Ab hoc ritu fluxerunt fabulæ, Jovem, Neptunum, Plutonem ſorte partitos dominationem patris Saturni, cujus rei teſtis Homerus libr. 15. Iliad. verſ. 190. Servii apponam verba ex libr. 1. Æneid. verſ. 143. *Jupiter, & Neptunus, & Dis pater, Saturni & Opis filii, cum de mundi poſitione certamen iniiſſent, placuit, ut imperium ſorte dividerent; ita effectum eſt, ut Cælum Jupiter, maria Neptunus, Dis pater inferos ſortirentur*. Locus ſuſpectus; reſtitue audacter: *cum de mundi poſſeſſione certamen iniiſſent*. Idem ad libr. 10. Æneid.

Æneid. verſ. 39. *Sors rerum, ideſt regnum; nam per ſortem inter ſe fratres, Jupiter, Neptunus, & Pluton mundi regna diviſerunt*. Ad Juven. Satyr. 13. verſ. 49. *Cum adhuc nec Jupiter regnum cæleſte teneret*, ait Vetus Scholiaſtes, *nec Neptunus mare, nec infera Pluto cum Proſerpina: dixerat Satyricus:*

. . . . . ſortitus triſte profundi
Imperium . . . .

Luctatius Placidius, Grammaticus optimus, ad libr. 8. Theb. Statianæ v. 196. *Claria, civitas eſt, in qua tres Dii, Jupiter, Neptunus, & Pluto mundum dicuntur fuiſſe ſortiti*. Evhemerus vetuſtiſſimus hiſtoricus, qui ex ſacris inſcriptionibus, & donariis, titulisque templorum geſta Deorum dicitur collegiſſe, apud Lactantium Firmian. libr. 1. Divin. Inſtitut. cap. 11. *Ajunt Jovi Cœlum obtigiſſe, Neptuno maria, infera Plutoni; cur non terra potius in ſortem tertiam venit?* Sic intelligendi ſunt Poëtæ. Claudian. libr. 1. de Rapt.

Tertia ſupremæ patior diſpendia ſortis.

Valer. Flacc. libr. 1. Argonaut.

Tuque fretum, divoſque, pater ſortite, biformes.

Sil. Italic. libr. 17. Punicor.

. . . . . cujus proles, terramque, fretumque,
Sideraque, & manes regnorum ſorte gubernat.

Cornelius Severus in Ætna:

. . . . ſors data cœlo
Prima ſecuta maris, ſubjeditque infima tellus.

Alb. Tibull. libr. 3. Eleg. 5.

Dicite pallentes umbras quicunque tenetis,
Duraque ſortiti tertia regna Dei.

D. Auſon. in Moſella:

. . . . . haud ille ſinit, cui cura ſecundæ
Sortiſ, & æquorei ceſſit tutela tridentis.

Tellus ad Jovem apud Ovidium libr. 2. Metamorph.

. . . . . cur illi tradita ſorte
Æquora decreſcunt.

L. Seneca in Hercule Oetæo:

Et ſi placerent tertiæ ſortis loca,
Regnare poteram.

Sortitionem tamen hanc factam negat Callimachus in hymno Jovis, & non eſt tanti, ut longiori diſquiſitione uti velim: utut eſt, certe ſub fabularum involucris antiquum ſortiendi regni morem expreſſere.

Pela-

Pelaſgi, Pelargi, Etruriæ incolæ vetuſtiſſimi: ver ſacrum votum: ut Coloniæ vere deductæ, ita Mundus vere creatus: regio non dicta Pelaſgia ab illis incolis.

CAP. V.

PElaſgos, nobiliſſimam Greciæ gentem dictam *διὰ τὴν πλάνην, ab errando*, prodit Strabo Amaſian. libr. 9. Geogr. pag. 273. Fuiſſe autem incolas Etruriæ, loquitur C. Plinius libr. 3. cap. 5. *Etruria eſt ab amne Macra, & ipſa mutatis ſæpe nominibus. Umbros inde exegere antiquitus Pelaſgi, hos Lydi*. Poëta Anonymus in Proſopopœja Tuſciæ:

> . . . *Et manſit nomen, quod thura dederunt,*
> *Arcades & Lydi, vel quod mutare Pelaſgi*
> *Non auſi* . . . .

Quod autem Plinius dicat, exactos Etruria Lydos a Pelaſgis, contradicit Strabo, qui cum Tyrrheno Rege in Italiam eos navigaſſe aſſerit, ex Anticlide hiſtorico libr. 5. Geogr. pag. 152. Ἀντικλείδης δὲ πρώτους φησὶν αὐτοὺς τὰ περὶ Λῆμνον καὶ Ἴμβρον κτίσαι, καὶ δὴ τούτων τινὰς, καὶ μετὰ Τυῤῥηνοῦ τοῦ Ἄτυος εἰς Ἰταλίαν συνάραι. *Anticlides primos Pelaſgos Lemnon & Imbron condidiſſe ſcribit, quoſdamque eorum cum Tyrrheno, Atyos filio in Italiam navigaſſe*. Recte quidem Imbri inſulæ mentionem fecit; nam Pelaſgi, priuſquam in Italiam venirent, ibi habitabant, ſuntque, Athenienſium viribus plurimum infeſtati, regionem ſuam deſerere coacti. Polyæn. libr. 8. Stratagemat. ideoque non ſponte videntur in Etruriam irrupiſſe, ſed neceſſitate novarum ſedium id feciſſe. Servius Honoratus ad v. 600. libr. 8. Æneid. ex auctoritate Julii Hygini Auguſti Liberti, & M. Varronis, & Filiocori, quem raro leges ab alio nominari: *De his* (Pelaſgis) *varia eſt opinio; nam alii eos ab Athenienſibus, alii a Lacedæmonibus, alii a Theſſalis dicunt originem ducere, quod eſt propenſius; nam multas in Theſſalia Pelaſgorum conſtat eſſe civitates. Hi primi Italiam tenuiſſe perhibentur. Filiocorus ait, ideo nominatos eſſe Pelaſgos, quod velis, & verno tempore advenire viſi ſunt, ut aves. Hyginus dicit, Pelaſgos eſſe, qui Tyrrheni ſunt: hoc etiam Varro commemorat*. Ipſe Virgilius ibidem:

> *Silvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos,*
> *Arvorum, pecoriſque Deo, lucumque diemque,*
> *Qui primi fines aliquando habuere Latinos.*

Q. Tertullian. libr. de Pallio ſub init. *A Pelaſgis ad Lydos, a Lydis ad Roma-*

Romanos, ut ab humeris ſublimioris populi Carthaginienſes complecteretur, toga circummeavit. *Exinde tunicam longiorem cinctu arbitraute ſuſpenditis, & pallii jam teretis redundantiam tabulata congregatione fulcitis, & ſiquid præterea conditio, vel dignitas, vel temporalitas veſtit*. Ultima verba cenſet corrupta Hadrianus Turnebus libr. 7. Adverſarior. cap. 20. & legit: *conditio, vel dignitas, vel temporalitas vertit*. Primos eos colonos Etruriæ inſinuat eſſe Virgilius jam proxime laudatus. Ab iis conditæ urbes vetuſtiſſimæ, Agylla, Piſæ, Saturnia, Alſium: Falerium vero, & Feſcenium ævo Dionyſii Halicarnaſſei, ut ipſe teſtatur libr. 1. pag. 16. Μικρὰ ἄττα διασώζουσι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους. *Parvas quasdam ſcintillas ſervant Pelaſgici generis*. Quando autem d florere Pelaſgorum in Etruria cœperit imperium, diſertis ejusdem Dionyſii verbis diſcere licet, ex eod libr. pag. 20. Ὁ δὲ χρόνος ἐν ᾧ τὸ Πελασγικὸν κακοῦσθαι ἤρξατο, δευτέρα γενεὰ σχεδὸν πρὸ τῶν Τρωικῶν ἐγένετο. *Tempus, quo res Pelaſgorum cœperunt deficere, incidit in alteram fere ante bellum Trajanum ætatem*. Apparet ſane ex iſtis, & bellicoſos fuiſſe, & ſumma potentia Pelaſgos, nec minus antiquos Italiæ, ſed potiſſimum Etruriæ incolas.

De quorum adventu alia proditur, quam Lydorum, aut Tyrrheni ferat hiſtoria; nam ille ſorte cum fratre miſſa, hi vero *vere ſacro* in Etruriam delati, ut & plerique alii Italiæ coloni, teſte Julio Hygino libr. de Coloniis, & ſuffragante Solino cap. 8. Id autem de Pelaſgis intelligendum, docuit Filiocorus proxime ſupra laudatus. Hunc ſane morem ab aliis gentibus hauſere Romani, de quo pauca dicenda. Republica aliqua gravi plaga, &, ut videbatur, Deorum indignatione laborante, conventu indicto, quidquid vere ſequenti natum eſſet, Diis vovebant: idque conceptis verbis, & jurejurando interpoſito facturum ſe magiſtratus in ſe recipiebat. Itaque beſtias omnes, pecudeſque vere illo natas, aris Deorum admotas, ſacrificabant: juvenes vero utriuſque ſexus ad fines principatus ſui poſſeſſionumque deducebant, opertiſque capitibus extra limites agebant: qui progreſſi inde, ad novas quærendas ſedes ipſa rei neceſſitate adigebantur. Feſtus Pompejus libr. ult. *Ver ſacrum vovendi mos fuit Italis, magnis enim periculis adducti vovebant, quæcumque proximo vere nata eſſent apud ſe animalia, immolaturos: ſed quum crudele videretur, pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines ſuos exigebant*. Idem libr. 11. morem eum non tantum Italorum eſſe dicit, ſed & Siculorum, ſive Meſſanenſium, qui etiam Mamertini a Geographis appellantur, ut cuilibet eſt obvium: *Mamertini appel. . . . . c de cauſa; cum de toto Samnio gravis incidiſſet peſtilentia, Sthenius Mettius, ejus gentis princeps, convocata civium ſuorum concione, expoſuit, ſe vidiſſe in quiete præcipientem Apollinem, ut ſi vellent eo malo liberari, ver ſacrum voverent, ideſt, quæcunque vere proximo nata eſſent, immolaturos ſibi: quo facto levatis, poſt annum viceſimum deinde ejusdem generis inceſſit peſtilentia;*

tia; rurſus itaque conſultus Apollo reſpondit, non eſſe perſolutum ab iis votum, quod homines immolati non eſſent; quod ſi eos expuliſſent, certe fore, ut ea clade liberarentur; itaque ii juſſi patria excedere, cum parte ea . . . . conſediſſent. Locus mancus eſt, quem vide. Excripſit Feſtus eam hiſtoriam ab Alſio libr. 1. belli Carthaginienſis. Idem porro Feſtus libr. 16. natos vere, diiſque legitime devotos, *Sacranos* ait veteri vocabulo dictos. *Sacrati appellati ſunt Reate orti, qui ex Septimontio Ligures, Siculoſque exegerunt; nam vere ſacro nati erant.* Servius ad libr. 7. Æneid. v. 796. *Ardeates cum peſtilentia laborarent, ver ſacrum voverunt, unde Sacrani dicti fuerunt.* Virgilius ipſe:

Et Sacranæ acies.

Hiſtoricos addam, qui non infrequenter hujus moris meminerunt. Siſenna Hiſtoriarum libr. 4. *Quondam Sabini feruntur voviſſe, ſi res communis melioribus locis conſtitiſſet, ſe ver ſacrum facturos.* Ideſt vere nata omnia apud ſe animantia immolaturos; eſt enim *facere* idem ac *ſacrificare*: quod, pleriſque auctorum probatorum locis, a Barnaba Briſſonio adnotatum, hic non repeto. Eumdem ritum ſignificantiſſime inſinuat Dionyſius Halicarnaſſ. libr. 1. pag. 13. τὸ μὲν πρῶτον ἱερά τις ἐξελθοῦσα νεότης ἄνδρες ὀλίγοι κατὰ βίου ζήτησιν, ὑπὸ τῶν γειναμένων ἀποςάλεντες, ἔθος ἐκ πληρῦντες ἀρχαῖον ᾧ πολλοὺς βαρβάρων κ̔ Ἑλλήνων ἐπίςαμαι χρησαμένους. *Primum enim finibus egreſſa eſt ſacra quædam juventus, exigua numero, ad quærendum victum, a ſuis emiſſa parentibus, more antiquo, quem receptum ſcimus a multis, tam Græcis, quam barbaris.* Pulcherrima ſunt, quæ ſequuntur; idcirco adſcribam Latini interpretis verba, ne textum geminando inutiliter, longior videar. *Quoties enim vulgi multitudo in aliqua civitate nimium excreſceret, nec alimenta domi omnibus ſufficerent, aut aeris intemperie læſa terra fruges proferret pauciores ſolito, aut alia talis civitatem occuparet calamitas, ſive bonum, ſive malum minui cogeret multitudinem, Deo cuipiam ſacrantes, quantum hominum annus pareret, emittebant armis inſtructos e ſuis finibus, ſi pro juventutis felici proventu, aut victoria feliciter bello reportata gratias Diis agerent, peractis ante ſolemnibus ſacris, fauſta ominatione proſequentes abituros in coloniam; ſin irata numina placarent, finemque præſentium malorum poſcerent, eodem modo ſacris operati, mœſti veniamque petentes a ſuis, quos ablegare neceſſitas cogeret. Illi vero, ut poſthac cærituri patria, niſi aliam pararent, quæ ſe reciperet, quicquid terrarum armis acquiſiſſent, aut gratia, habebant vice patriæ, creditumque eſt eis adeſſe Deum, cui dicabantur, & ſupra humanam ſpem proſperare hujuſmodi colonias.* Ita coloni iſtius gentis omnes priſci aut alio terras novas quæſituri, aut aliunde hanc poſſeſſuri vere voto deſcenderunt, ut ex ea, quam jam attuli, narratione clarum. Idem libr. 2. Hiſt. Rom. ſtatim in limine: ἱερά τις αὐτῃ νεότης καθοσιωθεῖσα θεοῖς, κατὰ τὸν ἐπιχώριον νόμον, ὑπὸ τῶν πατέρων ἀποςαλῆναι λέγεται χώραν οἰκήσουσα τὴν ὑπὸ τῦ δαίμονος σφίσι δοθησομένην. *Hi fuerunt quædam Diis ſacra juventus, patrio ritu a parentibus miſſa ad incolendas ſedes, quas fortuna datura*

eſſet. Plin. libr. 3. c. 13. *Orti ſunt Sabinis, voto vere ſacro*. De Picenis loquitur; uti & de Catillo, Tiburis conditore, Solinus loco laudato: *Tibur, ſicut Cato facit teſtimonium, a Catillo Arcade, præfecto claſſis Evandri, ſicut Sextius ab Argiva juventute; Catillus enim Amphiarai filius poſt prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei avi juſſu cum omni fœtu vel ſacro miſſus, tres liberos in Italia procreavit*. Locum corruptum facile ex iis, quæ allata ſunt, reſtitue: *Vere ſacro miſſus*. Itaque Argivis in more etiam poſitum *Ver ſacrum vovere*, ut Sextius indicat, auctor antiquus, & gravis, cujus locum hunc cum correxiſſem, inveni idem ſenſiſſe doctiſſimum Turnebum libr. 24. Adverſarior. cap. 13. Corrigendus etiam Juſtinus Juvianus libr. 24. *Namque Galli abundante multitudine, cum omnes terræ non caperent, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad ſedes novas quærendas, veluti peregrinatum, miſerunt*. Mutilatus fœde locus; quid enim eſt: *veluti peregrinatum?* Neque enim ea exatio a patria peregrinatio dici poteſt, cum abierint animo non redeundi. Legendum itaque ſuaſit ex MSS. primus Jacobus Bongarſius: *veluti ver ſacrum miſerunt*. De Laconibus idipſum teſtatur D. Hieronymus in verſione Chronici Euſebiani; quippe cum Euſebius Cæſarienſis dixiſſet: Λακεδαιμόνιοι ἀπώκισαν Ἡράκλειαν, *Lacedæmonii colonos Heracleam deduxerunt;* D. Hieronymi verſio ſupplevit: *Lacedæmonii, ver ſacrum deſtinantes, Heracleam urbem condunt*. Miſſos ex hoc voto quo nomine vocaverint, pete ex Feſto ſupra; Nonius vero cap. 12. num. 18. *Religioſos* nuncupat, ut & Poëtæ *ſacros*. Silius Italic. libr. 8.

Faunigenæ ſocio bella invaſere Sicano
Sacra manus Rutuli.

Formulam vero vovendi hujus veris ſacri diſce ex T. Liv. 3. Dec. libr. 2. *L. Cornelius Lentulus Pont. Max., conſulente collegio pontificum, omnium primum populum conſulendum de vere ſacro cenſet: injuſſu populi voveri non poſſe. Rogatus in hæc verba populus: velitis, jubeatiſne hoc ſic fieri? ſi res populi Romani ad quinquennium proximum, ſicut velim eam, ſalva ſervata erit hiſce duellis, datum donum duit populus Romanus, quod duellum populo Romano cum Carthaginienſi eſt, quæque duella cum Gallis ſunt, qui cis Alpes ſunt: quod ver attulerit ex ſuillo, ovino, caprino grege, quæque profana erunt, Jovi fieri*. Hoc modo legendus locus ille, non ut in vulgaribus habetur editionibus, *ſi res populi Romani Quiritium*; & rurſus: *donum duit populus Romanus Quiritium*; utrobique enim *Quiritium* e margine in textum irrepſiſſe incuria librarii, ut gloſſema inutile videri cuilibet poſſet.

Denique ut coloniæ gentium pæne omnium vere deductæ, ita & mundus etiam ex Ethnicorum, non modo receptiori Theologorum ſententia, vere creditur conditus. Interpretes Virgilii ad libr. 2. Georgic. v. 334.

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem

Credi-

Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Mundus, & hibernis parcebant flatibus Euri,
Cum primum lucem pecudes hauſere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immiſſæque feræ ſilvis, & ſidera cœlo:

Pervigilium Veneris elegans eſt carmen incerto auctore, ſed tamen antiquo; in eo ita legitur:

Ver novum, ver jam canorum, ver natus orbis eſt.

Vacillat ſenſus, & indubie mendum eſt. Ego putavi unius elementi adjectione commode poſſe legi: *Vere natus orbis eſt*; ſed Joann. Marius Mattius, vir doctus, Variar. Opinion. libr. 1. cap. 18. reſtituit ſic:

Ver novum, Ver jam canorum, Ver natalis orbis eſt.

Sed ad Pelaſgos redeo, quos & Pelargos appellari volunt Atticæ hiſtoriæ Scriptores apud Strabonem libr. 5. pag. 153. eaque voce Attici colonos ſignificare ſolent; itaque S. in R. mutato, ut ſuperioribus capitibus oſtendi, Pelaſgi, non Pelargi ſunt appellati. De quibus multa futilia, nec ullius bonæ frugis adfert Joann. Goropius Becanus in Croniis libr. 4. atque ille quidem Megaſthenem Perſam, ſeu Metaſthenem, Catonis Origines, Fabium Pictorem, Myrſilum Lesbium, & Archilocum jure refutat, & poterat videri aliquid lectu dignum attuliſſe; ſed ea, quæ ipſi ingenioſa videntur, meræ ſunt nugæ, affaniæ, & buttæbattæ, nec tanti, ut legantur. Quod etiam indoctus monachus Leander Alberti ait, Etruriam *Pelaſgiam* a Pelaſgis vocatam, falſum; nam illi quidem Etruriæ veteres incolæ, ſed nomen non mutarunt genti. Anonymus Poeta:

. . . manſit nomen, quod thura dedere,
Arcades, & Lydi, vel quod mutare Pelaſgi
Non auſi . . . .

Arcades Etruriæ incolæ & ipſi vetuſtiſſimi: iidem cum Pelaſgis: ſervos & dominos æqualiter habebant: eorum poſteri fœdus cum Ænea pepigerunt: glande veſcebantur: Luna priores: ab iis quædam Romani mutuati.

CAP. VI.

HOs etiam aliquando Etruriam incoluiſſe, non dubium. Plena manu, ut ſolet, Strabo Amaſianus libr. 5. Geogr. pag. 152. ex Ephoro Cumano. Νομίζειν δέ φησιν Ἔφορος, τὸ ἀνέκαθεν Ἀρκάδας ὄντας ἑλέσθαι στρατιωτικὸν βίον, εἰς δὲ τὴν αὐτὴν ἀγωγὴν προτρέψαντας πολλοὺς, ἅπασι τοῦ ὀνόματος μεταδοῦναι, καὶ πολλὴν ἐπιφάνειαν κτήσασθαι, καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησι, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις, παρ' ὅσους ποτὲ ἀφιγμένοι τετυχήκασι. *Ephorus ait, arbitrari ſe eos* (Pelaſgos ſcilicet, ſeu Pelargos Etruriæ priſcos colonos) *cum a prima ſtirpe Arcades eſſent, militarem amplexos vitam, & in ſtudii ejus, nominiſque ſocietatem multis perductis, magnum ſibi nomen, cum apud Græcos paraſſe, tum apud alios, ad quos perveniſſent.* Iſti erant gente quidem, & domo Arcades, ſed a ſtudio, vitæque ratione eos Πελαργοὺς, *colonos*, appellarunt; antequam in Etruriam appulerunt, Cretam Inſulam occuparunt. Homer. libr. 19. Odyſſ. v. 175.

Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα μεμιγμένη, ἐν μὲν Ἀχαιοὶ
Ἐν δ' Ἐτεόκρητες μεγαλήτορες, ἐν δὲ Κύδωνες,
Δωριέες τε τριχάϊκες, δῖοί τε Πελαργοί.
Diverſis illic linguis utuntur Achei,
Magnanimique Eteocretes, intuſque Cydones,
Dorieeſque habitant triplices, divique Pelargi.

Simpliciter C. Plinius libr. 3. cap. 5. *Tam tenues primordio imperii fuere radices, colonis ſæpe mutatis, tenuere alii aliis temporibus, Aborigenes, Pelaſgi, Arcades.* Apparet hinc, eumdem eſſe populum, Pelaſgos, & Arcades; quare Servius Maurus ad libr. 2. Æneid. v. 84. *Pelaſgi a Pelaſgo Terræ filio, qui in Arcadia genitus, ut Heſiodus tradit.* Vult igitur *Heſiodus*, Pelaſgos ab *Arcade* quodam Pelaſgo dictos, ut nulli eſſe poſſit dubium, quin eadem ſit gens. De eorum in Etruriam adventu idem Servius ad libr. 8. Æneid. v. 51. ſine quo manca certe foret omnis rei Romanæ cognitio. Sic ille: *Evander Arcas fuit, nepos Pallantis regis Arcadiæ: hic patrem ſuum occidit, ſuadente matre Nicoſtrata (quæ etiam Carmentis dicta eſt, quia carminibus vaticinabatur) alii ipſam Nicoſtratam matrem Evandri, cum eſſet centum decem annorum, a filio peremptam tradunt: conſtat autem, Arcades plurimum*

mum vixiſſe, in tantum ut quidam uſque ad trecentos annos vivendo pervenerint: Ipſe autem Evander dimiſſa provincia ſua, non ſponte, ſed exilio compulſus, venit in Italiam, & pulſis Aboriginibus, tenuit ea loca, in quibus nunc Roma eſt, & modicum oppidum fundavit in Monte Pallatino, ſicut ait Varro: nonne exſules Arcades confugerunt in Palatium duce Evandro? Ipſe Poëta:

Arcades his oris, genus a Pallante profectum
Qui regem Evandrum comites, qui ſigna ſecuti
Delegere locum, & poſuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum:
Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latina,
Hos caſtris adhibe ſocios, & fœdera junge.

Videri ex his cuilibet poſſet, Arcades non Etruriam, ſed Latium incoluiſſe, niſi certum ex Virgilio jam laudato foret, Æneam ab Arcadibus Tuſciæ incolis ſuppetias accepiſſe, eamque *regionem Æneæ fœdere celebratam* diceret Mineus Martianus Capella libr. 6. pag. 236. Eos certe adverſo Tiberi devectos puto non inferi maris oram, ut Lydi Tyrrheno olim Duce, ſed eam Etruriæ partem inſediſſe, quæ mari ſupero adjacet, inter Umbros & Sabinos, quippe auxilium inde Trojanis advenis. Servius ad libr. 7. Æneid. v. 714. *Omnis vero Tuſcia ſuperior, & Venetia Æneæ præſtat auxilium.*

Populum hunc antiquiſſimum multa loquuntur, ut ab Hiſtoricis diſcuſſum, quare & ipſi ſe Luna priores jactitabant, & veluti primi illius moris, quo Natura omnes æqualiter liberos naſci voluit, memores, una eademque menſa, dominos ſervoſque accumbere, & veſci voluerunt. Theopompus libr. 46. Philippicorum. οἱ Ἀρκάδες ἐν ταῖς ἑστιάσεσιν ὑποδέχονται τοὺς δεσπότας, καὶ τοὺς δούλους, καὶ μίαν πᾶσι τράπεζαν παρασκευάζουσι, καὶ τὰ σιτία πᾶσιν, εἰς τὸ μέσον παρατιθέασι, καὶ κρατῆρα τὸν πᾶσι κιρνῶσι, φησίν. *Scribit, Arcades ſolemnibus epulis heros ac ſervos excipere, unam menſam apponere, cibaria in medium omnibus præbere, idem poculum miſcere omnibus.* Hæc ex Athenæo libr. 4. Dipnoſ. Ex quibus clarum pleraque eos vetuſti inſtituti obſervare ſolitos, quale eſt communia habere dominos cum ſervis multa, quippe calamitate ſervitutis ignota, & bellis ceſſantibus, nec domini, nec ſervi nomina cognita, quod & Saturnalia Romana etiam poſſunt referre. Non puto oblivioni tradendum, quod eorundem antiquitatem eximiam ſapit, ſcilicet ſolitos eos glandibus veſci, quo ſolo eſu mortales contenti ante frugum inventionem. Claudius Ælianus libr. 3. var. Hiſtor. cap. 39. Ὅτι βαλάνους Ἀρκάδες, Ἀργεῖοι δ' ἀπίους, Ἀθηναῖοι δὲ σῦκας, Τιρύνθιοι ἀχράδας δεῖπνον εἶχον, Ἰνδοὶ καλάμους, Καρμανοὶ φοίνικας. *Arcades glandes, Argivi pira, Athenienſes ficus, Tirynthii Silveſtria pira comederunt, Indi arundines, Carmani palmas.* Juſtus Vultejus male vertit δεῖπνον εἶχον, *comederunt*: rectius *in cœnam ſumpſerunt.* Accedit Julius Pollux libr. 1. Onomaſt. cap. 12. num. 9. Δρῦς τάχ' ἂν εἴη ἀμφίβολος πρὸς τὰ ἔγκαρπα διὰ τοὺς βαλανηφάγους Ἀρκάδας, καὶ μάλιστα ὁ

πρὸ

πρὸ πυρῶν τὺς ἀνθρώπυς ἔθρεψεν ἡ βάλανος. *Quercus dubium mox erit, an frugifera habeatur, propter glandivoros Arcades, & maxime quod homines ante frumenti uſum glande paſcebantur*. Artemidorus Daldianus libr. 2. cap. 25. Δρῦς ἄνδρας σημαίνει πλυσίυς, διὰ τὸ τρόφιμον, ταύτης γὰρ τὸν καρπὸν ἤσθιον οἱ Α'ρκάδες. *Quercus viros ſignificat opulentos, ob alimentum; hujus enim fructum comedebant Arcades*. Hanc ob cauſam illi βαλανηφάγοι *glandivori* dicti. Notat Cælius Rhodigin. libr. 28. Antiquar. Lection. cap. 2. Archæus vetus poëta:

Α'ρκάδες εσσαν βαλάνηφάγοι.
Arcades ſunt glandivori.

Huc pertinet Oraculum illud vetus, relatum ab Herodoto libr. 1. pag. 28.

Α'ρκαδίην μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς ὄυτοι ἐδώσω
Πολλοὶ ἐν Α'ρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν.

Vertit Valla non incommode:

Me petis Arcadiam? multum petis, haud tibi tradam,
Multi apud Arcadiam veſcentes glande viri ſunt.

De ſolo glandium priſcis illis ſeculis uſu dixi ad illud Claudiani libr. 1. de Raptu.

. . . . *& glande relicta*
Ceſſerit inventis Dodonia quercus ariſtis.

Et libr. 3. de Raptu.

. . . . *Si frangunt communia pabula glandes*.

Sed quia Etruriam illuſtramus, hoc ejus poſſeſſoribus antiquiſſimis dabitur, ut quia ipſorum cibus glandes erant, fuſius earum memoria repetatur. Legendi Aurel. Macrob. libr. 2. in Somn. Scipion. cap. 10. A. Gell. libr. 5. cap. 6. L. Apul. libr. 11. Mileſiar. in principio. *Vetuſtæ glandis remoto pabulo*. Pub. Fulgent. libr. 1. Mytholog. in præfatione: *Quidam ſunt, qui ſpreta capitis generoſitate, Atricinis atque Arcadicis ſenſibus glandium quippiam ſapiunt*. Vet. Scholiaſt. D. Juvenal. ad v. 57. Sat. 13. *Quia antea homines fraga & glandes comedebant*. Arnob. libr. 2. Cont. gent. *Sit panis ex farre, aut, ut ſecula imitemur antiqua, ex calido cinere glandes*. Vetus Scholiaſtes jam laudatus C. Plinium tranſcripſit libr. 7. cap. 56. & Præfat. ad libr. 12. *Primumque munus homini datum arbores, ſilvæque intelligebantur, hinc primum alimentum*. Julius Pollux libr. 6. Onomaſt. cap. 7. Adeundi etiam Poëtæ. P. Ovid. libr. 3. Amor. Eleg. 6. Virgil. libr. 1. Georg. princ. & Servius ibidem. Alb. Tibull. libr. 2. Eleg. 3. Horat. libr. 1. Sat. 3. Juvenal. Sat. 6. ſtatim in principio.

Et ſæpe horridior glandem ructante marito.

T. Lucret. libr. 5.

Glandiferas inter curabant corpora quercus.

Sulpitia poëtria in Satyra illa ſua ævo Domitiani:

Non aliter quam cum primo ſurreximus ævo,

Glan-

Glandibus, & puræ rurſus procumbere lymphæ.

Valer. Flacc. libr. 1. Argonaut.

. . . flava quercum damnavit ariſta.

Feſt. Anien. Deſcript. Orb. Terræ.

Conjugibus natiſque ſimul cibus aſpera glando.

D. Auſon. Monoſyllabis.

Olim communis homini cibus, & pecori glans

Aurel. Prudent. libr. 2. in Symmach.

Iligneis melius ſaturatur glandibus alvus.

Ex hoc ritu profluxit lex illa *X.* viralis, *Ut glandem, in alienum fundum procidentem, liceret colligere;* ut utar Plinii verbis libr. 16. cap. 5. & ab illo Jacobus Rænardus ad leges Duodecim Tabularum cap. 26. & Ludovicus Charondas ad easdem leges cap. 73. Theodorus Marcilius in easdem cap. 51. & alij perplures. Et ſane exiſtimo, non tantum quercum ferre glandes, aliaſque quatuor arbores, ab cruditiſſimo Barnaba Briſſonio enumeratas, ſed indifferenter omnium arborum fructus ita ſolere vocari. Suidas, in voce βάλανοι, etiam de palmis id refert: *ex iis* enim *ſelectas quaſdam glandes dominorum fuiſſe, alias in ſervorum uſus expoſitas, ex illiſque vinum factum.* Sic & *Cerrus glandifera arbor* dicitur Junio moderato Columellæ libr. 8. Rei Ruſt. c. 17. & diſerte Juriſconſulti omnes fructus nomine eo intelligi docent. Cajus L. 236. ff. de Verbor. ſignification. ut mirum ſit Homerum, qui 13. Odyſſ. porcos glande ſaginari dixerit, de hominum uſu nil dixiſſe; exiſtimo itaque, aut rem notiſſimam præteriiſſe, aut, ſi ſcivit, peregrinum morem conſulto omiſiſſe; nam Arcades ei vocantur ἐπιστάμενοι πολέμοιο, *rei militaris periti*, libr. 2. Iliad. & ab eodem antiquitatis callentiſſimo ἐγχεσίμωροι, *haſtis utentes*, libr. 7. Iliad. v. 134. & Arcadiam a pecoris paſcendi cura celebrat libr. 2. Iliad. v. 604. & in Hymno Mercurii in principio: & Hymno Panos πολυπίδακα μητέρα μήλων, *copioſam fontibus matrem ovium*; nuſquam tamen glandium in cibis illorum meminit.

Iidem credi volebant Luna priores. Servius Honoratus ad libr. 2. Georg. v. 342. *hunc ordinem propter Arcades tenuit, qui ſe Arcades Proſelenos eſſe aſſerunt, ideſt ante Lunam natos: quod & Cicero in Fundaniana commemorat.* Locus fabulæ datus, quia poſt diluvium genus humanum ab iis propagatum credatur. Quod unanimi conſenſu prodiderunt Flavius Blondus de Roma triumphante libr. 9. Cælius Rhodiginus libr. 20. Antiquar. Lection. cap. 7. Joann. Pierius Hieroglyphic. libr. 44. concors idem Servius Maurus ad illud libr. 8. Æneid.

. . . . Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Jovem.

Luctatius Placidius ad v. 276. libr. 4. Thebaidos Statianæ.

Arcades hinc veteres, aſtris Lunaque priores,
Agmina fida ſatis.

P. Ovid.

P. Ovid. libr. 1. Faſtor.

Orta prior Luna, de ſe ſi creditur ipſi,
A magno tellus Arcade nomen habet.

Et libr. 2. ejusdem operis.

. . . . *Luna gens erat illa prior.*

Nota eſt diſceptatio Phrygiorum, & Ægyptiorum de generis ſui antiquitate apud Herodotum, & alios: in eademque contentione fuerunt Arcades, qui, ut ſuperiores iis ea eſſent nobilitate, finxerunt, ſe ante Lunam res geſtas poſſe proferre. Forte, quia ab iis Lunæ curſus, motus, & natura, primum ab illis inventa, & gentibus demonſtrata; quod ab Joanne Tzetze traditum non poſſum ſilere Chiliad. Hiſtor. 4. cap. 2.

Φασὶ τινὲς, ὡς ἔφασκον, τὰ γένη τῶν Ἀρκάδων
Εἶναι πρεσβυγενέστερα, πρὸς χρόνους τῆς σελήνης
Ὅθεν ὡς ἄφρονας καλοῦσι προσελήνους
Ἄλλοι δ' ὡς ὄντας ὑβριστὰς καλοῦς προσελήνους,
Τὸ γὰρ ὑβρίζειν, προσελεῖν καλεῖται τοῖς Ἀρκάσιν
Ἐγὼ τοὺς ἄνδρας τούτους λέγω τῶν προσελήνων
Ὅτι σελήνης εὕρηκε πρῶτον τὰς περιόδους,
Καὶ τὰς αὐξομειώσεις δὲ, ἃς κατὰ μῆνας πάσχει
Ἑρμῆς ὁ μέγας Ἕλλησιν, ὢν ἐκ γονῆς Ἀρκάδων.
Καὶ ὅτι πρὸ τῆς ἕνης δὲ ἀεὶ τῆς σεληνίας
Πυρὶ βαλάνους ἕψοντες κατήσθιον ἐκείνας.

Dicunt quidam, ut dicebam, progenies Arcadum
Eſſe antiquiores, ante tempora Lunæ:
Unde ſcilicet imprudentes vocant antelunares,
Alii velut contumelioſos vocant proſelinos;
Contumelia enim afficere, ante lunari dicitur Arcadis.
Ego vero viros hos dico Antelunares,
Quia Lunæ invenit primum circuitus,
Et creſcendi vices, quas ſecundum menſes patitur
Mercurius magnus Græcis, de ſemine Arcadum,
Et quod ante unam ſemper lunarem
Igne glandes coquentes, edebant illas.

Ultimos duos verſus puto ſolemnem quendam Arcadum notare ritum, qui in generis ſui antiquiſſimi memoriam ſemper renovandam, pridie ante Lunæ coitum, ſive ultimo die menſis, epulis communibus accumbere in more habebant, & priſca conſuetudine ſervata, glandes torrere, quibus omnes promiſcue veſcerentur; atque hunc puto Tzetzis eſſe genuinum ſenſum.

Romani certe, ut ab Arcadibus ortum ſuum genus, & quam longiſſime ab iis repetendum oſtenderent, ab Etruſcis calceos ſumpſerunt, quibus dimidiatæ Lunæ effigiem adſuebant, ut ſe gente nobiliſſimæ vetuſtatis ortos ſignificarent. Plutarch. Problematum Romanorum cap. 76. *Adſutam* fuiſſe *Lunam*, Iſidorus eſt teſtis libr. 19. Etymolo-

giar,

giar. cap. 34. & Vetus Scholiaſt. Juvenalis ad Sat. 7. v. 192. *Patricius Senator eſt; lunula nam adſuta calceis diſcernuntur patricii a novitiis*. Herodes Sophiſta, *inſolentius fratri ſuo nobilitatem ſuam jactanti, certe in talis* (inquit) *nobilitatem tuam habes*; ut interpres Philoſtrati in eo loquitur. Atque hi calcei lunati etiam patricii appellabantur. Vetus lapis in Antiquitatibus meis libr. 5. cap. 36. Martial. libr. 1. Epigr. 50.

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.

Et libr. 2. Epigr. 29.

Non extrema ſedet lunata lingula planta.

D. Juvenalis Satyra laudata:

. . . . . . *& nobilis, & generoſus*
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Papin. Stat. libr. 5. Silv, 2.

. . . . *genitum ſi curia ſenſit,*
Primaque patricia clauſit veſtigia luna.

Ab Arcadibus hoc nobilitatis a plebeiis diſcrimen profectum, cum laudati ſcriptores teſtantur, tum diſerte doctiſſimus Andreas Alciatus Emblem. 137.

Calceus, Arcadico ſuberat cui lunula ritu,
Geſtatur patribus mullea Romulidis.

Non tantum ſane calceos ab Etruſcis, ſive Arcadibus ii habuere, ſed forte etiam *haſtæ* in bello uſum; unde & ab haſta *Quirites* dicti. Arcades ſane haſtis uſos, Homerus ſupra laudatus docuit; ſed & Saturnalia ab iiſdem tracta ſuſpicari licet, ex Theopompo ſupra etiam laudato hoc capite.

Aborigines primi omnium Etruriæ cultores: ſedes eorum, non in Latio, ſed Tuſcia: indigenæ, non advenæ: ob antiquitatem truncis orti crediti.

CAP. VII.

Aborigines etiam Etruriæ incolas fuiſſe inter omnes convenit, de quorum origine, & principatu varie diverſi ſentiunt. Feſt. Pomp. libr. 1. *Aborigines appellati ſunt, quod errantes convenerint in agrum, qui nunc eſt populi Romani; fuit enim gens antiquiſſima Italiæ*. Videtur ille Grammaticus *Aborigines* quaſi *aberrigenes* interpretari, quod nullis certis ſedibus vagantes vicatim habitarent, nulla ævo illo civitate condita. Alii veriſimilius *Aborigines* exponunt populum eſſe, cujus ortus ſit incertus, ſcilicet

quod tam longinqua memoria ſit rerum ab iis geſtarum, ut ortus ſciri non poſſit; itaque ſic dicti, quod ortu careant, & ſint poſteris ſuis auctores gentis habiti, quos Græci γενάρχας, *generis principes*, aut πρωτογόνους, *progenitores, aut parentes primos* ſoliti vocare. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 1. pag. 8. Nec deſunt, qui ab ὄρη, quod *montes* ſignificat, vocabulum deducant; quia ſtatim poſt orbem terrarum, diluvio illo, cælitus immiſſo, demerſum, illi metu alterius cataclyſmatis montium juga inſederint, unde & nomen ſint conſecuti; ſed ſtultum eſt, meo quidem judicio, nomina Italiæ priſca a Græco fonte derivare, cum non niſi poſt ſexcentos annos linguæ Græcæ cognitio Romam migraverit. Sunt, qui indigenas fuiſſe probabili ratione contendant. Halicarnaſſeus loco laudato. Vet. gloſſ. *Aborigines*, αὐτόχθονες, quod idem ſonat, ac ſi *indigenas* dicas. Eoſdem Virgilius arboribus natos fingit: quod exponit Servius pag. 505. libr. 8. v. 305. Æneid. *Hoc figmentum ortum eſt ex antiqua hominum habitatione, qui ante factas domos, aut in cavis arboribus, aut in ſpeluncis manebant: qui cum exinde egrederentur, aut ſuam educerent ſobolem, dicti ſunt inde procreati.* Poëta ipſe:

Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant,
Genſque virum truncis, & duro robore nata,
Queis neque mos, neque cultus erat, nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto.

Ob inſignem gentis antiquitatem illi truncis orti credebantur, quale eſt illud, quod Melantho Ulyſſi obiicit libr. 19. Odyſſ. v. 163.

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης.

Non enim a quercu es antiqua, neque ex petra.

quo in verſu lectio variat, nam non παλαιφάτου, ſed in quibusdam παλαιφάγου, ut ſignificet, quercum glandes veteribus ſuppeditaſſe, unde frugibus carentes, tamen viverent: quod vide ſuperiori capite.

Aborigines hoſce Umbrorum alii ſobolem contendunt eſſe, nonnulli a Græcis eorum ſtemma trahunt. Anonymus Hiſtoriæ Cumanæ compoſitor apud Feſtum Pompejum libr. 16. *Athenis quosdam profectos Sicyonem, Theſpiaſque, ex quibus porro civitatibus ob inopiam domiciliorum, compluris profectos in exteras regiones, delatos in Italiam, eoſque multo errore nominatos Aborigines, quorum ſubjecti qui fuerint, Cæx imparum viri.* M. Porcius Cato diligentiſſimus Italicarum antiquitatum Scriptor, & C. Sempronius in Diviſione Italiæ (non quidem illi, qui hodie eo nomine a bardo Annio intruſi, inſulſi, indoctique circumferuntur, & parente ſuo Viterbienſi vere digni) eruditi, & vetuſti ſcriptores, Græcis eos ortos volunt; ſed illi οὔτε φῦλον Ἑλληνικὸν, ὃ μετεῖχον, οὔτε πόλιν, ἐξ ἧς ἀπανέστησαν, οὔτε χρόνον, οὐθ' ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας, οὐθ' ὁποίαις τύχαις χρησάμενοι τὴν μητρόπολιν ἀπέλιπτον. *Nec diſerte tradunt, ex qua natione Græca, quave urbe migraverint, ac ne tempus quidem, aut ducem coloniæ, aut quo caſu patrias ſedes reliquerint.* Verba ſunt Dionyſii libr. 1. pag. 9. qui ibidem Aborigines Arcadum eſſe progeniem probat,

bat; nam Lycaoni regi filii viginti duo fuere, quorum unus, Oenotrus, in Tyrrheniam ſeptendecim ætatibus ante bellum Trojanum trajecit, hoc eſt, ut ego interpretor, mille ſeptingentis annis, ſeculum enim eſt annorum centum ſpatium; at ſi ſeculum annorum viginti ſeptem tempus intelligamus, quod facit Onufrius Panvinius in urbe Roma, anni erunt ab adventu Aboriginum ſive Arcadum in Etruriam, ante heroica tempora & Trojanam expeditionem, quadringenti ſexaginta. Ut ut ſit, Etruriam incoluerunt, ſive Umbriam: quod video obſervatum a Leandro Albetti in Deſcript. Ital. pag. 99. Teophantus Scotus Monachus Herbipolenſis MS. ad Juvenal. Sat. 5. v. 95. *Etruſci iidem ſunt cum Umbris, Tyrrhenis, Tuſcis, Lydis, Oenotris, & Arcadibus: qui omnes priſco vocabulo Aborigines dicuntur, quaſi ortu carentes: & ſunt a diluvio primi populi, quorum in profanis hiſtoriis extent monimenta.* Georg. Cedren. Compend. Hiſtoriar. pag. 121. *Et cum diu Tuſciam poſſediſſent, Latium invaſerunt, incolaſque ejus bello laceſſitos expulerunt.* Servius Maurus ad v. 794. libr. 7. Æneid. *Ubi nunc Roma eſt, ibi fuerunt Sicani, quos poſtea expulerunt Aborigenes.* Ii legibus vero ſoluti vivebant. Virgilius ſupra laudatus; Salluſt. in Catilinar. *Aborigines genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio liberum atque ſolutum.* Eratque M. Varronis Satyra Menippea, cui epigraphe *Aborigines* περὶ ἀνθρώπων φύσεως, *de hominum natura.* Vult igitur Varro hac inſcriptione, Italiæ incolas vetuſtiſſimos Aborigines inſtitutis civilibus carentes, omnique humanioris vitæ cultura deſtitutos, in unum cum Trojanis advenis corpus coaluiſſe: & pro libidine, qua ſola olim regebantur, leges accepiſſe: pro montibus, quibus inerrabant, urbes condidiſſe; atque ita humani ingenii mores poſſe bonis artibus excoli, & in melius redigi. Ita videtur Auſonio Popmæ placere. Hi inſequentibus ſeculis, quia agrum Reatinum, pulſis Sicanis, incoluerunt, qui palatium dicebatur, & ipſi Palatini appellati. Idem M. Varro libr. 4. de Ling. Lat. pag. 11. Diſerte Strabo Amaſian. libr. 5. Geogr. pag. 158. Ἀβοριγῖνες τὲ ἐν περὶ αὐτὴν τὴν Ῥώμην: *& Aborigines circa ipſam Romam.* Jul. Solin. cap. 2. Polyh. *Palatium vero nemo dubitaverit, quin Arcades habeat auctores, a quibus primum Pallanteum oppidum conditum, quod aliquandiu Aborigines habitarunt.*

Ambiguum tamen inter ſcriptores laudatos, utrum alienigenæ, an indigenæ: & probabilia utrinque argumenta. Indigenas eſſe loquitur Suidas in voce αὐτόχθονες, cujus hæc Latine ſunt verſa: *Indigenæ dicebantur, Aborigines, Athenienſes, Arcades, Æginetæ, & Thebani, vel quod primi terram coluiſſent, vel quod advenæ non eſſent.* Adſtipulatur Junianus Juſtinus ex Trogo Pompejo libr. 43. *Italiæ cultores primi Aborigines fuere.* Contra vero advenas fuiſſe videtur innuere Plutarchus apud Pierium Valerianum libr. 22. Hierogl. Et Q. Florens Tertullianus concors eſt libr. de Anima cap. 30. *Invenimus etiam apud Commentarios humanarum antiquitatum paulatim humanum genus exuberaſſe, dum Abo-*

gines, vel vagi, vel extorres, vel glorioſi quique occupabant terras.

Manſit hoc Aboriginum nomen uſque ad Æneæ in Auſoniam adpulſum, quo ſeculo Latinus, eorum rex, eos Latinos vocavit. T. Liv. 1. Decad. libr. 1. in principio. Sunt tamen, qui putent, Aboriginum nonnullos pro Turno, Rutulorum rege, contra Trojanos ſtetiſſe. Servius ad v. 621. libr. 4. Æneid. *Quidam eum* (Æneam) *cum adverſus Aborigines pugnaret, exſanguinem dicunt repertum:* ubi novo more Grammaticus optimus *exſanguinem* pro *exanguem* dixit. Sed ante ea tempora, quam varie bella geſſerint, idem ad v. 324. libr. 8. Æneid. doctiſſime expreſſit: *Sicani autem, ſecundum nonnullos, populi ſunt Hiſpaniæ, a fluvio Sicori dicti. Lucanus:* (1)

Heſperios inter Sicoris non ultimus amnis.

Hi duce Siculo venerunt in Italiam, & eam tenuerunt, excluſis Aboriginibus: mox ipſi pulſi ab illis, quos ante pepulerant, inſulam vicinam Italiæ occuparunt, & eam Sicaniam a gentis nomine, Siciliam vero a ducis nomine dixerunt. Denique ut certum ſit Aborigines Etruſcos fuiſſe, Virgil. libr. 7. Æneid. v. 178. Janum inter Aboriginum reges ponit:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italuſque, paterque Sabinus,
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnuſque ſenex, Janique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant, aliique ab origine reges.

Ubi Servius: *Ab origine, pro Aboriginum reges; ſed eſt metro prohibitus.* Hi primi mortalium in corticibus arborum ſcribere gentes docuerunt. Q. Symmach. libr. 4. epiſt. 28. poſtea in ceratis tabulis ſcribebant. S. Wilibaldus Scotus in vita S. Bonifacii etiam Scoti in fine: *Hæc ego primo in ceratis tabulis deſcripſi.* Vide locum.

Etruriæ alii incolæ vetuſti & recentiores: & obiter de Italiæ mutato ſæpe principatu, barbariſque ejus incolis.

CAP. VIII.

Omnes iſti, quos numeravi, Etruriæ incolæ, aut ante bellum Trojanum, aut certe ante Romam conditam, provinciam iſtam tenuerunt: ſunt & alii, qui iiſdem ſeculis, aut ſequiori ævo, ut Italiam totam, ita quoque Tuſciam poſſederunt. Jul. Solin. cap. 8. Polyhiſt. *Tam clarum decus veterum oppidorum, quæ primum Aborigines, Aurunci, Pelaſgi, Arcades, Siculi, totius poſtremo Græciæ advenæ &c. condiderunt.* Non diſſimilia C. Plin. libr. 3. cap. 5. *Tam tenues primordio imperii fuere radices: colonis ſæpe mutatis, tenue-*

(1) Libr. 4. v. 14.

Digitized by Google

tenuere alii aliis temporibus, Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli, & ultra Circejos, Oſci, Volſci, Auſones. Lepide Favorinus philoſophus apud A. Gell. libr. 1. cap. 10. *Curius, & Fabricius, & Coruncanus antiquiſſimi viri noſtri, & his antiquiores Horatii illi trigemini, plane ac dilucide cum ſuis fabulati ſunt, neque Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelaſgorum, qui primi incoluiſſe dicuntur, ſed ætatis ſuæ verbis locuti ſunt.* Mendum eſt, & forte ſupplendum eſſet: *qui primi Italiam incoluiſſe dicuntur.* Virgil. libr. 7. Æneid. in fine:

. . . denſantur campis Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici.

Atque hi primi, ut dixi, cultores; ætate vero inſequenti, inſigni gentis opulentia allecti, alii ſucceſſerunt, tempore, moribus, regionibuſque diſcreti. Fanutius Campanus MS. libr. 1. de Illuſtrib. Italiæ Familiis: *Aborigines, duce Oënotro, Lycaonis Arcadiæ Regis filio, relicta Peloponneſo, Latium occuparunt, propter cœli temperiem, & agrorum uberrimam fertilitatem: & iisdem modis Arcades iterum, duce Evandro Pelaſgi ex Theſſalia, Hercules ex Peloponneſo, ſedem omnium rerum & fortunarum in Latio collocarunt: diruta poſtmodum, & funditus everſa Troja a Græcis, Æneas profugus multa cum gente, primo in Lybiam, mox in Italiam venit: & habitando in curia regis Latini, devicto Turno, accepit in uxorem Laviniam, filiam regis Latini: & tandem mortuo Latino ſucceſſit in regno.* Multis deinde regum Albanorum ſucceſſionem, ac Italicarum rerum viciſſitudinem exequitur, tandemque in pauca contrahit.

Prima Nobilitas Italiæ incipit poſt diluvium ad Athalum.
2. *Nobilitas ab Athalo rege, ad Latinum regem.*
3. *Nobilitas ab Aboriginibus.*
4. *Nobilitas a Trojanis adventante Ænea.*
5. *Nobilitas a Romulo, & aliis regibus.*
6. *Nobilitas a Conſulibus poſt expulſos reges.*
7. *Nobilitas ab Imperatoribus.*
8. *Nobilitas incœpit a Pontificibus, & initiavit tempore Conſtantini Magni Imperatoris ſub Silveſtro Papa.*

Per nobilitatem intelligit ſcriptor iſte varios poſſeſſores Italiæ, penes quos erat jus nobilitatem conferendi. Adſcribam & alium locum Joannis Solini MS. de Notabilibus & Mirabilibus, quo utor beneficio Reverendiſſ. D. Raphaëlis Roncionii, viri humaniſſimi ac eruditiſſimi, Piſanæ Metropolis Archipresbyteri: *Quantum autem fuerit, & ſit decorata provincia Italiæ, immenſæ ac vaſtæ urbium, civitatum, & oppidorum moles, & egregia facta gentium & populorum ejus oſtendunt: pars enim pulcherrima eſt feliciſſima Europæ, ac totius orbis exornatiſſima aula: origo ejus ſplendidiſſima ſub aureo ſeculo, propter incolentium & progenitorum ſplendorem: ejus auctoritas tanta eſt, ac excellentiſſima dignitas, ut divinæ literæ ſacræ hiſtoriæ numero divino ac perfectiſſimo*

ſeptem

Digitized by Google

ſeptem in locis ejus meminerint ſub nomine Kychyn. Sub ejus imperio jam omnia mundi regna pacata permanſere. Fertiliſſima atque uberrima omnium provinciarum, in qua, quidquid a natura optimum ac bellum effici potuit, affatim conſpicitur. Ejus amœnitas tanta eſt, ut omnes gentes huc adventantes, proximæ & externæ, propter ejus decorem, ſedibus illuſtribus incoluerint, & aliquæ propter invidiam devaſtaverint. Auctoribus antiquis Polybio, Catone, Livio, Solino, Dionyſio, atque Procopio teſtibus, Italiam coluere Oënotrii, Aborigines, Arcades, Lydi, Aurunci, Pelaſgi, Auſonii, Trojani, Veneti, Ligures, Ardeates, Rutuli, Siculi, Japyges, Lacedæmones, Salentini, Delii, Eniani, Achæi, Orapitii, Pylii, Piſi, Galli Senones, Carthaginienſes, Heruli, Gothi, Oſtrogothi, Hunni, Pannones, Turinges, Avari, Longobardi, Saraceni, Britanni, Cymbri, & Germani. Ex his enim & eorum gentilitiis primordiis populi & gentes Italiæ prodiere. Quæ ſi olim ſub Diis alienis ac falſis, tot Regibus, Dictatoribus, Conſulibus, & Imperatoribus, atque Ducibus ſereniſſimis ſuum decorem ſervavit; nunc vero ſub vexillo diviniſſimæ majeſtatis, individuæ Trinitatis, Sanctiſſimis ac Beatiſſimis Pontificibus, Illuſtriſſimis ac Reverendiſſimis Cardinalibus, Reverendiſſimis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, atque Patriarchis Catholicis, Sereniſſimis ac Chriſtianiſſimis Imperatoribus, ac Regibus, atque Excellentiſſimis Ducibus, Illuſtriſſimis ac Clariſſimis Principibus, & Dominis, expulſa idolorum vanitate, militat, tuetur, atque decoratur. Populorum autem antiquiſſimorum ac nobiliſſimorum Italiæ origo talis eſt. Cujus auctoris, quia alibi vix extarent, e MS. verba adpoſui, quibus aliqua auctoritas, ob veruſtatem, tribuenda eſt. Porro qui ſint *Eniani*, *Orapitii*, aut *Delii*, quos ille Italiæ colonos facit, non memini legiſſe me alibi, & forte ab aliquo corrupta librario nomina; nam autographum eſt Romæ trecentorum fere annorum: exemplar, quod penes me aſſervatur, a nupera eſt manu. Nec *Cimbri*, a Mario victi, incolæ fuerunt Italiæ: nec *Carthaginienſes*, duce Hannibale, amplius quam octodecim annos eidem provinciæ ſunt immorati, ut immerito inter incolas reponi debeant. *Heruli* autem anno Dom. 559. in Italiam irruperunt, Anno 33. Juſtiniani Aug. Anaſtaſius Bibliothecarius in Joanne III. *Eodem tempore Heruli in Tarſia venerunt, & levaverunt ſibi regem Sindualt, & premebant cunctam Italiam*. Ubi legendum omnino eſt: *Heruli in Tuſciam venerunt*. Jornand. in Reb. Gothor. cap. 50. Sidon. Apollin. Carm. 7. v. 224. *Britanni* autem ſunt *Scoti*, qui bis in Italiam venerunt; ut omittam inſignem eorum in viſitandis locis ſanctis pietatem. Theodoricus a Niem libr. 3. Schiſmatis cap. 14. Primo quidem Ferguſius ſecundus Scotiæ Rex, cum Alarico Gothorum Rege, valido ſuorum præſidio Romam contendit, urbemque diripuit, & ex præda nihil præter libros quosdam manuſcriptos in patriam tulit, qui furiis in Scotiam immiſſis, hæreticorum facibus, magna veræ pietatis jactura, arſere. Hiſtorici, Jornand. libr. de Reb. Getic. Hector Boëthius Scotus libr. 7. Hiſt. Scot. pag. 114. Claudian. libr. de Bello Getico.

Venit

Venit & extremis legio prætenta Britannis
Quæ Scoto dat frena ſuo.

Iterum cum Carolo magno Scoti quidam proceres in Italiam venere, ſi vera narrat Egoliſmenſis Monachus in vita Caroli Magni. Et ex his quidam Florentiam reſtauravere: Leones ut ibi alerentur perpetuo, qui gentile ſunt regum Scotorum inſigne, caverunt: pontem ſtruxerunt: muros auxerunt, aliaque ad tantæ civitatis ornatum amplificandum adjecerunt. Joann. Leslæus libr. 5. alii aliis civitatibus manſuram ſedem fixere, ut Duglaſſii Placentiæ, a quibus *Scotorum* comitum initium Anno Dominicæ aſſertionis 779. Umbertus Locatus in Chronic. Placent. Et ex illo Franc. Sanſovin. libr. de Illuſtr. Ital. Famil. pag. 112. Sed ad Etruriam redeo.

Etruſcorum fama, opulentia, ac potentia: Italiam totam domuerunt: Romæ tributum impoſuerunt: trecentas Umbrorum urbes ſubegerunt: cum Jaſone, & Argo nautis pugnaverunt: Mantuam, Nolam, Capuam, Bononiam, ipſamque Romam condiderunt: in Alpibus Colonias plantaverunt: Volſcis, & Cumanis imperarunt: Phlegræos campos tenuerunt, ubi Gigantomachia.

CAP. IX.

NUlla gens aut factis illuſtribus clarior, aut nominis celebritate Etruſcis prior: ſive bonarum artium, artificiorumque nobilitatem ſpectes, ab iis pleræque originem traxerunt: ſive res bello geſtas intueatis, Italiam totam, inſulaſque adjacentes patriis exercitibus ſubjecere: ſeu denique opulentiam perpendas, æqualibus animis, opibuſque non inferioribus quingentis annis cum Romanis contenderunt. Vide Diodorum Siculum libr. 5. pag. 316. Junium Philargyrium, Serviumque Honoratum ad libr. 2. Georg. & Poëtam Anonymum laudatos libro hoc cap. 1. ſuperius. Adde T. Livium 1. Decad. libr. 1. in principio, & poſt eodem libro in concione Metii: *Illud te, Tulle, monitum velim, Etruſca res quanta circa nos teque maxime ſit, quo propiores vos, hoc magis ſcis: multum illi terra, plurimum mari pollent*. Et ejuſdem Decadis libr. 5. *In Italiam Galli traſcenderunt,*

nec

nec cum his primum Etruſcorum, ſed multo ante cum iis, qui inter Apenninum, Alpeſque incolebant, ſæpe exercitus Gallici pugnaverunt. Tuſcorum ante Romanum imperium late terra marique opes patuere: mari Supero, Inferoque, quibus Italia inſulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadria Tuſcorum colonia, vocavere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum, atque Hadriaticum vocant. Ii in utrunque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum ad Inferum mare, poſtea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, colonis miſſis, qui trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, uſque ad Alpes tenuere. Alpinis quoque gentibus ea haud dubie origo eſt, maxime Rhætis: quos loca ipſa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter ſonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent. Claritudo itaque Etruſcorum ex Livio potiſſimum duplex: prior Italiam totam, exceptis Venetis, occupaſſe: altera utrique mari nomen impoſuiſſe, cum antea ab ortu Italiæ mare, quod alluit, *Superum*, ab occaſu *Inferum* appellaretur. Virgil. libr. 2. Georg.

An mare quod ſupra memorem, quodque alluit infra?

Vetus Inſcriptio, ſeu verius Trophæum Auguſti Octaviani. (1)

IMP. CAESARI. DIVI. F. AUGUSTO.
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBUNIC. POTESTAT. XVII.
S. P. Q. R.
QUOD. EJUS. DUCTU. AUSPICISQUE.
GENTES. ALPINAE. OMNES. QUAE. A. MARI.
SUPERO. AD. INFERUM. PERTINEBANT.
SUB. IMPERIUM. P. R. REDACTAE. SUNT.

Superum vero mare etiam *Jonium* invenio vocatum. Teſtis Joannes Tzetzes Chiliad. Hiſtoriar. 11. cap. 361.

Ὁ πέλαγος Ἰόνιον καλεῖται τοῦ ἀδρίου
Ἀπ' Ἰόνου Ἰλλυρικοῦ τὴν κλῆσιν δεδεγμένον,
Τοῦ τόπου βασιλεύοντος

Quod Pelagus Jonium vocatur Hadriaticum,
Ab Jonio Illyrio nomen adeptum,
Hoc loco regnante.

Conſtantiſſima tamen poſtea conſuetudine invaluit, ut illud a celebri civitate *Adria*, ſeu *Atria*, de qua libr. 4. infra dicam, Hadriaticum diceretur; iſtud vero a principe *Tyrrhenum* audiret. Symmach. libr. 7. Epiſt. 36. Vetus Scholiaſt. Juvenalis ad v. 95. Sat. 6.

Tyrrhenos igitur fluctus, lateque ſonantem
Pertulit Jonium.

Ita Poëtæ Græci, Latinique, & Hiſtorici, uſque adeo ut a Sicilia uſque in Galliæ Occitaniæ & Aquitanicæ littus protendatur; nam Rhodanus

Digitized by Google

danus dicitur in mare Tyrrhenum influere. Iſidor. libr. 13. cap. 21. Philoſtrat. libr. 5. de Vita Apollonii cap. 3. Polybius Megapolitanus pleniſſime libr. 2. pag. 105. Plutarch. in Lucullo pag. 136. in Paulo Æmilio pag. 257. in Pompejo pag. 632. in M. Antonio pag. 944. D. Paulin. Natali 3. Felicis:

. . . . . & tuncti, quos alluit aſtus uterque

Aurel. Prudent. περὶ στεφ. in D. Hippolito:

Pertulerat rabiem Tyrrheni ad littoris oram
Quæque loca æquoreus proxima pontus habet.

Claudian. Conſul. Manlii Theodori:

Ultima Sardiniam, Cirnon, triſidamque retentat
Sicaniam, & quicquid Tyrrhena clauditur unda,
Vel gemit Jonia.

Ubi, ut Tzetzes ſupra, Jonium mare cum Adriatico confundit. Servius ad v. 71. libr. 1. Æneid. multis de nominis ratione diſſerit, quem conſule. Rutil. Numatian. libr. 2. Itinerarii.

In latum variis damnoſa anfractibus errat
Tyrrheni rabies Hadriacique ſalis.

Domuiſſe totam Italiam non tam mirum, quam ipſi Romæ tributum impoſuiſſe, & multis ætatibus impoſitum ab eadem exegiſſe: erat autem id tributum decimæ omnium frugum, fructuumque in Latio perceptorum, quod reperies apud Gregorium Petrum Toloſanum libr. 18. Syntagmat. Jur. Univerſ. cap. 2. num. 19. & tradidit fide dignus Plutarchus Problemat. Roman. cap. 17. διὰ τί τῷ Ἡρακλεῖ πολλοὶ τῶν πλουσίων ἐδεκάτευον τὰς οὐσίας; πότερον ὅτι κἀκεῖνος ἐν Ῥώμῃ τῶν Γηρυόνου βοῶν ἀπέθυσε τὴν δεκάτην, ἢ ὅτι Ῥωμαίους ὑπὸ Τυρρηνῶν δεκατευομένους ἀπήλλαξεν. *Cur multi divitum Herculi decimam partem bonorum ſuorum conſecrant? An quod is quoque Romæ decimam boum Geryonis partem depoſuit? aut quod effecit, ne Romani porro decimas Etruſcis penderent.* Herculem itaque vult Romanos tributo, quod Etruſci annuum exigebant, liberaſſe, poſt ſuperatum in Hiſpania Geryonem, & in Latio Cacum.

Hoc ſatis ad tantæ gentis laudem videri poterat, niſi ampliora reſtarent, quæ ejus gloriam, & rei militatis peritiam, ſucceſſumque in omnibus bellis ſupra fidem optatum loquerentur. Quale enim eſt, quod a C. Plinio relatum libr. 3. Nat. Hiſtor. cap. 14. *Siculi & Liburni plurima ejus tractus tenuere, in primis Palmenſem, Prætutianum, Adrianumque agrum: Umbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli. Umbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur, ut quos Ombrios a Græcis dictos putent, quod inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent: trecenta eorum oppida Tuſci debellaſſe reperiuntur.* Leni correctione locus eget, itaque legendum: *ut quos Ombricos a Græcis dictos putent.* Confirmat Herodotus libr. 1. quem conſule. Strabonis Amaſiani verba ex libr. 5. Geogr. adponam, ut vertit Guilielm. Xylander; Græcus enim codex ad manum non eſt: *Superfuerunt Liguſticæ gentes & Coloniæ Romano-*

manorum, Romanis Umbrica etiam gens admixta erat, & alicubi etiam Tyrrhena; Umbri enim & Tyrrheni, antequam Romanorum aucta fuit potentia, diu de principatu inter ſe contenderunt: cumque Tiberi fluvio dividerentur, facile ultro citroque bellum inferebant, quod ſi alteri expeditionem in aliam gentem ſuſciperent, curæ erat alteris, ut eodem tempore ipſi quoque eo ducerent. Itaque cum Tyrrheni in barbaros circa Padum habitantes exercitum miſiſſent, ac re bene geſta, ob luxuriam mox vice verſa ejicerentur, Umbri bellum iis fecerunt, qui Tyrrhenos expulerant: deinde ex ſucceſſione de locis diſceptantes, multas Colonias Tyrrhenas, plures Umbricas fecerunt, quod Umbri propiores locis eſſent. Hæc ille parum fideliter, nam antiquis illis ſeculis una tantum Etruriæ pars erat Umbria, non etiam, ut æmula de imperio certare illi poſſet, atque ita concors omnium Geographorum eſt opinio: deinde cur trecentas Umbrorum urbes, ab Etruſcis debellatas, non pro dignitate rerum geſtarum commemorat?

Atque iſta quidem terra ab iis ſunt geſta; navali vero expeditione eo uſque provecti gloriæ, ut Lunenſem portum nobiliſſimum in Etruria ὁρμητήριον θαλαττοκρατησάντων ἀνθρώπων τοσαύτης μὲν θαλάττης τοσοῦτον δὲ χρόνον vocet Strabo libr. 5. pag. 153. *receptaculum hominum, qui principatum tanti maris tenuerunt tamdiu*. Quare eos & naves inveniſſe, & piraticam exercuiſſe libr. 3. infra hoc opere probatum invenies: quin imo ante Jaſonem & Argonautas, quem primum navem longam ſtruxiſſe fabulata eſt Græcia, Etruſci mari potentes deprehenduntur. Teſtis eſt Poſſis Magneſius libr. 3. Amazonidis, apud Athenæum libr. 7. Dipnoſophiſt. pag. 296. Τῆς Ἀργοῦς φησὶ δημιουργὸν γένεσθαι τὸν Γλαῦκον καὶ κυβερνῶντα αὐτὴν, ὅτε Ἰάσων μετὰ τῶν Τυῤῥηνῶν ἐμάχετο, μόνον ἄτρωτον γένεσθαι ἐν τῇ ναυμαχίᾳ. κατὰ δὲ Διὸς βούλησιν ἐν τῷ τῆς θαλάττης βυθῷ φανῆναι, καὶ οὕτως γένεσθαι θαλάττιον δαίμονα, ὑπὸ μόνου τ' Ἰάσωνος θεωρηθῆναι. *Navis Argi Glaucum Architectum gubernatoremque fuiſſe tradit, & in Jaſonis cum Tyrrhenis navali pugna, ſolum eum nullo vulnere fauciatum fuiſſe, ſed ut Jovi placuerat, in fundo maris apparuiſſe, Deumque maris ita factum, ab Jaſone ſolo viſum*. Ex his celebritatem gentis hujus quilibet facile percipiet. In Tyrrhenum mare Argonavem veniſſe, videtur ſubindicare M. Valerius Flaccus libr. 4. Argonaut. ad finem:

Tum freta, quæ longis fuerant impervia ſeclis,
Ad ſubitam ſtupuere ratem, pontique jacentis
Omne ſolum, regeſque patent, genteſque repoſtæ,
Non alibi effuſis ceſſerunt longius undis
Littora, nec tantas quamvis Tyrrhenus, & Ægon
Volvat aquas.

Expreſſius Strabo Amaſian. libr. 1. Geogr. pag. 31. Τινὲς δὲ καὶ τὸν Ἴστρον ἀναπλεῦσαι φασὶ μέχρι πολλοῦ τοὺς περὶ τὸν Ἰάσονα, οἱ δὲ καὶ μέχρι τοῦ Ἀδρίου. *Quidam etiam bonam Iſtri partem adverſo flumine ſubvectum Jaſonem cum ſuis autumant, nonnulli uſque ad Adriam*. C. Plin. libr. 3. cap. 18,

Ultra

Ultra quam ſex millia paſſuum Formio amnis, ab Ravenna centum octuaginta novem millia paſſuum, antiquus auctæ Italiæ terminus: nunc vero Iſtriæ, quam cognominatam tradunt a flumine Iſtro, in Adriam effluente e Danubio amne, eidemque Iſtro ex adverſo Padi fauces contrario eorum percuſſu mari interjecto dulceſcente, plerique dixere falſo, & Nepos Cornelius etiam Padi accola; nullus enim ex Danubio amnis in Hadriaticum mare effunditur. Deceptos credo, quoniam Argo navis flumine in mare Hadriaticum deſcendit, non procul Tergeſte, nec jam conſtat quo flumine. Pudenda ſunt errata, quæ de Argonautarum reditu, & vellere relato reperiuntur apud Apollonium Rhodium libr. 4. Argonaut. nam eos Iſtro delatos in Hadriaticum mare ſcribit: exinde Padum ingreſſos in Rhodanum deveniſſe, qui eos ſecundo alveo in mare Liguſticum detulit, inſulaſque Stœchadas: quæ prodigioſa geographia indignationem, an riſum mereatur? Peſſimi illius Poëtæ optimum Scholiaſten ibidem loci conſule, & Euſtathium ad libr. 12. Odiſſ. v. 70. ubi Argonavis Homero eſt *πασιμέλουσα, omnibus curæ habita*. Tu adi eos, ego non exſcribo.

Hucuſque fama, opes, res terra marique antiquiſſimo ævo explicatæ: videndum nunc, quid monimenti tantarum virtutum poſteris reliquerint. Id optime teſtantur Coloniæ extra Tuſciam ſuam ab iis victoribus tranſmiſſæ, civitateſque pro jure victoriæ, veluti trophæa, erectæ: quarum prima Mantua, in Tranſpadana regione, quæ nunc Longobardia dicitur, ea ſane condita ab Ocno Bianore rege Etruriæ. Virgil. Eclog. 9. in fine:

> *Hinc adeo media eſt vobis via; namque ſepulchrum*
> *Incipit apparere Bianoris.*

Ubi Servius Maurus ad verba BIANORIS: *Hic eſt, qui & Ocnus dictus eſt, de quo ait in decimo:*

> *Fatidicæ Mantus & Tuſci filius amnis,*

conditor Mantuæ. Dictus Bianor autem eſt, quaſi animo & corpore fortiſſimus, ἀπὸ τῆς βίας ϗ ἀνορέης. Idem ad libr. 10. Æneid. v. 201. *Ocnus iſte eſt Avenus, quem in Bucolicis Bianorem dicit: ... hic Mantuam dicitur condidiſſe, quam a matris nomine appellavit; nam fuit filius Tiberis & Mantus, Tireſiæ Thebani vatis filiæ, quæ in Italiam poſt parentis venit interitum. Alii Manto filiam Herculis vatem fuiſſe dicunt: hunc Ocnum, alii Auleſtis filium, alii fratrem, qui Peruſiam condidit, referunt: & ne cum fratre contenderet, in agro Gallico* (1) *Celſenam, quæ nunc Bona dicitur, condidiſſe: permiſiſſe etiam exercitui ſuo, ut caſtella munirent, in quorum numero Mantua fuit. Alii a Tarchonte, Tyrrheni fratre, conditam dicunt. Mantuam autem ideo nominatam, quod Etruſca lingua Mantum Ditem patrem appellant, cui etiam cum ceteris urbibus & hanc conſecravit*. Inſignis ſane antiquitas, ſive ab Ocno tempore Tireſiæ Thebani, ſive a Tarchonte ſub appulſum Lydorum in Tuſciam, uterque parens Tuſcus eſt.

(1) Cluverius Ital. Antiq. libr. 1. cap. 28. pag. 284. recte emendat *Felſinam, quæ nunc Bononia dicitur*.

C. Plin. libr. 3. cap. 19. *Mantua Tuſcorum trans Padum ſola reliqua.* Ipſe Virgilius loco laudato:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantus, & Tuſci filius amnis,
Qui muros, matriſque dedit tibi, Mantua, nomen:
Mantua dives avis, ſed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni,
Ipſa caput populis: Tuſco de ſanguine vires.

In eodem tractu Bononia auctorem agnoſcit *Felſinum*, Etruriæ regem; quare eam ob cauſam *Felſina* prius dicebatur: & poſtea a *Bono*, etiam Etruriæ rege, cœpta eſt *Bononia* dici, ut libr. 2. infra in Catalogo Regum fiet clarum. C. Plin. libr. 3. cap. 15. *Bononia Felſina vocata, cum princeps Etruriæ eſſet*. Locus procul omni dubio corruptus eſt; nam tantum abeſt, ut princeps Etruriæ civitas Bononia eſſet, quin ne in Etruſcarum urbium numero cenſeretur: certe inter duodecim præcipuas eam nemo, quod ſciam, repoſuit. Corrigendum igitur Plinium cenſeo: *cum princeps Etruriæ Felſinus conditor eſſet*. Raphaël Volaterranus libr. 4. pag. 117. *Felſinæ* quidem nomine prius vocatam, ſed deinde *Bononiam* vult appellatam, quaſi *Bojoniam*; quod ſcilicet Bojorum fuerit colonia: quæ ſententia & ſuos habet auctores. T. Liv. 4. Decad. libr. 7. *Eodem anno*, ſcilicet ab urbe condita 565. Coſſ. M. Fulvio Nobiliore, & Cn. Manlio Vulſone, *ante diem III. Calendas Januarias, Bononiam Latinam Coloniam ex S. C. L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius Tappus triumviri deduxerunt. Tria millia hominum ſunt deducta: equitibus ſeptuagena jugera, ceteris colonis quinquagena ſunt data: ager captus de Gallis Boiis fuerat, Galli Tuſcos expulerant*. Eadem ſed brevius, Vellejus Paterculus libr. 1. Hiſtor. Rom. Petrus Marſus ad illud libr. 8. Punicor. Silii Italici:

Et quondam Teucris comes in Laurentia bella
Ocni priſca domus, parvique Bononia Rheni.

Hæc quidem trans Apenninum; ad meridiem vero non minor rerum fortiter geſtarum gloria, aut humiliores poteſtatis reliquiæ. Ac primum trans Tiberim opulentiſſimam Volſcorum gentem ſubdidere Etruſci. Nam cum Virgilius libr. 11. Æneid. dixiſſet:

Multæ illam fruſtra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum;

Servius Honoratus ſubdit: *Et hic oſtendit, dicendo Tyrrhena per oppida, quod etiam Volſci in Tuſcorum fuerint poteſtate.*

Campaniam totidem pæne annis, quot Galliam togatam, hoc eſt quingentis ante Romam conditam, ſui juris ante, & libere viventem, in poteſtatem ſuam iidem Etruſci redegerunt, notat Janus Parrhaſius ad libr. 3. Claudiani de Rapt. Unde & Lucrinus lacus, & ſinus Puteolanus Tyrrheni nomen habuerunt, ut doceo cap. de Lacubus libr. 5. infra hoc opere. In eodem etiam tractu *Cumæ* ab Etruſcis originem ha-

habent. Vellejus Patercul. libr. 1. Hiſtor. *Cumanos Oſca mutavit vicinia:* quod de Etruſcis intelligendum probabo cap. hujus libri 21.

Nolæ conditores Tuſci, uti & Capuæ. Idem Patercul. ibidem loci: *Dum in externis moror, incidi in rem domeſticam, maximique erroris, & multum diſcrepantem auctorum opinionibus; nam quidam hujus temporis tractu ajunt, a Tuſcis Capuam Nolamque conditam ante annos fere octingentos triginta: quibus equidem aſſenſerim; ſed M. Cato quantum differt! qui dicit Capuam ab iisdem Tuſcis conditam, ac ſubinde Nolam; ſtetiſſe autem Capuam, antequam a Romanis caperetur, annis circiter ducentis ſexaginta: quod ſi ita eſt, cum ſint a Capua capta anni ducenti quadraginta, ut condita eſt, anni ſunt fere quingenti. Ego, pace diligentiæ Catonis dixerim, vix crediderim, tam maturæ tantam urbem creviſſe, floruiſſe, concidiſſe, reſurrexiſſe.* Probo Paterculi de antiquitate harum illuſtrium civitatum ſententiam; nam ſi vera eſt Catonis opinio, diu poſt Romam conditam ſtructas illas fateri oportebit, quo tamen tempore exiguæ Etruſcorum vires, bellis aſſiduis vexatis utrinque populis, cum ante Romam conditam præcipua fuerit Etruſcorum claritudo.

Capua, omnium Campaniæ urbium mater, quæque auſa eſt Conſulatus participationem ſecundo bello Punico, legatis Romam miſſis, petere, eodem tempore iisdem auctoribus Tuſcis condita. Vellejus proxime ſupra laudatus. Pompon. Mela libr. 2. cap. 4. *Ad dextram Capua a Tuſcis, & Roma quondam a paſtoribus condita.* Polybius Megapolitanus, Africani comes, libr. 2. Hiſtoriar. pag. 105. Πλὴν ταῦτα γε τὰ πεδία τὸ παλαιὸν ἐνέμοντο Τυῤῥηνοί. καθ' οὓς χρόνους, καὶ τὰ Φλέγραιά ποτε καλούμενα τὰ περὶ Καπύην, καὶ Νώλην πεδία...... καὶ διὰ τὸ πολλοῖς ἐμποδὼν εἶναι καὶ γνωρίζεσθαι μεγάλην ἐπ' ἀρετῇ δόξαν ἀληφέναι. διὸ καὶ τοὺς ἱστοροῦντας τὰς Τυῤῥηνῶν δυναστείας, οὐ χρὴ ποιεῖσθαι τὴν ἀναφορὰν ἐπὶ τὴν νῦν κατεχομένην ὑπ' αὐτῶν χώραν, ἀλλ' ἐπὶ τὰ προειρημένα πεδία, καὶ τὰς ἐκ τούτων τῶν τόπων ἀφορμάς. οἷς ἐπιμιγνύμενοι κατὰ τὴν παράθεσιν Κελτοὶ, καὶ περὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας ὀφθαλμιάσαντες, ἐκ μικρᾶς προφάσεως μεγάλῃ στρατιᾷ παραδόξως ἐπελθόντες, ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυῤῥηνοὺς, καὶ κατέσχον αὐτοὶ τὰ πεδία. Quæ ſic Latina civitate donari poſſunt: *Igitur planitiem iſtam tenuere quondam Etruſci, cum quidem & campos circa Capuam & Nolam, Phlegræos quondam dictos, poſſidentes ... quod multorum pravis conatibus obſtarent, exteris innotuerunt, magnamque opinionem virtutis apud eos ſunt conſecuti: idcirco qui hiſtorias legunt de Etruſcorum dynaſtiis, & variis dominatibus, eos oportet non ad illam dictionem, quam nunc obtinent, oculos referre; verum ad campos, de quibus verba fecimus, & opes, quas ex iis locis colligebant. Adſidebant Tuſcis Galli, ideoque cum ipſis commercia frequentabant: deinde cupiditatis oculis in pulcherrimam planitiem conjectis, arrepta occaſione levi numeroſo cum exercitu, nihil cogitantes Etruſcos invadunt, ex regione Circumpadana eiiciunt, atque ipſi planitiem illam occupant.* Quod vetuſtiſſimum præclariſſimi Scriptoris teſtimonium magni faciendum eſt, qui Etruſcos veluti publicos criminum inter mortales

tales ætate illa vindices facit. Illud non minus nobile, Phlegræos campos ab iis poſſeſſos, in quibus fabulata antiquitas gigantomachiam commiſſam: de qua hoc obiter dixerim, a multis olim tentatam, a nullo potuiſſe abſolvi, obiter deſcribunt illam Marcianus Heracliota Coſmogr. v. 635. & hos etiam campos: quem vide. Valerius Flaccus libr. 2. Argonaut. in limine. Pindarus Nemear. od. 1. in fine. Gigantum nomina eleganter Sidonius Sollius Apollinaris Carm. 9. v. 85. & Carm. 15. v. 17. Pulchram reddit hujus fabulæ rationem Alcimus Avitus libr. 4. cap. 4. quem adi. Inter veteres vero plerique aggreſſi ſunt illud argumentum infeliciter, & ſine ſucceſſu. Claudianus libello imperfecto, ſed eleganti, Julius Cerealis, Martial. libr. 11. Epigr. 53:

Ipſe tuos nobis relegas licet uſque Gigantas.

Et Jonius quidam non incelebris poëta. D. Paulinus Epiſtola ad eum:

Non modo judicium Paridis, nec bella Gigantum
Falſa canas.

M. Manilius libr. 1. Aſtronom.

. . . . . . *vaſtos cum terra Gigantes*
In cœlum furibunda tulit.

Inter noſtræ ætatis viros tentavit idem Stroza Ferrarienſis non ignobiliter. Quare Ovid. libr. 2. Triſt. ad Auguſtum:

At ſi me jubeas domitos Jovis igne Gigantes
Dicere, conantem debilitabit onus.

Et ad eundem libr. 4. Triſt. Eleg. 10. Hercules Ciofanius. Xenophanes Colophonius:

Οὔτι μάχας διέπειν Τιτήνων, οὐδὲ Γιγάντων,
Nolim pugnas commemorare Titanum, nec Gigantum.

Ad Capuam redeo. T. Liv. 1. Decad. libr. 4. *Peregrina res, ſed memoria digna traditur eo anno facta. Vulturnum, Etruſcorum urbem, quæ nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam, Capuamque ab duce eorum Capye, vel, quod propius vero eſt, a campeſtri agro appellatam. Cepere autem prius bello fatigatis Etruſcis, in ſocietatem urbis agrorumque accepti: deinde feſto die gravatos ſomno epuliſque incolas veteres novi coloni nocturna cæde adorti.* Itaque *Vulturnum* conditores Tuſci *Capuam* vocavere, ſecundum Livium; nomen vero recentius Samnitum eſt. His Servius Maurus contradicit ad libr. 10. Æneid. pag. 581. *Iſte quidem hoc dicit, ſicut Ovidius, qui Capyn de Trojanis eſſe commemorat:*

Ille dedit Capys repetita vocabula Trojæ;

Cæliuſque Trojanum Capyn condidiſſe Capuam tradidit, eumque Æneæ fuiſſe ſobrinum. Alii hunc Capyn filium Capeti volunt eſſe, Tiberini avum, ex quo fluvius Tiberis appellatus eſt, eumque Capuæ conditorem produnt. Alii Capyn Samnitem condidiße Capuam confirmant; ſed Capuam vult Livius a locis campeſtribus dictam, in quibus ſita eſt. Conſtat tamen eam a Tuſcis conditam, de viſo falconis augurio, qui Tuſca lingua Capys dicitur, unde eſt Capua nominata. Tuſcos autem omnem pæne Italiam ſubju-

bjugaſſe manifeſtum eſt. Alii a Tuſcis quidem retentam, & prius Aliternum vocatam, Tuſcos a Samnitibus exactos Capuam vocaſſe, ob hoc, quod hanc quidam Falco condidiſſet, cui pollices pedum curvi fuerunt, quemadmodum falcones aves habent, quos viros Tuſci Capuas *vocarunt.* Vide, quæ de Varrone ibidem adfert. Locus eſt ſuſpectus; ibi enim, *prius Aliternum vocatam,* puto legendum ex Livio, *prius Vulturnum vocatam*; credibile enim eſt ab amne nobili Vulturno nomen quoque civitati impoſitum. C. Plin. libr. 3. cap. 5. *Vulturnum oppidum cum amne*. Multum Etruria Servio debet, qui hanc nobiliſſimam urbem ei aſſeruit, quam omnes pæne alii Capyi Trojano aſſignant. Ut diſquirit Ant. Sabellicus libr. 1. Ennead. 2. non Tuſcis, ſed Capyi originem ejus attribuit Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 1. pag. 59. & deducta eo Colonia, *tabula ænea in monimento, in quo dicebatur: Capys conditor Capuæ ſepultus, inventa eſt, conſcripta literis, verbiſque Græcis*. Sueton. in Julio cap. 81. Ita poëtæ conſtanter non Tuſcos, ſed Trojanos, auctores agnoſcunt. Virgil. loco laudato:

Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

Sil. Italic. libr. 12. Punicor.

Tum Capys, ut primum dederit ſua nomina muris.

M. Lucan. libr. 2. Pharſal.

Mœnia Dardanii tenuit Campana coloni.

Quos omnes puto intelligendos de Capy reſtauratore urbis, quæ jam, florentibus Etruſcorum rebus, condita, appellentibus in Italiam Trojanis reparata; ita Romulus Romam condidiſſe dicitur, cum diu ante illum Evander oppidum ibi ſtruxerat: & Semiramis condidiſſe Babylonem putatur a plerisque, cum conditam diu antea urbem muris tantum cinxerit. Jul. Hygin. Fabular. cap. 233. Fuſe Joann. Tzetz. Chiliad. 9. Hiſtor. cap. 275. Priſcian. in Periegeſi.

Ad partes Auſtri Babylon, quam mœnibus olim
Mirandis poſuit, firmiſque Semiramis urbem.

Et pæne ſemper evenit, ut illuſtres urbium reſtauratores pro conditoribus habeantur: quod de Capy reſtaurante Capuam verum eſt, quam diu ante Etruſci jam condiderant.

Mediolanum etiam ab Etruſcis poſſeſſam, totamque eam amœniſſimam planitiem, quæ circumjacet, conſtans eſt hiſtoriæ fides. Iſidor. *Galli quidam inteſtina diſcordia, & aſſiduis diſſenſionibus ſuorum permoti, ſedes novas quærentes, in Italiam profecti ſunt, ſedibuſque propriis Tuſcis expulſis, Mediolanum, atque alias urbes condiderunt*. Hæc ille libr. 15. cap. 1. Etymologiar. cui adde Procopium libr. 2. Hiſt. Gothor.

Denique extra Italiam in Alpes Rhæticas colonias iidem traduxerunt. T. Liv. 1. Decad. libr. 5. laudatus hujus capitis principio. Junianus Juſtinus libr. 20. conditam Mediolanum ſecutam hanc Coloniæ deductionem narrat: *Gallis cauſa veniendi in Italiam, ſedeſque novas quærendi, inteſtina diſcordia, & aſſiduæ domi diſſenſiones fuere; cum in Ita-*

Italiam veniſſent, ſedibus Tuſcos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Bergomum, Veronam, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Tuſci quoque, Duce Rhæto, avitis ſedibus amiſſis, Alpes occupavere, & nomine Ducis gentem Rhæticorum condiderunt. C. Plin. eadem pæne libr. 3. cap. 20. *His contermini Rhæti & Vindelici, omnes in multas civitates diviſi. Rhætos Tuſcorum prolem arbitrantur, a Gallis pulsos duce Rhæto*. Eadem Plutarchus in Mario pag. 411. quem vide.

Quæ omnia parva videbuntur, ſi cum Romanæ urbis primordio conferantur, quam certum eſt ab Etruſcis conditam, ſi fides Alcimo vetuſtiſſimo hiſtorico, & Cumanæ hiſtoriæ compoſitori apud Feſtum libr. 16. Et ne tam vetera ſectemur, Romulus ipſe non potuit civitatem ſuam condere, niſi Tuſcis advocatis, ut narrat Plutarchus in ejus vita pag. 17. quod miror a nullo adhuc notatum.

Quæcumque de claritudine Etruſcorum hic dicta ſunt, priſcum florentemque veteris Tuſciæ ſtatum ſpectant: quæ vero cum Romanis geſſerint, ſuis locis libr. 4. infra expediam; nam ut reliquæ mundi gentes, ita quoque Tuſcia, a Romanorum potentia, veluti maligno ſidere percuſſa, viluit, & elanguit.

Etruſci ſoli qualitas: ſilvis abundans: venatui aptæ illæ: apri, glandes, feracitas frugum: nobiles Cluſinæ, Senenſes: etiam mare piſcoſum.

CAP. X.

SIc ſe habent incolæ, & præclare ab iis geſta. Nunc de ſoli ipſius natura, leni veluti manu tractandum, quæ omnia ad victum neceſſaria affatim ſubminiſtrabat, & proventu uberrimo incolas ſuos ditabat. Fl. Eutrop. libr. 3. *Etruriæ per Aureliam uſque ad Alpes maritimas ingentes agri ſunt, hique fertiles & ſilvoſi*. Abundabat itaque ſilvis. Rutil. Numatian. libr. 1. Irinerar. de tractu agri Volaterrani:

Sed nemoroſa viret denſis vicinia ſilvis,
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.

Et eodem libro paulo poſt:

Littorea noctis requiem metamur arena,
Dat veſpertinos mirtea ſilva focos.

Agrum ſane *Tuſcum* celebrat Feſtus Pomp. libr. 9. in voce *Janiculum*, & libr. 14. in voce *pectuſculum*. Creberrimus hic venatus. Q. Symmach. libr. 9. Epiſt. 26. *Agitare te venatibus feras, & hibernis menſibus Apennini gelida luſtrare valetudinis tuæ æſtimatione nunquam puta-*

putavi. Gelida Apennini Etruria ſunt, ut libr. 4. docui infra. C. Plin. libr. 5. Epiſt. 18. *Ego in Tuſcis & venor, & ſtudeo*. Rutil. idem libr. 1. ad finem:

Otia vicinis terimus navalia ſilvis,
Sectandiſque juvat membra movere feris.
Inſtrumenta parat venandi villicus hoſpes,
Atque olidum doctas noſſe cubile canes.
Funditur inſidiis, & rara fraude plagarum,
Terribilique cadit fulmine dentis aper.
Quem Meleagrei vereantur adire lacerti,
Qui laxet nodos Amphitryoniade.

Uſque adeo ut Etruſci illi priſci vitam venatu tranſigerent. Virgil. libr. 8. Æneid. de Aboriginibus:

Sed rami, atque aſper victu venatus alebat.

Et libr. 9. Æneid.

Venatu invigilant pueri, ſilvaſque fatigant.

Glandiferæ hic arbores multæ, unde maximus ſaginatorum ſuum proventus. Suidas aliis obſervatus, & Strabo libr. 5. Τῆς δ' ἀρετῆς τῶν τόπων τεκμήριον, ἥ τ' εὐανδρία καὶ τὰ μεγέθη τῶν πόλεων, καὶ ὁ πλοῦτος, οἷς πάσῃ ὑπερεβέβληντο τὴν ἄλλην Ἰταλίαν οἱ ταύτῃ Ῥωμαῖοι. καὶ γὰρ ἡ γεωργουμένη γῆ πολλοὺς, καὶ παντοίους ἐκφέρει καρπούς, καὶ αἱ ὗλαι τοσαύτην ἔχουσι βάλανον, ὥς τ' ἐκ τῶν ἐντεῦθεν ὑοφορβίων ἡ Ῥώμη τρέφεται τὸ πλέον. ἔστι δὲ καὶ κεγχροφόρος διαφερόντως, διὰ τὴν εὐυδρίαν, τοῦτο δὲ μέγιστον λιμοῦ ἐστὶν ἄκος. *Quanta ſit ejus regionis præſtantia, judicari poteſt ex incolarum frequentia, urbium magnitudine ac opibus, quibus rebus Romani iſtbic babitantes omnibus aliis præſtant I.alis; nam & quæ colitur terra omnis generis copioſos prabet fructus, & ſilvæ tantum glandis ſuppeditant, ut ex porcorum gregibus, qui ibi paſcuntur, Roma fere alatur: tum ob aquæ copiam, milii feraciſſima eſt, quod eſt præſentiſſimum famis remedium*. Apri itaque Tuſci in pretio habiti Romæ, Martial. libr. 7. Epigr. 26.

Tuſcæ glandis aper populator, & ilice multa
Jam piger, Ætolæ fama ſecunda feræ.
Quem meus intravit ſplendenti cuſpide Dexter,
Præda jaces noſtris invidioſa focis.

Et duplex aprorum Tuſcorum uſus; nam vel integri apponebantur menſis, vel amphitheatris ſervabantur, venatoribuſque confecti cædebant. Athen. libr. 4. in principio, ubi incluſa apro aſſato deſcribit, turdos, vulvas, ficedulas, vitellos ovorum, oſtrea, & pectines. Magnum ſane, ſed damnoſum luxuriæ inſanientis exemplum: aſſatum ſic porcum appellabant nepotes *Trojanum*, ſic vocatum, *quaſi aliis incluſis animalibus gravidum, ut ille Trojanus equus gravidus armatis fuit*. Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 13. Vide Deſiderium Eraſmum in proverbio: *Porcus Trojanus*. Juvenal. Sat. 1. v. 141.

. . . . quanta eſt gula, quæ ſibi totos

Ponit apros, animal propter convivia natum!

Vetus Scholiaſtes: *Apud antiquos munificentia videbatur apparatior, ſi in convivio aper integer fuiſſet exhibitus*. Tiberius itaque Auguſtus, ut aliquam parſimoniæ curam oſtentaret, ſæpe *dimidiatum aprum* apponi voluit. Sueton. cap. 34. In venatione etiam Circenſi exhibitos invenio apros Tuſcos. D. Juvenal. Sat. 1. v. 22.

Cum tener uxorem ducat ſpado, Mævia Tuſcum
Figat aprum.

Feracitas vero frugum apud Diodorum Siculum libr. 5. Bibliothec. pag. 316. Χώραν δὲ νεμόμενοι πάμφορον, καὶ ταύτην ἐξεργαζόμενοι, καρπῶν ἀφθονίαν ἔχουσιν, οὐ μόνον πρὸς τὴν ἀρκοῦσαν διατροφὴν, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀπόλαυσιν δαψιλῆ καὶ τρυφὴν ἀνήκουσαν. *Cum autem terram incolant uberrimam, eamque probe exerceant, largiſſimos inde fructus percipiunt, non modo ad alimenta ſufficientes, verum etiam ad prolixas voluptates delitiaſque conducentes*. Idem paulo infra eodem loco: Καθόλου γὰρ ἡ Τυῤῥηνία παντελῶς εὔγειος οὖσα, πεδίοις ἀναπεπταμένοις ἐγκάθηται, καὶ βουνοειδέσιν ἀναστήμασι τόπων διείληπται γεωργησίμοις. ὑγρὰ δὲ μετρίως ἐστὶν, οὐ μόνον κατὰ τὴν χειμερινὴν ὥραν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν τοῦ θέρους καιρόν. *Etruria nulli terræ fecunditate cedens, in late patentibus campis recumbit: clivoſos tamen interim colles habet, arationi idoneos: humore etiam mediocri, non ſolum hiberno tempore, ſed etiam æſtivo rigatur*. Plutarchus in Mario pag. 429. Γεωργούντων, καὶ νεμόντων τῆς Τυῤῥηνίας. *Aratorum, & paſtorum Etruriæ*; circa portum ſcilicet Telamonis meminit. Tanta certe olim creſcente Republica Romana ubertas Tuſciæ credebatur, ut non aliunde Roma aleretur. Claudian. libr. de Bello Gildonico in principio:

Quid mihi ſeptenos montes, turbamque dediſtis,
Quæ parvo non poſſet ali? felicior eſſem
Auguſtis opibus, mallem tolerare Sabinos,
Et Vejos, brevior duxi ſecurius ævum.
Ipſa nocet moles: utinam remeare liceret
Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci:
Sufficerent Etruſca mihi, Campanaque culta,
Et Quinti, Curiique ſeges.

Idem Cererem, filiam ſuam quærentem, a Sicilia per Etruriam circumducit libr. 3. de Raptu in fine:

. . . . *clareſcit Etruſcum*
Litus . . . .

Egregium illud eſt Papinii Statii teſtimonium libr. 4. ſil. 6. in princip.

Ab miſeri, quos noſſe juvat, quid Phaſidis ales
Diſtet ab hyberna Rhodopes grue: quis magis anſer
Exta ferat: cur Tuſcus (1) *ager generoſior Umbro.*

Vetus Inſcriptio Præneſtina, quam propter elegantiam adſcribam integram.

Tu-

(1) In nonnullis MSS. editiſque libris legitur: *Tuſcus aper*, & ita fortaſſe legendum.

Tu. quae. Tarpeio. coleris. vicina. Tonanti (1)
Votorum. vindex. ſemper. Fortuna. meorum
Accipe. quae. pietas. ponit. tibi. dona. merenti
Effigiem. noſtri. conſervatura. parentis
Cuius. ne. taceat. memorandum. litera. nomen
Caeſius. hic. idemq. Titus. primuſq. vocatur
Qui. largae. Cereris. meſſes. fructuſq. renatos
Digerit. in. precium. cui. conſtat. fama. fideſq.
Et. qui. divitias. vincit. pudor. ire. per. illos
Conſuetus. portus. cura. ſtudioq. laboris
Littora. qui. praeſtant. feſſis. tutiſſima. nautis
Notus. in. urbe. ſacra. notus. quoq. finibus. illis
Quos. Vmber. ſulcare. ſolet. quos. Tuſcus. arator
Omnibus. hic. annis. votorum. more. ſuorum
Centenas. adicit. numero. creſcente. coronas
Fortunae. ſimulacra. colens. et. Apollinis. aras
AEgeriumque. Iovem. quorum. conſentit. in. illo
Maieſtas. longae. promittens. tempora. vitae
Accipe. poſteritas. quod. per. tua. ſecula. narres
Taurinus. cari. iuſſus. pietate. parentis
Hoc. poſuit. donum. quod. nec. ſententia. mortis
Vincere. nec. poterit. fatorum. ſumma. poteſtas
Sed. populi. ſalvo. ſemper. rumore. manebit

Ideo opulenta arva ejus dicuntur a Tit. Livio 1. Decad. libr. 9. *Poſtera die, luce prima, juga Ciminii montis tenebat: inde contemplatus opulenta Etruriæ arva, milites emittit.* Opulentam vocat Etruriam, hoc eſt feracem.

Et frumentum quidem Cluſinum & Senenſe laudat Plinius libr. 18. cap. 7. Prius etiam M. Martialis libr. 13. Epigr. 8.

Imbue plebejas Cluſinis pultibus ollas.

Ut terra frugum fertilis, ita mare portuoſum, ut libr. 4. doceo, & piſcoſum, quod de utroque intelligendum; nam de Hadriatico Juvenal. Sat. 4. v. 40.

Incidit Hadriatici ſpatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon.

(1) Apud Gruter. pag. 72. num. 5.

De Infero, ſeu Tyrrheno idem Sat. 5. v. 94.

Et jam defecit noſtrum mare, dum gula ſævit
Retibus aſſiduis penitus ſcrutante macello
Proxima, nec patitur Tyrrhenum creſcere piſcem.

Pub. Ovid. libr. 3. Faſtor.

Ecce libet ſubitos piſces, Tyrrhenaque monſtra
Dicere, ſed non eſt carminis hujus opus.

Obſervatumque, ne contra Circium ventum ſererent, ob ejus violentiam in Etruria. Plin. libr. 17. cap. 2.

Etruria vini ferax: aſſervatum in doliis picatis: fumo expoſitum: vetuſtate æſtimatum, Lunenſe, Florentinum, Faliſcum, alia recentia.

CAP. XI.

UBertati fructuum frugumque, vinearum proventum addit feliciſſima hæc regio, paſtui animantium eadem accommoda: quod longiſſimo, ſed veriſſimo encomio extollit Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 1. pag. 29. Πείας δ' εἰνοφύτε Τυῤῥηνία, καὶ Ἀλβανή, καὶ Φαλερίνων (legendum eſt indubie Φαλερίων, ſunt enim *Falerii*, iidem ac *Faliſci*) χωρία θαυμαςῶς ὡς φιλάμπελα, καὶ δι' ἐλαχίςε πόνε πλείςες ἅμα καὶ κρατίςες καρπὲς ἐξενεγκεῖν εὔπορα· χωρὶς δὲ τῆς ἐνεργῦ, πολλὴν μὲν ἄν τις εὕροι τὴν εἰς ποίμνας ἀνειμένην αὐτῇ, πολλὴν δὲ τὴν αἰγονόμον. ἔτι δὲ πλείω ϗ θαυμαςιωτέραν τὴν ἱπποφορβόντε ϗ βυκολίδα, ἡ γὰρ ἕλειος ϗ λειμωνία βοτάνη δαψιλὴς οὖσα, τῶν τε ὀργάδων ἡ δροσερὰ καὶ κατάῤῥυτος, ἄπειρος ἢ θέρος νέμεται παρέχει διὰ παντὸς εὐθηνέσας τὰς ἀγέλας. πάντων δ' εἰσὶν οἱ δρυμοὶ θαυμασιώτατοι, περί τε τὰ κρημνώδη χωρία καὶ τὰς νάπας, ϗ τὲς ἀγεωργήτες λόφες, ἐξ ὧν πολλῆς μὲν εὐπορῦσι, καὶ καλῆς ναυπηγησίμε, πολλῆς δὲ τῆς εἰς τὰς ἄλλας ἐργασίας εὐθέτε. ϗ τέτων ἐδὲν οὔτε δυσπόριςον ἐςιν, ἔτε πρόσω τῆς ἀνθρωπίνης χρέιας κείμενον, ἀλλ' εὐκατέργαςα καὶ ῥάδια παρεῖναι πάντα, διὰ πλῆθος τῶν ποταμῶν, οἳ διαῤῥέεσιν ἅπασαν τὴν ἀκτὴν, καὶ ποιῦσι τάς τε κομιδὰς, ϗ τὰς ἀμείψεις τῶν ἐκ γῆς φυομένων λυσιτελεῖς. Quæ ſic civitate cultuque Latino donata ſonant: *Cui vinifera Etruria, Albanus atque Faliſcus ager, mirum in modum amicus vitibus, & modico labore optimos atque uberrimos reddentes fructus? præter eam autem, quæ colitur, multum terræ invenies patere ovium, multum caprarum gregibus, plus etiam & præſtantius armentis equorum & boum; pratenſis enim, & paluſtris herba, copioſa illa, cultiveque terræ irrigua & roſcida, immenſum quantum æſtate compaſcua, omni tempore vegetam præbet gregum copiam; ſed ſaltus in primis admiratione digni ſunt: circa prærupta & nemoroſa loca, tumuloſque culturæ parum idoneos, ex quibus multam*

ac

ac pulchram fabricandis navibus, multam etiam aliis operibus aptam pe- tunt materiam. Atque horum nihil eſt vel paratu difficile, vel longe ab humanis uſibus remotum; ſed omnia & confici facile, & convehi facile poſſunt, propter fluviorum frequentiam, qui univerſam oram permeant, & magnam commoditatem importandis ac permutandis, quas terra fert, rebus, afferunt. Ex quibus apparet, Dionyſium nihil æque in Etruria ſpectaſſe atque vinearum abundantiam. Et certe de vino hujus regionis Galenus Pergamenus libr. d. Succorum bonitate & vitio cap. 11. Verba apponam ex interpretatione Julii Alexandri, Medici Tridentini; Græcus enim codex non eſt ad manum: *Sola ea bona eſſe poſſunt, ſi bibantur novella, quæ ſubſtantia tenuia ſunt: quod genus in Italia eſt, quod Gaurium vocant* (*Gauranum* Latine dixeris a monte Gauro) *& Albanum, eorumque, quæ in Sabinis & Tuſcis naſcuntur*. Idem libr. 5. de Sanitate tuenda cap. 5. ex verſione Thomæ Linacrii Angli, & recognitione Hieronymi Donzellini: *Sane Vinum, ſicuti pueris eſt alieniſſimum, ita ſenibus eſt aptiſſimum. Eſto autem id ex iis, quæ calidioris naturæ ſunt, qualia ſunt in Græcia quidem Ariuſium, & Lesbium, & quod Myſium vocant: non ex ea Myſia, quæ ad Iſtrum eſt; ſed ex ea, quæ Helleſpontia dicitur, quæ nimirum in noſtra eſt Aſia, Pergamo vicina. Ex Italicis vero Falernum & Surrentinum. Proxima his ſunt, in Italia quidem, Tiburtinum & Signinum, ambo vetera, quando novella nec deductionem nutrimenti in corpus adjuvant, nec urinas promovent, ſed diu in ventre fluctuantia permanent. Secundo ab his loco ſunt Adrianum, & Sabinum, & Albanum, & Gabrianum, & Tryphilinum: præterea omnia Amineæ, quæ in Italia naſcuntur, & circa Neapolim, & in Tuſcia.* Quod autem Etruſcum vinum vel in præcipuis fuerit delitiis, nobiliſſimiſque epulis inferretur, diſcimus ex Auctore quodam pervetuſto Græco, cujus nomen periit, ſed puto Alexim fuiſſe, apud Athenæum libr. 15. cap. ult. in fine:

> Κρεανομοῦμαι, καὶ τὸν ἐκ Τυῤῥηνίας
> Οἶνον σὺν ὀκτὼ λαμβάνειν ἐπίσαμαι.
> *Reginæ Muſæ, ſiquidem ex Etruria*
> *Vinum cum voluptate ſumere didici.*

Diſcedens etiam Italia cum Gothis ſuis Alaricus, ubertatem & præſtantiam vini Etruſci extollit apud Cl. Claudianum libr. de Bello Getico:

> . . . . *quid palmitis uber Etruſci.*

Vinum ſuum Tuſci gypſatis diligenter doliis imponebant, quo diutius aſſervari poſſet. Strabo libr. 5. Ἔχει δὲ καὶ πιττουργία θαυμαστά· τοῦ δ' οἴνου τὸ πλῆθος μηνύουσιν οἱ πίθοι, ξύλινοι γὰρ μείζους οἴκων εἰσὶ, προσλαμβάνει δὲ πολὺ ἡ τῆς πίττης εὐπορία πρὸς τὸ εὐώνητον. *Havet quoque* (Etruria) *picis opificia mirabilia, jam vini copiam dolia arguunt, quæ ex ligno ædibus majora conficiuntur, ac picis copia multum conducit ad utilitatem pretii.* C. Plin. libr. 14. cap. 21. *Ligneis vaſis circa Alpes condunt, circuliſque cingunt,*

atque

atque etiam hieme gelida ignibus rigorem arcent, mirum dictu, ſed aliquando viſum, ruptis vaſis ſtetere glaciatæ moles, prodigii modo, quoniam vini natura non gelaſcit. Joann. Brod. libr. Miſcellaneor. cap. 31. Aul. Gell. libr. 17. cap. 8. Aurel. Macrob. libr. 7. Saturnal. cap. 12. itaque vinum condebatur picatis gypſatiſque doliis in frigidis regionibus. Virgil. libr. 3. Georg.

. . . . cæduntque ſecuribus humida vina.

At in Tuſcia, ut diutius conſervari, pretioſiuſque fieri poſſet, picatum diligenter, gypſarumque; quare vetuſtas in vino pretium addebat, ut ex multis Scriptorum teſtimoniis probaturus ſum. L. Apul. libr. 2. Mileſiar. *Commodum meridies acceſſerat, & mittit mihi Byrrhena xeniolum, porcum opimum, & quinque gallinulas, & vini cadum in ætate pretioſi.* L. Sen. libr. 4 Natural. Quæſtion. cap. ult. *Nos vero quæramus potius, quomodo fiant nives, quam quomodo ſerventur; quoniam non contenti vina diffundere veterana, & per ſapores ætateſque diſponere invenimus, quomodo ſtiparemus nivem, ut ea æſtatem evinceret, & contra anni fervorem defenderetur loci frigore.* Et libr. de Vita beata cap. 17. *Quare cultius tibi rus eſt, quam naturalis uſus deſiderat? cur non ad præſcriptum tuum cœnas? cur tibi nitidior ſuppellex eſt? cur apud te vinum ætate tua vetuſtius bibitur?* Pomponius J. C. l. 3. ff. ſi certum petatur: *Cum quid mutuum dederimus, etſi non cavimus, ut æque bonum redderetur, non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere ſit, reddere, veluti vinum novum pro vetere.* Scævola etiam J. C. l. 37. ff. de leg. 3. *Cum hoc elogio fideicommiſſum reliquit: Mævio liberto meo, de me nihil merito, dari volo lagynos vini vetuſti centum quinquaginta.* Sic legitur in Planriniana Lud. Charondæ editione, non male; nam antiquitus *lagunam*, non vero *lagenam* ſcribebant, ut notavit Fulvius Urſinus in Appendice pag. 178. ex Athenæi libris 7. & 11. itaque *y* in *u* mutato, quod frequenter contingere alii animadverterunt, *Lagynam* pro *Laguna* efferebant. Meminit & Anaſtaſius Aug. l. 16. C. de erogat. milit. ann. libr. 12. Vinum hoc vetus ut palato gratius eſſet, addebatur defrutum. Columell. libr. 12. cap. 21. Et Poëtæ, Q. Catull. Epigr. 27.

Miniſter vetuli puer Falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Poſthumiæ jubet magiſtræ
Ebrioſa acina ebrioſioris.

Ita legitur apud A. Gellium libr. 7. cap. 20. licet Sabellicus Coccius *avariores* contendat legendum. Hermolaus Barbarus mavult *amariores*, ut videre eſt ex Joanne Brodæo libr. 1. Miſcellan. cap. 3. ſed Gellii lectio potior eſt, meo judicio: quam confirmat L. Seneca Epiſt. 64. *In vino nimis veteri ipſa nos amaritudo delectat.* Alcimus Avitus libr. 3. cap. 20.

Fulgebat priſcum criſtallo algente Falernum,

Vivi-

Vivida quin etiam miſcebant cinnama Thalli,
Et ſuffita domus pingui flagrabat amomo.

Poſteriorem verſum ita refinge:

Et ſuffita domus pingui fragrabat amomo.

P. Ovid. libr. 2. de Arte:

Qui properant, nova muſta bibant: mihi fundat avitum
Conſulibus priſcis condita teſta merum.

Idem libr. 5. Faſtor.

Quæque puer quondam primis diffuderat annis,
Promit fumoſo condita vina cado.

Papin. Stat. libr. 4. Sil. 6.

Jam moriente die rapuit me cœna benigni
Vindicis, hæc imos animi perlapſa receſſus
Inconſumpta manet; neque enim ludibria ventris
Hauſimus, aut epulas diverſo a ſole petitas,
Vinaque perpetuis ævo certantia faſtis.

M. Martial. libr. 3. Epigr. 62.

Centenis quod emis pueros, & ſæpe ducenis:
Quod ſub rege Numa condita vina bibis.

Et libr. 7. Epigr. 78.

Potavi modo Conſulare vinum:
Quæris, quam vetus atque liberale?
Ipſo conſule conditum; ſed ipſe
Qui ponebat, erat, Severe, Conſul.

M. Plaut. Aulular. ſc. *Nimium*:

. . . . at ego juſſero
Cadum unum vini veteris ad me afferrier.

Alb. Tibull. libr. 3. Eleg. 2.

Et primum annoſo ſpargant collecta Lyæo.

M. Annæus Lucan. libr. 4. Pharſal. v. 379.

Nobilis ignoto diffuſus Conſule Bacchus.

Idem libr. 10. v. 164. Ægyptiis vetuſtum vinum in pretio fuiſſe videtur indicare, niſi forte ad exteras gentes Romanam trahere conſuetudinem voluerit, quod poëtis perquam familiare eſt; ſic enim in Cleopatræ convivio:

. . . . merum ſed non Mareotidos uvæ
Nobile, ſed paucis ſenium cui contulit annis
Indomitum Meroë cogens ſpumare Falernum.

Modus vinum ſic condendi, inque annos multos aſſervandi, erat, ut dolia primum lavarent, deinde diligenter pice oblinerent, ac mox gypſum inducerent, & demum eo ſtatuerent loco, quo facile poſſet fumus pertingere: quod diligentiſſime exequitur Palladius Æmilianus libr. 11. Rei Ruſt. cap. 14. quem conſule. M. Cato libr. de Re Ruſt. cap. 2. *dolia lavari, picari* dixit inter ruſtica opera: & quî id fiat, idem

idem expedit eodem opere cap. 39. Hic mos Allobrogum. Jun. Moderat. Columella libr. 12. Rei Ruſt. cap. 23. Marcell. de Medicam. *Operculo ſuperpoſito, & clauſo, vel gypſato diligenter de argilla*. Porphyrio ad libr. 1. Horat. od. 20. *Dicit hoc vinum per ſemetipſum inveteratum, leviſſe ergo ſe gypſo utique vult intelligi*. Dixit Poëta:

. . . Græca quod ego ipſe teſta
Conditum levi.

Unde Junius Moderatus Columella libr. 1. Rei Ruſt. cap. 6. *Vinum celerius fumo matureſcit:* quod inſaluberrimum exiſtimat C. Plin. libr 23. cap. 1. ſi fumo ſit inveteratum. Hunc tamen morem ſanitati adverſaturum, ut pleroſque alios, inſana uſurpavit luxuria. Q. Horat. libr. 3. od. 8.

Hic dies anno redeunte feſtus
Corticem adſtrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.

Papin. Stat. libr. 4. Silv. 8.

Albanoque cadum ſordentem promere fumo.

Alb. Tibull. libr. 2. Eleg. 1.

Nunc mihi fumoſos veteris proferte Falernos
Conſulis, & Chio ſolvite vincla cado.

Martial. libr. 13. Epigr. 122.

Cum tua centenos expugnet ſportula cives,
Fumea Maſſiliæ ponere vina potes.

Primus auctor picandi gypſandique dolia, vinique ad commendationem vetuſtatis aſſervandi, dicitur L. Opimius Conſul; quare & vetera vina ab illius nomine Opimiana audiunt, C. Plin. libr. 14. cap. 4. *Fuit omnium generum bonitas, L. Opimio Coſ. cum C. Gracchus Tribunus ſeditionibus plebem agitans interemptus, ea cæli temperies fulſit, quam cocturam vocant, ſolis opere natali Urbis DCXXXIV. durantque adhuc vina, jam a ducentis fere annis, jam in ſpeciem redacta mellis aſperi, etenim hæc natura vinis in vetuſtate eſt, nec potari per ſe queunt, ſi non pervincat aqua uſque in amaritudinem carie indomita*. Et ejuſdem libri cap. 14. *Apothecas fuiſſe, & diffundi ſolita vina anno DCXXXIII. Urbis apparet* (in Conſulatu L. Opimii) *indubitato Opimiani vini argumento, jam intelligente ſuum bonum Italia*. Joann. Britannic. ad illud Juvenalis Sat. 5.

Ipſe capillato diffuſum Conſule potat.

Martial. libr. 1. Epigr. 27.

Teſta ſed antiqui felix ſiccatur Opimi,
Egerit & nigros Maſſica cella cados.

Notabantur autem dolia hæc picata gypſataque, inſcripto nomine & auctoris & Conſulis. Vet. Scholiaſt. Juvenal. ad v. 3. Sat. 5. *Vinum de montibus Albanis, ita vetus, ut non poſſit ex ſuper inſcriptione, antiquitate deleta, cognoſci quanti ſit temporis*. C. Petron. Satyrico, in Trimal-

malchionis convivio lautiſſimo: *Statim allatæ ſunt amphoræ vitreæ, diligenter gypſatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo,* FALERNVM. OPIMIANVM. ANNORVM. CENTVM. *Dum titulos perlegimus, complosit manus Trimalchio: & heu, inquit, ergo diutius vivit? Verum eſt vinum Opimianum præſto.* Locum puto corruptum, & facile ſanari poſſe, ſi legatur; *quarum in cervicibus πιττάκια erant affixa;* ut ſignificet morem illum priſcum, quo tabellis ſignabant etiam in horreis vina, ut ſciri poſſet, cujus eſſent notæ: quod cum obſervaſſem, inveni idem Joſiæ Mercero placuiſſe. Helen. Acron ad Q. Horat. libr. 1. Sat. 10. *Nota; ideo quod aut vina notantur in lagenis, aut Conſules,* Ipſe Horat. ibid.

. . . . . *ut Chio nota ſi commiſta Falerni eſt.*

D. Juvenal. loco proxime ſupra laudato:

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam titulumque ſenectus
Delevit, multa veteris fuligine teſtæ.

Elegantiſſime, ut ſemper ſolet, M. Plautus in Poënulo, Sc. *Satis ſpectatum:*

Ibi tu videas literatas fictiles epiſtolas,
Pice ſignata nomina inſunt cubitum longis literis
Ita vinariorum habemus noſtræ delectum domi.

Vinum hoc vetus percolabant, quo defæcatius eſſet, ſuaviuſque biberetur. Hoc Græci σακκίζειν σακκολίζειν, Latini vero dicunt *ſacco liquare*, Plin. libr. 19. cap. 4. *Inveterari vina, ſacciſque caſtrari.* Melius MS. *ſacciſque caſtigari.* Pomp. J.C. l. 21. ff. de auro & arg. leg. *In argento potorio utrum id tantum ſit, quo bibi poſſit, an etiam illud, quod ad præparationem bibendi comparatum ſit, veluti colum nivarium & urceoli, dubitari poteſt.* Ita præferunt optimæ editiones, & Antonius Nebriſſenſis confirmat, ut & Andr. Alciat. libr. 8. Parerg. cap. 4. alii legunt *colum vinarium*, quod ferri poteſt. Morem illum Græcanicum fuiſſe loquuntur Chares Mitylenæus hiſtoricus, Strattis poëta in Pſycaſtis, Lyſippus in Bacchis, & Protagorides libr. 2. Comicarum hiſtoriarum, & Diphilus in Mnematio apud Athenæum libr. 3. Dipnoſophiſt. cap. 21. Conſulantur illi. C. Lucil. apud M. Ciceronem libr. 2. Finib.

Cui nil dempſerit nix, & ſacculus abſtulerit nil.

Martial. libr. 14. Epigr. 101. & Epigr. 102. Et libr. 12. Epigr. 60.

Turbida ſollicito tranſmittere Cæcuba ſacco.

T. Lucret. libr. 2.

Et quamvis ſubito per colum vina videmus
Perfluere; at contra tardum cunctatur olivum.

Horat. libr. 2. Sat. 4. v. 54.

Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.

Percolato ſic vino, mel addebant. Proculus J.C. l. 16. ff. de trit vin. & oleo leg. Cajus l. 7. ff. acq. rer. dom. Macrob. libr. 7. Saturnal.

cap. 12. L. Apul. libr. 10. Videantur Antiquitat. mear. libr. 5. cap. 30.

Ad vina Tuſca redeo, quæ antiquitus celebrata, atque etiamnum hodie, de quibus ſuccincte, ut poſſum.

Primum vinum in Etruria fuit *Faliſcum*. Dionyſ. Halicarn. libr 1. ſupra initio hujus capitis: duratque in hunc diem ejus nobilitas.

2. Celebre fuit *Spoletinum*. Galenus Pergamenus apud Athenæum libr. 1. Ὁ Σπωλητῖνος δὲ οἶνος καὶ πινόμενος ἡδὺς, καὶ τῷ χρώματι χρυσίζει. *Spoletinum jucundum hauſtu, auri colore fulgeſcit.*

3. In pretio fuit *Hadrianum*, ſive *Hadriaticum*, ex Colonia videlicet Tuſcorum Hadria nomen ſortitum. Plin. libr. 14. cap. 6. Menippus Cynicus apud eumdem Athenæum libr. 1. pag. 33. Ὁ δὲ Ἀδριανὸς καλούμενος εὔπνους, εὐανάδοτος, ἄλυπος τὸ σύνολον. *Quod Adrianum vocant, facile tranſpirans, & digeritur, omninoque moleſtia caret.*

4. Laudatum eſt *Tudertinum*. C. Plin. libr. 14. cap. 3. *Siquidem in Tuſcis peculiaris eſt Tudernis*. Plura libr. 5. infra hoc opere.

5. Invenio & *Florentinum* non parvi nominis. C. Plin. ibidem loci, *Eſt & ejus nominis Florentia*. Itaque ſine dubio *Florentia* non *Fluentia* Plinio nota, contra quam voluit ille nugator Annius: & ego libr. 5. hoc Opere infrà expediam.

6. Memorabile quoque & *Arretinum*. Idem, loco laudato: *Eſt opima Arretio Talpana, & Eteſiaca, & Conſeminia. Talpana nigra candidum facit muſtum. Eteſiaca fallax, quæ quo plus tulit, eo laudabilius fundit; mirumque, fœcunditate ceſſat: Conſeminia nigra, vino minime durante, uva maxime: poſt quindecim dies, quam ulla alia metitur, fertilis, ſed cibaria: hujus folia, ſicut labruſcæ, prius quam decidant, ſanguineo colore mutantur*. Eteſiaca itaque vitis, quæ Eteſiis ventis mutatur: Conſeminia, quæ ex diverſis vitibus conſtat, notat Jac. Dalechampius.

7. Non habebatur ignobile *Piſanum*. Plin. ibid. *Pharia gaudent Piſæ.*

8. *Graviſcanum*. Plin. libr. 14. cap. 6.

9. *Statonienſe*. Plin. ibid.

10. Supra omnia alia genera evectum *Lunenſe*. Idem Plinius loco jam laudato proxime: *Etruriæ palmam Luna habet*.

11. *Mæcenatianum* fuit in Etruria. Plin. ibid. Sed ubi loci? quæratur. Hoc tantum in confeſſo eſt, Mæcenatem, Auguſti familiarem, quarto gradu Cecinnam Etruſcorum regem contigiſſe, quod libr. 4. hoc Opere docebo.

12. Extollitur *Cæretanum*. Jun. Moderat. Columella libr. 3. Rei Ruſt. cap. 3. *Nam illa videntur prodigialiter in noſtris Cæretanis accidiſſe, ut aliqua vitis apud te excederet uvarum numerum duorum millium, & apud me octogenæ ſtirpes inſitæ intra biennium ſeptenos culleos peræquarent, ut primæ vineæ centenas amphoras jugeratim præberent, cum prata, & paſcua, & ſilvæ, ſi centenos ſeſtertios in ſingula jugera efficiant, optime domino conſulere videantur.*

13. Recentiores nonnulli laudant *Vinum Græcum*, & præcipue quod

prope

prope oppidum Sangeminianum naſcitur. Platina libr. de Re Culinaria 10. ad finem: atque illud tota Italia nobilitatum.

14. *Nobilitate & elegantia* (idem ait pag. 364.) *Trebianum in Etruria excellit*.

Locus eſt depravatus Macrobii libr. 3. cap. ult. *Uvarum iſta ſunt genera, Aminea ſcilicet a regione; nam Aminei fuerunt, ubi nunc Falernum eſt, Aſinuſca, Atruſca, Albiverus, Albena, Apiana, Apicia, Bumammia*. Quæ uva ſit *Atruſca*, nullibi lectum; itaque *Etruſca* lege, una mutata litera.

Etruriæ conſtitutio: ager pinguis: boves compacti: & aëris temperies: litorea inſalubria: mediterranea ſana.

CAP. XII.

ITa ſe habet feracitas, ſequitur qualitas, & conſtitutio. M. Varro libr. 1. de Re Ruſtica cap. 9. terram eſſe triplicem docet: *macram, pinguem, mediocrem*, & medii eſſe generis Etruriam: *Contra* (inquit) *in agro pingui, ut in Etruria, licet videre ſegetes fructuoſas, ac reſtibiles, & arbores prolixas, & omnia ſine muſco*. Præclarum certe elogium, quo nihil, quod quidem ad humani victus neceſſarios uſus conducat, Etruriæ deeſſe oſtenditur, & ad incolarum feliciſque ingenii gloriam ſoli uberrimi acceſſionem fieri, quod pauciſſimæ gentes ſunt conſecutæ.

De equis dico abunde libr. 3. hoc opere: de bobus Jun. Moderat. Columella libr. 6. Rei Ruſt. cap. 1. *Campania plerumque boves progenerat albos & exiles, labori tamen & culturæ patrij ſoli non inhabiles: Umbria vaſtos, & albos, eademque rubros, nec minus probabiles animis, quam corporibus: Etruria & Latium compactos, ſed ad opera fortes*.

Aëris autem conſtitutio veteribus varia judicata; nam quæ mari Infero ſive Tyrrheno pars adjecta erat, noxio aëre, & interdum peſtilenti cenſebatur: contra vero quæ Mediterranea, aut montoſa loca incolebant Tuſci, ea omnibus Italiæ provinciis ſalubritate prælata. Inſalubrem fuiſſe oram litoralem docent plerique optimæ notæ Scriptores. Sidon. Apollinar. libr. 1. Epiſt. 5. *Hinc cetera Flaminiæ oppida ſtatim ut ingrediebar, egreſſus, lævo Picentes, dextro Umbros latere tranſmiſi, ubi mihi ſeu Calaber Atabulus, ſeu peſtilens regio Tuſcorum, ſpiritu aeris venenatis flatibus inebriato, & modo calores, modo frigora alternante, vaporatum corpus infecit; interea febris ſitiſque penitiſſimum cordis medullarumque ſecretum depopulabantur*. Quod ille Gallus de Tu-

Tuſcia, alii de tota Italia conqueſti, inter quos Petrus Venerabilis. libr. 3. Epiſt. 3. & libr. 5. Epiſt. 44. uſque adeo ut Roma *cœmeterium Tranſalpinorum* audiat. Joannes Dempſterus, genere doctrinaque nobiliſſimus, Venetæ Reip. Sereniſſ. Bibliothecarius Epiſt. 14. Q. Symmach. libr. 7. Epiſt. 39. *Plerumque fors diſpoſita conturbat, quod nunc mihi uſu venit, qui Etruſcos vapores ſalubritatis cauſa adire non potui, rebus detentus urbanis*. Id de Graviſcis teſtatur quoque M. Cato in Originibus apud Servium Maurum ad libr. 10. Æneid. *Graviſcæ, quod gravem aerem ſuſtinent*; hoc eſt *peſtilentes*. Rutilius Numatianus libr. 1. Itiner.

Inde Graviſcarum faſtigia rara videmus,
Quas premit æſtivæ ſæpe paludis odor.

Quæ cauſa, quærant alii: ego ab halitu ſulfuris, creberrimis, quæ ea in regione ſunt, aquis, corrupto, provenire poſſe non difficulter; ſiquidem juxta paludes poni non debet ſtatio ulla, cui ſalubritas quæritur: & Homerus ſemper a flumine antelucanas auras inſalubres tradit, teſte Plinio libr. 18. cap. 6. principio. Legendi Vitruvius libr. 6. cap. 8. Theophraſt. libr. 5. cauſſ. cap. 5. Ariſtotel. Section. 3. problemat. 23. Thucidid. libr. 2. Moderat. Columell. libr. 1. cap. 3. Locus Homeri, quem indicat Plinius, eſt v. 471. libr. 5. Odyſſ.

Si tamen ora maritima vitetur, mediterranea ſaluberrima. C. Plinius Junior libr. 5. Epiſt. 6. *Amavi curam & ſollicitudinem tuam, quod cum audiſſes, me æſtate Tuſcos meos petiturum, ne facerem, ſuaſiſti, dum putas inſalubres. Eſt ſane gravis & peſtilens ora Tuſcorum, quæ per littus extenditur; ſed hi procul a mari receſſerunt; quin etiam Apennino ſaluberrimo montium ſubjacent, atque adeo, ut omnem pro me metum ponas, accipe temperiem cœli, regionis ſitum, villæ amœnitatem, quæ & tibi auditu, & mihi relatu jucunda erunt*. Æſtivabant itaque in Tuſcia proceres Romani. Idem libr. 9. Epiſt. 40. *Scribis pergratas tibi fuiſſe literas meas, quibus cognoviſti, quemadmodum in Tuſcis ocium æſtatis exigerem*. Ego certe tolerabilem etiam peregrino Etruriæ ſitum experior, hieme jucundiſſima Piſis, æſtate Senis & Florentiæ actis: nec video, cur Michaël Brutus Florentiam ab intolerandis caloribus tantopere infamet Epiſt. 41.

Etru-

Digitized by Google

Etruriæ aquæ medicatæ, & thermæ celebres: unde Tuſci Aquileges: Homerus calidarum aquarum meminit, Cæretanæ, Tauri, Narnienſes.

CAP. XIII.

HAnc aëris intemperiem compenſant aquæ multæ & ſalutares, ut dubium ſit, an ulla regio magis iis abundet, quæ ad victum, aut hominum ſanitatem conducunt. M. Varro libr. 8. Ling. Lat. *Item reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicæ balineæ, non balinea: contra quod privati dicunt unum balineum, quod plura balineas dicant. Quibus reſponderi poteſt, non eſſe reprehendendum, quod ſcalæ, & aquæ calidæ, & pleraque, quæ cum multitudinis vocabulis ſint appellata, neque eorum ſingularia in uſum venerint, idemque ita contra balineum novum & Græcum introiit in urbem, publice ibi conſedit, ubi eo juncta eſſent ædificia lavandi cauſa, unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur, ab eadem ratione domi ſuæ quiſque habebat, ubi lavabatur, balineum dixerit, & quod non erant duo balinea, dicere non conſueverunt, cum hoc antiqui non balineum, ſed lavatrinam appellare conſueviſſent. Sed aquæ calidæ a loco, & quæ ubi ſcaterent, cum ut colerentur, & veniſſent in uſum noſtris, cum aliæ ad alium morbum idoneæ eſſent, hæ cum plures eſſent, ut Puteoleis & in Tuſceis, quibus utebantur, multitudinis potius, quam ſingulari vocabulo appellarunt.* Aquæ itaque tota Italia celeberrimæ ſanandis ægris Puteolanæ & Tuſcæ, ſi Varroni fides. Unde *Aquilegem Tuſcum* legimus apud illuſtres auctores, cujus officium eſt, aquam explorare, an ex illo fonte commode alio derivari poſſit, an ſalubritatem conferat: quod *quærere ac inveſtigare* reddidit Palladius Rutilius libr. 9. Rei Ruſt. cap. 8. Locus eſt corruptus Aurelii Caſſiodori libr. 3. variar. Epiſt. 53. *Comperimus aquilegium Romam veniſſe:* in margine erat ſcriptum *aquilegum*, ſed corrigendum omnino *aquilegem*: & vide ibidem loci rationem inveniendæ aquæ, & confer cum Palladio C. Plin. libr. 26. cap. 6. *Habent & hoc ſignum aquileges.* Ibidem etiam *aquilices*, ab elicienda aqua dicti. Calliſtratus J.C. apud Guilielmum Budæum in Annotationib. poſteriorib. in Pandectas. Tarruntenus J. C. l. 6. ff. de Jure Immunitat. Flor. Tertullian. libr. 3. adverſus Marcionem: *Quia nec ſtatim aquilicem ſedens repromiſit.* Nonius Marcellus cap. 2. num. 8. *aquam colligentem* interpretatur. M. Terent. Varro in Quinquatribus:

An hoc præſtat hero filius Diogenis.

Quod

Quod ille e ventre aquam mittit? an hoc te
Jactas? at hoc pacto utilior te Tuſcus aquilex,

Quos verſus ego ſuſpicor corruptos, & egere manu critica; itaque ſic videntur poſſe nitori ſuo reſtitui:

An hoc præſtas hero, filii Diogenis,
Quod illi ex utre aquam mittis? an hoc te
Jactas? at hoc pacto utilior te Tuſcus aquilex.

Nonnullis Criticis placet legi ita:

An hoc præſtat Herophilus Διογένης.

Et de his quidem, qui plura cupis, adi Antiquitates meas libr. 1. cap. 14. Ego ad Etruriæ aquas medicatas redeo. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 1. pag. 29. Ἔχει δὲ ἡ γῆ καὶ νάματα θερμῶν ὑδάτων ἐν πολλοῖς εὑρημένα χωρίοις, λουτρὰ παρασχεῖν ἥδιστα, καὶ νόσους ἰάσασθαι χρονίους ἄριστα: *Eadem terra habet aquarum calidarum multis in locis ſcaturigines, jucundiſſima exhibentes lavacra, morbiſque inveteratis ſanandis utiliſſima*. Plura Strabo Amaſianus libr. 5. Geogr. pag. 157. Πολλὴ δὲ καὶ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀφθονία κατὰ τὴν Τυῤῥηνίαν τῷ πλησίον εἶναι τῆς Ῥώμης, οὐχ ἧττον δ' εὐανδρεῖ τῶν ἐν Βαΐαις, ἃ διωνόμασται πολὺ πάντων μάλιστα. *Abundat etiam calidarum fontibus aquarum vicina Romæ Etruria, cujus thermæ non minus quam famoſiſſimæ illæ omnium maxime Bajæ frequentantur*. Nobile profecto elogium. Atque hæc ab aquis calidis remedia antiquiſſima ſunt, etiam ante heroica tempora memorata, quo magis miror C. Plinium, virum alioquin omnium diligentiſſimum, doctiſſimumque, in eo tamen erraſſe; nam libr. 31. cap. 6. *Homerum calidorum fontium mentionem non feciſſe demiror, cum alioquin lavari calida frequenter induceret, videlicet quia medicina tunc non erat hæc, quæ nunc aquarum perfugio utitur*. Hæc ille parum vere, nam locus eſt apud Homerum libr. 22. Iliad. v. 148. quo calidarum fontium meminit.

Κρουνὼ δ' ἵκανον καλλιῤῥόω, ἔνθα δὲ πηγαὶ
Δοιαὶ ἀναΐσσουσι Σκαμάνδρου δινήεντος·
Ἡ μὲν γάρ θ' ὕδατι λιαρῷ ῥέει, ἀμφὶ δὲ καπνὸς
Γίνεται ἐξ αὐτῆς ὡσεὶ πυρὸς αἰθομένοιο.

Ad fluentum vero venerunt pulchrifluum, ubi fontes
Duo ſcaturiunt Scamandri vorticoſi.
Alter quidem aqua tepida fluit, circum ante fumus
Oritur ex ipſo velut ignis ardentis.

Conſtat itaque & antiquitus medicatas aquas plurimo in uſu mortalibus fuiſſe, & Etruriam iis præ aliis quibuſcunque regionibus abundaſſe: atque illæ quidem quibus in locis fuerint, inveſtigandum eſt. Celeberrimæ indubie fuere Cæretanæ. Strabo libr. 5. Geogr. pag. 152. Εὐανδρεῖ δὲ αὐτῆς μᾶλλον τὰ πλησίον θερμὰ, ἃ καλοῦσι Καιρετανὰ, διὰ τοὺς φοιτῶντας θεραπείας χάριν. *Magis frequentantur ab hominibus thermæ vicinæ Cæretanæ*,

tanæ, propter eos, qui valetudinis cauſa eo commeant (1). Sed hodie nec ubi urbs illa fuerit tam ſplendida & tantæ famæ, licet vel rudeтetis dignoſcere: neque aquæ illæ medicatæ vires habent, aut nomen, areſcente jam tot ſeculis vena, vel ab hominibus neglecta: nec dubito, quin illæ ſint thermæ, quas Dionyſius Halicarnaſſ. Romæ vicinas celebrat. Aquas etiam *in Narnienſi agro* extollit Plinius eodem libro; ſed quarum hodie nullæ reliquiæ. Reperio & aquas inſigni virtute prope Centumcellas, quibus nomen *Tauri* inditum. Rutil. Numatian. libr. 1. Itinerarii:

Noſſe juvat Tauri dictas de nomine thermas,
Nec mora difficilis millibus ire tribus.
Non illic guſtu latices vitiantur amaro,
Lymphaque fumifico ſulphure tincta calet.
Purus odor, molliſque ſapor, dubitare lavantem
Cogit, qua melius parte petantur aquæ.
Credere ſi dignum famæ, flagrantia Taurus
Inveſtigato fonte lavacra dedit.
Ut ſolet excuſſis pugnam præludere glebis,
Stipite cum rigido cornua prona terit.
Sive Deus faciem mentitus, & ora juvenci,
Noluit ardentis dona latere ſoli.
Qualis Agenorei rapturus gaudia furti,
Per freta virgineum ſollicitavit onus.
Ardua cum ſolos deceant miracula Grajos,
Auctorem pecudem fons Heliconis habet.
Elicitas ſimili credamus origine lymphas,
Muſarum latices ungula fodit equi.
Hæc quoque Pieriis ſpiracula comparat antris
Carmine Meſſalæ nobilitatus ager.
Intrantemque capit, diſcedentemque moratur
Poſtibus affixum dulce poëma ſacris.

Sed hodie non locus oſtenditur, nec ulla Meſſalæ memoria ſupereſt, qui ut Rutilius vult, thermas has eleganti carmine deſcripſerat: & dolendum ſane, non tam aquam medicam exaruiſſe, quam pulcherrimum ingenii fœtum amiſſum. Sed redeo ad thermas. (2).

Sunt in Etruria noſtro ævo balnea ſalubria: in ago Lucenſi, de quibus tribus Michaël Savonarola libr. 2. cap. 10. & Ugulinus apud me MS., qui vivebat anno Domini 1417. & Bartholomæus Taurinenſis

(1) Cluverius & Holſtenius recte agnoverunt urbem Cæretanam ubi nunc *Cerveteri*: & Holſtenius in Notis ad Cluverium credit aquas Cæretanas illas, quæ nunc *Bagni del Saſſo*, quæ 3. dumtaxat m. p. a Cæretano oppido diſtant: & ut ipſe notat, duabus emanant fontibus D p. circiter invicem diſtant: ſuperius in colle *Balneum vetus*: inferius in planitie *Balneum novum* vulgo vocatur.

(2) Meminit aquarum Nepeſinarum in Etruria tanquam ſalubrium Cælius Aurelianus Tardarum paſſionum libr. 3. cap. 1. cap. 2. & cap. 4. ubi dicit eas habere qualitatem aluminis.

ſis cap. 23. Iidemque de Piſanis balneis (1) expreſſis agunt verbis: uti & de Viterbienſibus & Volaterranis Mengus Faventinus pag. 74. Gentilis de Fulgineo pag. 182. Sunt & hac ætate celebres prope D. Caſſiani, de quibus ſigillatim libr. 5. hoc opere.

Etruſcorum Religio, aut potius ſuperſtitio, quam Senatorum Romanorum filii docebantur: Dii ipſorum Conſentes, ſeu Complices: Jovis, non Jupiter: Menſes Diis illis ſacri.

CAP. XIV.

OPulentum hoc, lateque terra ac mari patens Imperium Etruſcorum, hæc admiranda fertilis ſoli felicitas, & larga Naturæ indulgentia, non alio potius modo, neque aliis artibus aut parati potuit, aut retineri, quam ſancta religionum obſervationumque divinarum ſeveritate ac diſciplina; ideo nihil ab iſta gente omiſſum, quod pietatis opinionem in incolis promoveret, ut jure dicatur ab Arnobio libr. 7. Cont. Gent. pag. 291. *Genitrix & mater ſuperſtitionis Etruria*. Eam ob cauſam religionis iſtius æmuli Romani, quotannis Fæſulas vel Volaterras, ubi urbium ſedem fuiſſe augurum infra libr. 5. docebo, optimatum filios prætextatos mittebant, veluti ſacris myſticis initiandos. Valer. Max. libr. 1. cap. 1. *Tantum autem ſtudium antiquis, non ſolum obſervandæ, ſed etiam amplificandæ religionis fuit, ut florentiſſima tum, & opulentiſſima civitate, decem principum filii Senatuſconſulto ſingulis Etruriæ populis, percipiendæ ſacrorum diſciplinæ gratia, traderentur*. Quod autem ille decem tantum Etruriæ populos faciat, cum alii duodecim aſtruant, aut quindecim, ut expeditum libr. 4. infra hoc Opere reperies, parum jam refert, dummodo conſtet, procerum liberos conſueviſſe Etruſcorum ſacras cæremonias edoceri: quod & ipſum tradidit M. Cicero libr. 1. de Divinat. *Quocirca bene apud majores noſtros Senatus tum, cum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis ſex ſingulis Etruriæ populis in diſciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæſtum*. Ab his iisdem & auguria primum excogitata, & aruſpicina, & fulmina expiandi ſcientia, &

por-

(1) De aquis calidis Piſanis Plinius. libr. 2. cap. 103. *Patavinorum aquis calidis herbæ virentes innaſcuntur, Piſanorum ranæ.*

portentorum procuratio: ab iis primæ Diis ſtatuæ erectæ, prima templa ædificata, ut plene libr. 3. in principio diſcuſſum a me invenies. Sed jam de Diis, quos illi venerabantur, eſt dicendum.

Arnob. libr. 3. Cont. Gent. *Hos Conſentes ac Complices Etruſci ajunt ac nominant, quod una oriantur, & occidant una, ſex mares & totidem fœminas ignotis nominibus, & miſerationis parciſſimæ; ſed eos ſummi Jovis conſiliarios ac principes exiſtimari*. Plura ibidem loci Nigidius libr. 16. quæ conſule. Dii itaque iſti Etruſcorum ſunt *Conſentes* ſive *Complices*: quæ ultima appellatio apud nullum alium eſt, quod ſciam: nec tamen gloſſema eſt; nam in Etruſca diſciplina pleraque erant aliter ſe habentia, atque in ritu Romano. Iſidori gloſſæ: *Complex, qui in uno peccato vel crimine alteri eſt applicatus ad malum, ad bonum vero nunquam dicitur*; quod Deſiderius Heraldus obſervat. Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius in vita Felicis Tertii: *Si invenirent complicem Petri Acacium*. Aurel. Prudent. in Romano Martyre:

Quid differo, inquit ille, utroſque perdere,
Puerum ac magiſtrum, complices ſectæ impiæ?

Iidem ex diſciplina arcana appellati *Conſentes*, ſcilicet *Maximi*, qui omnium gentium conſenſu recepti, divinis honoribus colebantur. D. Auguſtin. libr. 4. Civit. Dei cap. 23. *Quis ferat, quod neque inter Deos Conſentes, quos dicunt in conſilium Jovis adhiberi, nec inter Deos, quos Selectos vocant, Felicitas conſtituta eſt?* M. Terentius Varro libr. 1. Rei Ruſt. cap. 1. eos enumerat, ſed ex Q. Ennio, uti D. Auguſtinus ex L. Seneca libr. 2. Nat. Quæſtion. cap. 41. *Fulmina dicunt a Jove mitti, & tres illi manubias dant: prima, ut ajunt, monet & placata eſt, & ipſius conſilio Jovis mittitur: ſecundam mittit quidem Jupiter, ſed ex conſilii ſententia; duodecim enim Deos advocat. Hoc fulmen boni aliquid aliquando facit; ſed tunc quoque non aliter, quam ut noceat*. Vide reliqua, quæ, in ſolis Etruſcorum aditis nota, Varro ſcriptis commiſerat. Martianus Mineus Felix Capella, vir Conſularis, libr. 1. Satyrici: *Tunc etiam ut inter alios potiſſimi rogarentur ipſius collegæ Jovis, qui biſſeni cum eodem Tonante numerantur*. Iſti non modo iis, quæ dixi, nominibus vocabantur, ſcilicet *Conſentes, complices, Jovis Conſiliarii*, ſed etiam a numero *Duodecim*. Idem loco laudato: *Ex bis ſeptem reſidui, qui inter duodecim non vocantur*. Hi non Etruſcorum modo, Romanorum atque Italorum fuiſſe deprehenduntur, ſed etiam Græcorum, aliarumque etiam gentium: quod innuit ſententia Demadis Athenis rogantis, ut Alexander Macedo τρισκαιδέκατος θεὸς, *decimus tertius Deus* ab Areopagitis diceretur; ut retulit Claudius Ælianus libr. 5. Var. Hiſtor. cap. 12. & ex eo Pierius Valerianus libr. 43. Hierog. Huc referendi veteres lapides. (1)

(1) Apud Gruter. pag. 3. num. 2.

I . O . M
CETERISQ
DIS. CONSENTIBVS
M. OPPELLIVS
ADIVTOR
II. VIR. COL

Alia eſt etiam vetus Inſcriptio. (1)

I . O . M
DIS. DEA
BVSQ. PVB
CONSENTIB
V . M . S

Et fragmentum iſtud lapidis Spoletini. (2)

CONSENTIO. DEORVM
MARIANA. SOZOMENE
IMPERIO. L. M. ∴∴∴
EX. VOTO. FECIT

Hinc intelligendus e C. Suetonio locus in Auguſto cap. 70. *Cæna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, quæ vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in qua Deorum Dearumque habitu diſcubuiſſe convivas, & ipſum pro Apolline ornatum, non modo Antonii epiſtolæ ſingulorum nomina amariſſime enumerantis, exprobrant ſed & ſine auctore notiſſimi verſus:*

Quum primum iſtorum conduxit menſa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia ſexque Deas,
Impia dum Cæſar Phœbi mendacia ludit,
Dum nova Divorum cœnat adulteria;
Omnia ſe a terris tunc numina declinarunt,
Fugit & auratos Jupiter ipſe thronos.

Hos Etruſcorum Deorum Deos Poëtæ deſcribunt paſſim. M. Plautus Epidico ſc. *Male*, in principio:

Si undecim Deos præter ſe ſe ſecum adducat Jupiter.

P. Ovid. libr. 6. Metamorph. fab. 2.

Bis ſex cæleſtes, medio Jove, ſedibus altis
Auguſta gravitate ſedent, ſua quemque Deorum
Inſcribit facies.

Et licet ſecundum Etruſca ſacra, nominari eos eſſet nefas; habebant tamen pontificio jure Romano ſua nomina. Refert Ennius his verſiculis: (3)

Juno

(1) Apud Grut. pag. 3. num. 3. (2) Apud eumdem pag. 3. num. 1. (3) Apud Martianum Capellam libr. 15.

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Ubi Ennius *Jovis* pro *Jupiter* dixit, eratque rectus olim caſus. T. Liv. 1. Decad. libr. 1. *Jovis Feretri, hec tibi victor Romulus rex regia arma fero*: pro quo quidam blenni ſubſtituerunt inepte, *Jupiter Feretri*. C. Jul. Hygin. fabular. cap. 31. *Jovis inter eos fulmen miſit*. Et cap. 152. *Jovis fulmine ardenti pectus ejus percuſſit*. Et cap. 176. *Ad Lycaonem, Pelaſgi filium, Jovis in hoſpitium veniſſe dicitur*. Et cap. 179. *Jovis cum Semele voluit concumbere*. Et cap. 195. *Jovis, Neptunus, Mercurius in Thraciam ad Byrſeum Regem in hoſpitium venerunt*. Et cap. 271. *Ganymedes, Erichtonii filius, quem Jovis amavit*. In quibus omnibus locis ab imperito librario, vel a quopiam ſciolo, in ora libri cum aſteriſco ſcriptum erat *Jupiter*, quod & poſterior Lugdunenſis editio recepit. Eſt & locus Claudiani in 3. Conſulatu Honorii apud D. Auguſtinum libr. 5. Civit. Dei cap. 26. ita conceptus:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab aſtris
Se Jovis armatus, vehemens cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Ita legit hunc locum Joannes Cuſpinianus Commentario in Faſtos Conſulares Caſſiodori pag. 521. Ita quoque habent editio Baſilejenſis Joannis Amerbacenſis anno 1490. eamque lectionem recipiunt Thomas Valois & Nicolaus Triveth Scholiaſtæ; cum tamen & Paulus Oroſius libr. 7. Hiſtor. cap 35. & Abbas Urſpergenſis in Chronico pag. 122. & Paulus Diaconus libr. 13. Hiſtoriæ Miſcellæ, unanimi conſenſu velint in Divo Auguſtino ita legi:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Tamen omnes & MS. Codices, quos non paucos vidi, & Veneta antiquiſſima editio anno 1495. Thomæ Ugolini ita conſtanter habent:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Sed revertor ad Deos Complices, quibus ſingulis menſes ſingulos hoc ordine adſcribebat vetuſtas, notante Pomponio Læto, & Cœlio Rhodigino libr. 25. cap. 30. *Januarius Junoni, Februarius Neptuno, Martius Minervæ, Aprilis Veneri, Majus Apollini, Junius Mercurio, Julius Jovi, Auguſtus Cereri, September Vulcano, October Marti, November Dianæ, December Veſtæ*. Hoc quidem ita factum, quia revera nihil aliud ſunt illi, quam duodecim ſigna zodiaci, quibus totus anni curſus diſponitur. Diodor. Sicul. libr. 3. Bibliothec.

Digitized by Google

Etruſcorum Dii proprii, Vertumnus, Volumnus, Volumna, Voltumna, Viridianus, Valentia, Curis, Nurtia: clavi in ejus templo fixi, annorum indices: & forte Ammudates.

CAP. XV.

PRæcipua veneratione quosdam Deos Tuſci colebant, qui cum nulla alia gente communes: quorum hi memorantur illuſtriores: *Vertumnus*, ob beneficia ſua inter Deos relatus, cum multis annis populo illi regio imperio præfuiſſet, ut libr. 2. dicam. M. Varro libr. 4. de Ling. Lat. *Ab iis dictus vicus Tuſcus; ideoque ibi Vertumnus ſtare, quod is Deus Etruriæ.* Et contra Varronem de vici Tuſci nomine alibi commodius agetur. Hunc non *Vertumnum*, ſed *Vertunum* dici debere contendit Hadrianus Turnebus libr. 13. Adverſar. cap. 17. eodem modo, quo Portunus, Neptunus, aliaque ſimiliter cadentia efferuntur. Multa de eo Antonius Fanenſis ad libr. 6. Faſtorum Publ. Ovidii, quem vide. Aſconius Pædianus in 3. Verrin. *Vortumnum* non *Vertumnum* ſcribit: *Signum Vortumni in ultimo vico thurario eſt, ſub baſilicæ angulo flectentibus ſe ad poſtremam dextram partem. Vortumnus autem Deus eſt invertendarum rerum, ideſt mercaturæ.* Locus corruptus eſt; itaque legendum ex Varrone jam laudato: *in ultimo vico Tuſco eſt:* & facilis fuit error vicinia dictionum. Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 2.

At tu, Roma, meis tribuiſti præmia Tuſcis,
Unde hodie vicus nomina Tuſcus habet.

Mercaturæ Deum Aſconius facit, & ab invertendis mercimoniis deductum vult nomen; ipſe tamen aliam cauſam apud eundem Propertium reddit:

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & ajunt
Remorum auditos per vada pulſa ſonos.
At poſtquam ille ſuis tantum conceſſit alumnis,
Vertumnus verſo dicor ab amne Deus.
Seu quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumni rurſus credidit eſſe ſacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lacteuti ſpicea fruge tumet.
Hic dulces ceraſos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æſtivo mora rubere die.

Inſi-

Inſitor hic ſolvit pomoſa vota corona,
Cum pyrus invito ſtipite mala tulit.

Non ergo mercatorum tantum is numen, ſed ruſticorum, & præcipue agricolarum; nam *ara communis & Cereri & Vortuno*. P. Vict. Reg. 8. Urbis. Sed & idem tutela cenſebatur olitorum, ad ſignificandam priſci illius ævi frugalitatem, cum ſcilicet ipſis principibus viris cordi erat agriculrura, &, cum fines admodum anguſti eſſent, hortorum cura. Idem Propertius paulo poſt eodem loco:

Nam quid ego adiiciam, de quo mihi maxima fama eſt,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco braſſica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impoſitus fronti langueat ante mea.

Ad quæ eruditiſſimus Joann. Paſſeratius, Profeſſor Regius eloquentiæ Pariſiis, & doctor meus plurimum colendus, conſulatur. Corruptus Junii Columellæ locus libr. 10. de Re Ruſt.

Jam roſa diſtendat contorti ſtamina junci,
Preßaque flammeola rumpatur fiſcina caltha,
Mercibus & vernis dives Portumnus abundet.

Qnid Portuno, marino Deo, cum mercibus? lege igitur:

Mercibus & vernis dives Vertunus abundet.

Dies feſtos Romæ ei nuncupavere III. Kalend. Novembr. ut in Kalendario Romano habetur, ſcilicet jam frugibus non maturis modo, ſed perceptis etiam.

Sequitur *Volumnus* & ipſe religioſe in Etruria cultus. M. Terent. Varro Satyra Menippea, cui titulus *Marcipor*. *Dein mittit virile veretrum in flumen, offendit buccam Volumnio*. Sacrificia ei ſolemnia, non ad opes honoreſve ſollicite conſequendos, ſed ad bonam mentem. D. Auguſtin. libr. 4. Civit. Dei cap. 21. *Deo Volumno & Deæ Volumnæ, ut bona vellent*. Videndus A. Perſius Sat. 2. in fine. Neſcio autem, quid Joanni Roſino in mentem venerit, cur libr. 2. Antiquitat. Romanar. cap. 19. Deos nuptiales Volunum & Volunam eſſe velit. Deceptus, ut credo, loco D. Auguſtini laudato: *Deæ Menti, inquit, ut bonam haberent mentem: Deo Volumno, & Volumnæ Deæ, ut bona vellent: Diis Nuptialibus, ut bene conjugarentur*. Clarum certe eſt, hic tria Deorum genera diſtingui.

Ejusdem cognominis fuit *Volumna* Dea Etruſcorum, de qua D. Auguſtinus ſupra. Suſpicor, eam nomen a turritis arcibus, quibus præeſſet, accepiſſe; *Vola* enim Etruſca lingua *arx* aut *urbs* eſt, ut libr. 5. Comment. nobiliſſimus Raphaël Mapphæus Volaterranus pag. 135. docet. Deas autem arcibus præſides loquitur fuiſſe exemplo Græcorum Pallas, Catull. in Argonaut.

Diva quibus retinens in ſummis urbibus arces.

Et

Et locus ille, adeo vexatus a Criticis, apud eundem Poëtam Epigr. 1.

Qualecunque quod o patrona virgo,

Patrona ſcilicet præſes arcium.

Eadem gens Deam venerabatur *Voltumnam*, quæ a quibusdam *Voltuna* appellatur: neſcio an recte, ut Alexander ab Alexandro libr. 3. Genial. Dier. cap. ult. Cujus nomen longe in Etruria quondam celeberrimum, habebaturque vel omnium Tuſcorum numinum prima; ad ejus enim fanum conventus omnibus Etturiæ populis indicebatur, loco ſcilicet peropportuno, juxta montem Ciminium, non longe Volſiniis. T. Livius 1. Decad. libr. 4. in fine: *Exercitum magna ex parte voluntarium novi tribuni militum conſulari poteſtate Vejos duxere. Fuere autem Tribuni T. Quintius Capitolinus, P. Quintius Cincinnatus, C. Julius Tullus iterum, A. Manilius. L. Furius Medullinus tertium, M. Æmilius Mamercus. Ab his primum circumſeſſi Veii ſunt: ſub cujus initium obſidionis cum Etruſcorum conſilium ad fanum Voltumnæ frequenter habitum eſſet, parum conſtitit, bellone publico gentis univerſæ tuendi Vejentes eſſent. Ea oppugnatio ſegnior inſequenti anno fuit.* Ad quem locum vide quæ Blaſii Vigenerii editio habebat, quo oſtenditur ab omni Etruriæ populo decreta de rebus graviſſimis ibi ſolere fieri. Et miror, tot illuſtres Scriptores, qualis hæc fuerit Dea, aut quibus ſacrificiis placaretur, non expoſuiſſe: puto, quia Etruſcorum arcana, religioniſque myſteria parum erant Romanis nota.

Alii etiam Dii non minus celebres, ſcilicet *Narnienſis* Deus, ſive verius *Narnienſium* numen appellatur *Viridianus* apud Florentem Tertullianum Apolog. cap. 24.

Habuere & Ocriculani Tuſci Deam ſuam, cui nomen *Valentia*. Idem eodem loco.

Nec non Suttinorum Dea erat *Nortia*, niſi mendoſus Tertullian. codex ibidem loci.

Illud non obvium: *Faliſcorum in honore eſt pater Curis, unde accepit cognomen Juno.* Ibidem Tertullianus, qui ſolus, quod ſciam, horum quatuor Deorum meminit, tanta erat Romanis Etruſcorum ſacrorum ignorantia.

Denique eodem loco *Vulſinienſium* dicitur Dea *Nerſia*, vel *Narcia*, vel *Nortia*, vel *Nurcia*, vel *Nurtia*, tam varia eſt librorum fides, ut notat Jacobus Pamelius. Vetus Scholiaſt. Juven. Sat. 10. v. 74. *Fortunam vult intelligi, quæ apud Nyrtiam colitur, unde fuit Sejanus.* Errat ſane; nam, ut verum ſit, *Nurtiam* eſſe *Fortunam*, illud tamen ineptum, *apud Nyrtiam coli;* nullus enim locus, quod ſciam, in Tuſcia eo nomine; ſed vult Poëta his verbis:

. . . . idem populus, ſi Nortia Tuſco
Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus
Principis, hac ipſa Sejanum diceret hora
Auguſtum . . . .

tan-

tantam eſſe Fortunæ inconſtantiam, ut qui miſerrime perierit Sejanus, ſi a Nurtia Dea tutelari Vulſinienſium, unde ille ortum ducebar, auxilium & favorem accepiſſet, potuiſſet fauſta populi acclamatione Imperator deſignari. De hac Dea T. Livius 1. Decad. libr. 7. in principio: *Vulſiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ Etruſcæ Deæ comparere, diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat*. Antiquiſſimus auctor Cincius, vel ut male alii, Cinthius prodidit in templo *Nurtiæ* annorum ſupputationem ex clavis fixis conſueviſſe colligi. Feſt. Pomp. libr. 3. *Clavus annalis appellabatur, qui figebatur in parietibus ſacrarum ædium per annos ſingulos, ut per eos numerus colligeretur annorum*. Quemadmodum ſane Romani per Conſules, Cretenſes per calculos verſicolores, annos a magiſtratu numerari volebant, & Græci per Olympicos ludos, aut Archontes tempora dirigebant; ita Etruſci fixis in Deæ Nurtiæ templo clavis. Durantius Caſellius libr. 1. Variar. cap. 5. Janus Palmerius in Spicilegio, Georg. Erhardus, qui nuper non pœnitendam operam in Petronii Satyricum locavit, in quo pag. 186. ſic legit Janus Douza pater hos verſus:

Et paries circa palea ſatiatus inani
Fortuitoque luto, clavos numerabat agreſtes.

Joann. a Woneren nihil putat immutandum:

At paries circa palea ſatiatus agreſti,
Fortuitoque luto, clavos numerabat, & annos.

Invenio *Ammudatem* Deum cultum; ſed quis, & a quibus, ne Oëdipus divinarit. Suſpicor Etruſcum eſſe; nam cum illi quatuor ſuperius numerati Dii a nullo, niſi ſolo Tertulliano nominentur, poteſt fieri, ut hic quoque inter Deos Tuſcos, licet Romanis incognito nomine, coleretur. Ejus numen deſcribit auctor antiquiſſimus, & a Gennadio Maſſilienſi celebratus Commodianus, qui apud me eſt MS. dono R. P. Jacobi Sirmondi Soc. Jeſ. viri Græce Latineque doctiſſimi. Is auctor exemplo Conſtantini Manaſſis, & Joannis Tzetzis politicos verſus ſcribit, ſolus, quod ſciam, inter Latinos hoc ſcribendi genere uſus: cui hoc quoque addit, ut tot ſint verſiculi, quot literæ in epigraphe. Itaque ſic libr. 1. contra Gentiles:

DE AMMUDATE ET DEO MAGNO.

D *iximus jam multa de ſuperſtitione nefanda,*
E *t tamen exequimur, nequid præteriſſe dicamur.*
A *mmudatemque ſuum cultores more colebant,*
M *agnus erat illis, quando fuit aurum in æde.*
M *ittebant capita ſub numine quaſi præſenti:*
V *entum eſt ad ſummum, ut Cæſar tolleret aurum,*
D *efecit numen, aut fugit, aut tranſit in ignem.*
A *uctor hujus ſceleris conſtat, qui formabat eundem.*

Not

Tot viros & magnos ſeducit falſe prophetans;
Et modo reticuit, qui ſolebat eſſe divinus,
Erumpebant enim voces, quaſi mente mutata,
Tanquam illi Deus ligni loqueretur in aurem.
Dicite nunc ipſi, ſi non ſint numina falſa?
Ex eo prodigio quot perdidit ille propheta?
Oblitus eſt iſte prophetare, qui ante ſolebat.
Monſtra adeo iſta ficta ſunt per vinivoraces,
Audacia quorum damnabilis numina fingit.
Geſtabant enim, & aruit tale ſigillum:
Nam & ipſe ſilet, nec ullus de illo prophetat
Omnino, ſed vos ipſos perdere vultis.

Corruptiſſima omnia, (1) nec tamen quidquam mutare volui, cum ſic omnia in Codice Vaticano legerentur. D. Gothefredus, Dionyſii filius, in Senatu Pariſienſi Advocatus, magni judicii, & variæ lectionis, putavit hunc *Ammudatem* aliquem ex Africanis Diis eſſe, ego Tuſcum: videris lector.

Etruſcorum Deus Janus, ſeu Janes: nomina relatis in Deos mutari ſolita: rei ruſticæ præerat, & januis: primus Deorum Italorum, ideo Pater dictus: ſtatuæ ejus, & per digitos ſupputatio.

CAP. XVI.

J*Anum* primum regem Etruriæ fuiſſe, libr. 2. doceo, hic etiam Etruſcorum primæ dignationis Deum expediam. Nomen ei arcanum erat *Janes:* Arnob. libr. 4. Cont. Gent. corrigendus: *Quis Limentinum, quis Lunam cuſtodiam luminum gerere, & janitorum officia ſuſtinere?* Sed quid Lunæ quæſo cum janitorum officiis? Lege igitur: *Quis Janem cuſtodiam liminum gerere, & Janitorum officia ſuſtinere?* Q. Florens Tertullian. libr. de Idololatria cap. 15. *Certi enim eſſe debemus, ſi quos latet per ignorantiam literaturæ ſecularis, etiam oſtiorum Deos apud Romanos, Cardeam a cardinibus appellatam, & Forculum a foribus, & Limentinum a limine & ipſum Janem a janua.* Et libr. de Corona militis cap. 13. in fine: *At enim nec Chriſtianus januam*

(1) Commodiani Textum emendatum hic & infra damus ex editione Bibliothec. PP. Lugdun. Tom. XXVII pag. 14.

vuam ſuam laureis formabit, ſi norit; quantos Deos etiam oſtiis diabolus affinxerit: Janem a janua, Limentinum a limine, Forculum & Cardam a foribus & cardinibus. Eadem D. Cyprianus libro de Idolorum vanitate, qui mihi non ad manum. Janus itaque vulgari uſu, Janes in Saliaribus, myſticis ſacris. Idem Tertullian. Apologet. cap. 10. *Si quæras rerum argumenta, nuſquam invenio fideliora, quam apud ipſam Italiam; in qua Saturnus, poſt multas expeditiones, poſtque Attica hoſpitia conſedit, exceptus a Jano vel a Jane, ut Salii volunt.* Franciſcus Zephyrinus Paraphraſtes: *Nec mirum a Saliis Janum vocari Janem; nam priſca illa vocabula in ſuis carminibus retinebant, jampridem exoleta; nam &* orcula doloſi eſo, *pro* oſcula dolori ero: *&* mamuriam *veteres pro* memoriam: *&* manos *pro* bonis, *& alia cantitabant.* Non ea eſt ratio, quam Paraphraſtes ille adfert, quod Salii obſoleta nomina uſurparent; ſed quia poſt apotheoſin ob venerationem nomina mutabant, ne eadem illa manerent, quibus vocati fuiſſent inter homines. T. Liv. 1. Decad. libr. 1. de Æneа: *Situs eſt, quemcumque eum dici jus faſque eſt, ſuper Numicium flumen, Jovem Indigetem appellant.* Ad hunc ritum alluſum a Poëtis. P. Ovidius libr. 14. Transformat. fab. 15.

Luſtratum genitrix divino corpus odore
Unxit & ambroſia dulci cum nectare mixta
Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploque ariſque recepit.

Idem fab. 20. in fine ejusdem libri:

Hanc manibus notis Romanæ conditor urbis
Excipit, & priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramque vocat, quæ nunc Dea juncta Quirino eſt.

Et libr. 11. fab. 10. v. 640.

Hunc Icelon ſuperi, mortale Phobetora vulgus
Nominat . . . .

Homer. libr. 14. Iliad. v. 291.

Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.
Chalciden nominant Dii, homines autem Cymindin.

Idem libr. 20. Iliad. v. 73.

Ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον.
Xanthum vocant Dii, homines Scamandrum.

Et ſi exemplis opus, Jo His poſt conſecrationem dicta. Melicerta Portunus, Ivo Leucothea: Luctatius Statii vetus Interpres, Fulgentius in Mythologicis, & alii. Quare heroum templa tranſeuntes, taciti digitum ori imponebant, quaſi ſilentio venerationem profeſſi, & cultum, tacito nomine, ne ſi priori nomine compellaſſent conſecratum, offenderent. Petrus Nannius Alcmarianus libr. 4. Miſcellaneor.

Ad Janum ſeu Janem redeo, qui & inter Deos agreſtes habebatur, puto, quia multa eo ſeculo, quo vivebat, ad agriculturam conducentia monſtravit. M. Cato Rei Ruſt. cap. 134. *Priuſquam haſce fru-*

ges condantur, far, triticum, hordeum, fabam, ſemen, rapicium; thure, vino, Jano, Jovi, Junoni præfator. Sic enim locus ille in omnibus hactenus excuſis: & ſolet ille accuſativum pro recto uſurpare. Idem cap. 141. *Janum Jovemque vino præfamino*. Ad alia pergo.

Omnium Deorum Italicorum antiquiſſimus habebatur; ideoque religioſo & colendo nomine *Pater* appellabatur. Lactant. Firmian. libr. 4. Divinar. Inſtitution. cap. 3. ex C. Lucilio Satyrico: *Itaque & Jupiter a precantibus pater vocatur, & Saturnus, & Janus, & Liber, & ceteri deinceps, quod Lucilius in Deorum concilio irridet:*

Ut nemo ſit noſtrum, quin aut pater optimu' Divum,
Ut Neptune pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Janu', Quirinu', pater nomen dicatur ad unum.

L. Seneca in Apotheoſi Claudiana: *Illo dimiſſo primus interrogatur ſententiam Janus pater &c: is multa diſerte, quod in foro vivat, dixit:* Septimius, vetuſtus Poeta, apud Terentianum Maurum libr. de Metris:

Jane pater, Jane tuens, dive biceps, biformis,
O cate rerum ſator, o principium Deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi.

Jun. Juvenal. Sat. 6. v. 393.

Reſpondes bis Jane pater.

P. Virgil. libr. 8. Æneid.

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem.

T. Livius 1. Decad. libr. 8. *Jane pater, Jupiter, Mars, audite vota.* C. Plin. libr. 36. cap. 5. *Janus pater in ſuo templo dicatus*. Martial. libr. 8. Epigr. 2.

Promiſit Pyliam quater ſenectam,
Addas, Jane, tuam pater rogamus.

Aut ut in MS. meo:

Addas, Jane pater, tuam rogamus.

Votum eſt ruſticum apud M. Catonem in Re Ruſtica cap. 134. *Jane pater, te hac ſtrue commovenda bonas preces precor*. Et infra eodem loci: *Jane pater, uti te ſtrue commovenda bonas preces precatus ſum*. Martialis idem libr. 10. Epigr. 28.

At tu, ſancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua clauſtra tuere ſera.

Q. Horat. libr. 1. Epiſt. 16.

Jane pater, clare, clare cum dixit Apollo
Labra movet...

In foro Janum habitare ſuperius dixit Seneca, quia ei ſtatuæ erant in foro Romano erectæ. P. Victor in Reg. 8. Urbis: *Jani duo* (inquit) *celebris mercatorum locus*. Quippiam diverſum T. Liv. 1. Decad. libr. 5. in fine: *Forum porticibus taberniſque claudendum, tres Janos faciendos*. Horat. libr. 2. Sat. 3.

quo-

. . . . quoniam omnis res mea Janum
Ad medium fracta eſt.

Helenius Acron, vetus & probus Grammaticus, ad eum locum: *Jani ſtatuæ tres erant, ad unam illarum ſolebant convenire creditores, & fæneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus.* Porphyrion, ejusdem Poëtæ & ipſe Scholiaſtes: *Omnes ad Janum ſtabant in baſilica fœneratores.* Unde dicimus, non ſub dio omnes has tres Jani ſtatuas collocatas, ſed aliquam earum ſub tecto, ſive in baſilica. Idem Acron conſulatur ad illud Horatii libr. 1. Epiſt. 1.

. . . . quæ Janus ſummus ab imo
Perdocet. . . . . . .

De iis ſtatuis intelligendus M. Cicero Philippica 6. *Janus medius in Antonii clientela ſit?* Et libr. 2. de Offic. in fine: *A quibusdam viris optimis ad medium Janum ſedentibus.* Horatius *ſummum*, Cicero *medium* vocat, uterque in foro collocat, deque ea Jani ſtatua C. Plinius libr. 34. Natural. Hiſtor. cap. 7. *Præterea Janus Geminus a Rege Numa dicatus, qui pacis belliquе argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum nota, per ſignificationem anni, temporis, & ævi, ſe Deum indicaret.* Sed quæ nam hæc per digitos numerandi ratio? Expediunt docti viri neque vulgaris famæ, Joan. Savaro Arverniæ Præſes, Andreas Tiraquellus Senator Pariſienſis, Lilius Gregorius Gyraldus Ferrarienſis Dialogo 2. Petrus Colvius Brugenſis, M. Fab. Quintilian. libr. 11. cap. 3. *Alii igitur digitis complicatis numeri, alii conſtrictis ſignificabantur.* Martianus Felix Capella libr. 2. de Nuptiis in principio: *in digitos calculumque diſtribuit.* Et libr. 7. *Digiti vero virginis recuſantes, & quadam incomprehenſæ ſcaturiginis nobilitate vermiculati, quæ mox ingreſſa, ſeptingentos, & decem, & ſeptem numeros, complicatis in eos digitis, Jovem ſalutabunda ſubrexit.* Ille de complicatis inter numerandum; at de conſtrictis Sidon. Apollinar. libr. 9. Epiſtola 9. *Chryſippus digitis propter numerorum indicia conſtrictis, Euclides propter menſurarum ſpatia laxatis.* Q. Flor. Tertullian. Apologet. cap. 90. *Cum digitorum ſupputatoriis geſticulis aſſidendum eſt.* C. Plin. Junior libr. 2. Epiſt. 20. *Componit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat nihil.* D. Auguſtin. libr. 18. Civit. Dei cap. 53. *Omnium vero de hac re calculantium digitos reſolvit, & quieſcere jubet.* L. Seneca Epiſt. 88. *Numerare docet me Arithmetica, avaritiæ accommodare digitos.* Poëtæ ad hunc ſenſum paſſim. P. Ovid. libr. 1. Faſtor.

Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus.

M. Plaut. Milite Act. 2. Sc. 2.

Ecce autem avortit nixus læva, in femore habet manum,
Dextera digitis rationem computat, feriens femur.

Verum, quo res tota ſit clarior, audiendus L. Apulejus libr. 2. Apolog. *Si triginta annos pro decem dixiſſes, poſſes videri computationis ge-*

 ſtu

ſtu erraſſe, quos circulare debueras, digitos aperuiſſe; cum vero quadraginta, quæ facilius ceteris porrecta palma ſignificantur, ea quadraginta in dimidio auges, non potes digitorum geſtu erraſſe, niſi forte triginta annorum Pudentillam ratus, binos cujuſque anni Conſules numeraſti. Nec minus lucis tenebroſæ, & in ipſius antiquitatis latibulis abditæ rei adferet locus D. Hieronymi libr. 1. in Jovinianum in principio: *Triginta referuntur ad nuptias, nam & ipſa digitorum conjunctio, quaſi molli oſculo complexus, ac fæderans, maritum pingit ac conjugem; ſexaginta vero ad viduas, eo quod in anguſtia & tribulatione ſunt poſitæ, unde & ſuperiori digito comprimuntur, quantoque major eſt difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abſtinere, tanto majus eſt premium; porro centeſimus numerus de ſiniſtra transfertur ad dextram, & iiſdem quibus digitis, ſed non eadem manu, quibus in læva nuptæ & viduæ, circulum faciens, virginitatis exprimit coronam.* Neceſſarius etiam Venerabilis Bedæ Britanni locus, a tam multis in hanc, quam docemus, rem laudatus, & tranſcriptus: *Cum decem millia ſignificare volebant, medio pectori lævam ſupinam admovebant, digitis ad collum arrectis: cum viginti millia, eamdem expanſam pectori imponebant: cum triginta millia, eadem manu prona, & tamen erecta, pollicem ac cartilaginem medii pectoris affigebant: cum quadraginta millia, eandem in umbilico erectam ſupinabant: cum quinquaginta millia, ejuſdem pronæ & erectæ pollicem umbilico applicabant: cum ſexaginta millia, eadem prona femur lævum comprebendebant: cum ſeptuaginta millia, eandem ſupinam femori item lævo imponebant: cum octuaginta millia, eandem pronam femori imponebant.* Atque hic quidem modus magnos numeros per digitos ſignificandi, minores autem ſic exprimebantur, eodem illo Beda auctore, apud quem hæc leguntur: *Cum dicis unum, minimum in læva digitum inflectens, in medium palmæ figes: cum duo, ſecundum a minimo flexum ibidem pones: cum tria, tertium ſimiliter inflectes: cum quatuor, eundem minimum levabis: cum quinque, ſecundum ſimiliter a minimo eriges: cum ſex, tertium elevabis, medio in medium palmum defixo: cum ſeptem, minimum ſuper palmæ radicem ceteris levatis impones: cum octo, medium: cum novem, impudicum e regione compones: cum decem, unguem indicis in medio pollicis ortu figes: cum viginti, ſummitatem impudici inter nodos indicis & pollicis arcte figes: cum triginta, ungues indicis & pollicis blande conjunges: cum quadraginta, interiora pollicis lateri applicabis: cum quinquaginta, pollicem ad palmum inclinabis.*

Celebre refertur Orontis, Artaxerxis regis generi honore ſpoliati, dictum: *Principum amicos videri ſimiles computantium digitis, nam* ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυρίαδας, νῦν δὲ μόναδα τιθέναι δύνανται, *Aritbmeticorum digiti, qui modo decem millia, modo unitatem repræſentant; ita regum familiares modo eminentiſſimo loco, & fortuna ſplendidiſſima omnibus præfulgere, modo, ubi ſe fortuna verterit, deteriori privatis quibuſcumque conditione vileſcere.* Plutarch. in Apophthegmat. & ex eo

Cælius

Cælius Rhodiginus libr. 23. Antiquar. Lection. cap. 11. & Pierius Valerianus libr. 37. Hierog. Vetus Poëta:

Utile ſollicitus computat articulis.

In re tam obſcura involutaque, illud certo conſtat, uſque ad centum dextra manu ſolitos numerare, exinde in ſiniſtram numeri ſequentes transferebantur; licet Suidas dicat: *In Jani ſtatua in manu dextra notam CCC. in ſiniſtra LXV.* fuiſſe. Recte ideo Nicarchus vetus Poëta Græcus, & elegans, in Anthologia libr. 1. cap. 9. epigr. 5.

> Η φάος ἀθρήσασ' ἐλάφου πλέον. ἡ χερὶ λαιῇ
> Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη.
> *Quæ ſecla vidit cervo plura, quæ manu ſiniſtra*
> *Senium numerare iterum incæpit.*

D. Jun. Juvenal. Sat. 10. v. 246.

> *Rex Pylius, magno ſi quicquam credis Homero,*
> *Exemplum vitæ fuit a cornice ſecundæ,*
> *Felix nimirum, qui per tot ſecula mortem*
> *Diſtulit, atque ſuos jam dextra computat annos.*

Etruſcorum Dii cum Romanis communes, Jupiter, Bellona, Mars, Fortuna, Juno, Pallas, Apollo: & arcana reconditaque de iis omnibus in medium allata.

CAP. XVII.

Dii deſcripti, Etruſcorum proprii erant: ſequuntur illi, quos communes cum Romanis & aliis gentibus venerabantur, inter quos eſt Jupiter. Vetus lapis Præneſtinus:

> *Fortunæ ſimulacra colens, & Apollinis aras,*
> *Ægeriumque Jovem.*

Omnes gentes communi pæne conſenſu principes ſuos *Joves* vocabant. Clemens Alexandrinus in Protreptico. Unde trecenti Joves repetunt ex antiquitatis monimentis Pet. Crinit. libr. 3. de honeſt. diſciplin. cap. 14. Primus eorum omnium fuit Cretenſis ille inſigni æquitate, ut qui leges Soloni dictitaſſe credatur. Polyæn. libr. 8. Stratagemat. Plutarch. in Numa pag. 551. cui primus ſacrificaſſe Dardanus dicitur. Luctatius Placidius ad v. 599. libr. 4. Thebaid. eundem adorari primus lege præcepit Cecrops. Ado Viennenſis Chronic. pag. 24. Hunc volunt Athenis natum, cujus ibi uxor Niobe fuerit. Gottefredus Viterbienſis Chronicor. parte 4. pag. 125.

Ju-

Jupiter ex patre Saturno natus Athenis,
A quo quadrivii triviique ſcientia venit
Legis & artis ibi tunc idioma dedit.

Alii apud Arcades ortum Lycoſuræ, quæ urbium vetuſtiſſima. Nicolaus Leonicus Thomæus libr. 2. Var. Hiſtor. cap. 81. Hunc libr. 1. Cont. Gentiles Commodianus meus MS., licet inelegantiſſimis verſibus deſcripſit, qui communem ſequitur ſententiam, eum in Creta Inſula natum

J *Upiter hic natus in inſula Creta Saturno,*
U *t fuit adultus, patrem de regno privavit.*
P *roinde nobilium uxores ſororeſque deluſit.*
P *ræterea ſceptra fecerat faber illi Pyracmon.*
I *nitio cœlum terram Deus, & mare fecit,*
T *erribilis autem iſte, medio tempore natus,*
E *x antro proceſſit juvenis, furtimque nutritus.*
R *eſpice quod rerum auctor eſt Deus, non Jovis ille.*

Apud Etruſcos autem peculiari religione colebatur ob inſignem diſciplinam, quæ iis curæ fulgurum piandorum, ut habes libr. 3. hoc opere cap. 2. Omnia hujus cognomina ſaltem celebriora diſcuſſi libr. 2. Antiquitat. cap. 5. adde hic, divitiatum eum cenſeri præſidem. Callimach. Hymno Jovis:

Ε'ν δὲ ῥυηφενίην ἔβαλες σφίσιν, ἐν δ' ἄλις ὄλβον.
Opulentiam adjeciſti ipſis, & quod ſatis eſt fortunarum.

Non modo civitatibus præerat, ſed & montium cacuminibus. Maximus Tyrius Serm. 38. Interprete Coſmo Pazio Archiepiſcopo Florentino: *Jovi mortalium primi vertices montium ſacrarunt*. Homer. libr. 11. Iliad. v. 182. videatur. Sceptrum ei ex cupreſſu finxerunt, quod illa arbor nunquam marceſcat. Jamblicus libr. de Vita Pythagoræ cap. 28. Denique reges videri volebant Jove orti, ut de Alexandro Macedone, & aliis liquet ex Arriano Nicomedienſi, Curtio, Gellio, & aliis, quos non exſcribo.

Bellonam inter Deos Tuſcos fuiſſe putem, quod communis illa populis ſit potentia, quodque inter communes Deos locata. Servius Maurus ad v. 118. libr. 12. Æneid. cui contrarium numen *Deus Pauſus*. Arnob. libr. 1. *Qui Pauſos reverentur, atque Bellonas;* obſervat Hadrianus Turneb. libr. 15. Adverſarior. cap. 21. P. Ovid. libr. 6. Faſtor.

Hac ſacrata die Tuſco Bellona duello
Dicitur, & Latio proſpera ſemper adeſt.

Fuit ea vocata *Enyo*, Martiſque ſoror habita. Luctat. Placidius ad v. 55. libr. 5. Thebaid. Stat. Statius ipſe libr. 7. v. 71. Virgil. libr. 8. Æneid. v. 703. Aliis eſt non Martis ſoror, ſed uxor, dictaque *Nerine*, ſive

ſive *Neriene*. Aul. Gell. libr. 13. Noct. Atticar. cap. 22. Q. Ennius libr. 1. Annal.

Nerienem Mavortis.

M. Plautus in Truculento:

Mars peregre adveniens, ſalutat Nerienem
Uxorem ſuam.

Licinius Imbrex (1) vetus Comicus in Neæra:

Nolo ego Neæram te vocent, ſed Nerienem,
Cum quidem Marti es in connubium data.

Dixi multa libr. 4. Antiquitat. Romanar. cap. 10. Eam deſcribunt; ejuſque ſacra & ſacerdotes, qui *Bellonarii* dicti, Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad v. 105. Sat. 6. Tertullianus Apolog. cap. 9. Lactant. Firmianus libr. 1. Inſtit. cap. 21. Minutius Felix in Octavio. L. Apulejus libr. 8. Mileſiar. Ælius Lampridius in Commodo. Poëtæ quoque; Alb. Tibull. libr. 1. Eleg. 6. Martial. libr. 12. Epigr. 57. Lucanus libr. 1. Pharſal. v. 565. L. Seneca Agamenn. Act. 1. in Choro. Q. Horat. libr. 2. Sat. 3. Juvenalis Sat. 4. v. 124. Quintus Calaber Paralipomenon libr. 8. v. 285.

Λύθρῳ πεπαλαγμένη ὤμους.

Sanie polluta humeros.

Mars etiam eadem cauſa inter Etruſcos Deos, dictuſque ab illis *Janus* ſive *Eanus*. Servius ad libr. 7. Æneid. pag 476. quem non exſcribo.

Sequitur *Fortuna*, quam peculiarem Tuſcorum Deam fuiſſe, appellatamque *Nurtiam*, ſeu *Nyrtiam* docuit ſupra præcedenti capite laudatus Vetus Juvenalis Scholiaſtes. Suidas in voce ἀτέλεστος. Franciſcus Luiſinus libr. 1. Parerg. cap. 22. Inconſtantia & cæcitas ejus notata ab Horatio, qui ei pennas appingit libr. 3. od. 29. Ariſtoteles Problemat. 8. Sect. 29. Pacuvius Poëta multis verſibus apud Cornificium libr. 2. Rhetoricorum. D. Auſonius Epigr. 133. in Profeſſorib. Carm. 19. Eidillio 7. & alibi. M. Manil. libr. 4. Aſtronomic. in principio. Res Imperatorum præclaræ geſtæ dicebantur ipſorum Fortuna. Mamertin. in Panegyrico Maximiani Aug. L. Flor. libr. 4. Hiſtor. Roman. cap. 6. Claudian. libr. de Bello Gildonico:

Auguſti Fortuna dabit.

Corippus in præfatione:

Alternas gentes domini Fortuna necaret.

Illud memorabile, Homerum nunquam nominaſſe eam, cum alii tanti eam faciant, *ut in rebus humanis utramque paginam facere* dixerint. Joannes Saliſburienſis libr. 3. Policratici cap. 9. *Et ſiquidem hæc* (malim legere *huic*, ideſt Deo) *adſcribenda ſunt omnia potius, quam Fortunæ, quæ aut ab ipſo, aut quod magis reor, omnino non eſt; ait enim Ethicus* (Valerius Cato)

Noli

(1) Omnes apud eumdem Gellium.

Noli Fortunam, quæ non eſt, dicere cæcam.

Homerus quoque in illo celeberrimæ perfectionis opere, dedignatus eſt noſſe Fortunam, adeo quidem, ut in nulla parte tanti carminis nominetur; maluit enim ſoli Deo, quem Morphan *nominavit, univerſa regenda committere, quam ut aliquid adſcriberet temeritati Fortunæ: quam utique ſic conſtat minime eſſe Deam, ſicut certum eſt dici & pingi cæcam; fruſtra ergo cæcitas ejus arguitur, quæ in rerum natura inveniri non poteſt.* Locus eſt corruptus, itaque corrigendus hoc pacto: *maluit enim ſoli Deo, quem* Μοῖραν (ideſt Fatum) *nominavit, univerſa regenda committere*. Auctor ſeu conjecturæ, ſeu certiſſimæ correctionis Aurel. Macrobius libr. 5. Saturnal. cap. 16. *Fortunam Homerus neſcire maluit, & ſoli decreto, quem* Μοῖραν *vocant, omnia regenda committit, adeo ut hoc vocabulum* τύχη *in nulla parte Homerici carminis nominetur: contra Virgilius non ſolum novit, & meminit, ſed omnipotentiam quoque eidem attribuit, quam philoſophi, qui eam nominant, nihil ſua vi poſſe, ſed decreti, ſive providentiæ miniſtram eſſe voluerunt*. Locus, quem innuit, Virgilii eſt libr. 8. Æneid.

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.

Quod apud Homerum nomen Fortunæ non reperiri illi aſſerant, diſſentiunt a Pauſania, qui in Arcadic. ait, ſe reperiſſe in Hymno Cereris id nominis. Certe nunc non extat; ut omittam Euſtathium & pleroſque alios, non Homero, ſed alteri hymnos adſignare; ſed penes Grammaticos judicium eſto. De Fortuna corrigendus locus Claudiani e libr. 1. in Ruffin.

. . . . . vacuo quæ currere ſemina motu
Affirmat magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ numina cenſet
Ambigua, vel nulla putat, vel neſcia veri.

At MS. meus optime:

. . . . . quæ numina ſenſu
Ambigua, vel nulla putat, vel neſcia noſtri.

Menda quoque hæſit in Codice C. Petronii:

Cum Fortuna manet, vultum ſervatis amici:
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Quam ſic elue, & lege:

Cum cedit, turpi vertitis ora fuga.

Junonem præ omnibus Diis impenſius colebant Etruſci, & ex iis præcipue Vejentes, & Falerii, ut conſtat ex T. Livio 1. Decad. libr. 5. *Te ſimul Juno regina, quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos victores in noſtram tuamque mox futuram urbem ſequare, ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat*. Solemne certe hoc erat, ut in obſidione civitatum nefas ducerent, quidquam prius aggredi, quam votivo carmine Deos tutelares evocaſſent: cujus evocationis formulam habet Q. Sammonicus Serenus libr. 5. Rerum reconditarum, referen-

te

te Macrobio libr. 3. Sat. cap. 9. *Si Deus, ſi Dea es, cui populus, civitaſque Carthaginienſis eſt in tutela, teque maxime ille, qui urbis hujus, populique tutelam recepiſti, precor, veneror que, veniamque a vobis peto, ut vos populum, civitatemque Carthaginienſem deſeratis, loca, templa, ſacra, urbemque eorum relinquatis, abſque his abeatis, eique populo, civitatique metum, formidinem, oblivionem iniiciatis, proditique Romam ad me meoſque veniatis, noſtraque vobis loca, templa, ſacra, urbs acceptior, probatiorque ſit.* Vide, quæ ſequuntur in hanc rem valde utilia, & cognitu digna. Hinc Virgilius libr. 2. Æneid. Trojæ deſolationem deſcribens:

Exceſſere omnes, aditis, ariſque relictis,
Dii, quibus imperium hoc ſteterat.

Sed obſeſſi, ne evocati ſui Dii urbem deſererent obſeſſam, & ad hoſtes tranſirent, metuentes, injectis catenis eos retinere conabantur, ut exemplis clariſſimis confirmari poteſt. Lacedæmones Enyalii, ſeu Martis ſimulacrum, ne abiret, vinxerunt, Pauſan. libr. 3. Victoriam Athenienſes, Diodor. Sicul. libr. 17. Bibliothec. Herculem Tyrii, obſidente Alexandro, Q. Curtius Rufus libr. 4. utque gravitate impedirentur, ſtatuis infundebant plumbum, In Symmach. libr. 1. Prudent.

. . . . ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.

Ad hunc ritum Juno, quæ in arce Vejentum colebatur, evocata, ut ibidem loci Livius deſcribit, Romam tranſlata eſt; quibus cæremoniis ipſe hiſtoricus docet: *Delecti ex omni exercitu juvenes, pure lotis corporibus, candida veſte, quibus deportanda Romam regina Juno aſſignata erat, venerabundi templum iniere, primo religioſe admoventes manus, quod id ſignum more Etruſco, niſi certæ gentis Sacerdos attrectare non eſſet ſolitus: deinde cum quidam, ſeu ſpiritu divino tactus, ſeu juvenili joco dixiſſet: Viſne Romam ire, Juno? annuiſſe ceteri Deam conclamaverunt: inde fabulæ adjectum eſt, vocem quoque dicentis, Velle, auditam.* Quam totam de Junone deportanda Romam hiſtoriam, eleganter deſcriptam, invenies apud Plutarchum in vita Furii Camilli pag. 132., quem conſule.

Ex his conſtat, Deam Vejentum celeberrima religione fuiſſe Junonem; eandem vero a Faliſcis ſeu Faleriis cultam docent plerique veterum. M. Varro libr. 5. Ling. Lat. *Cubiculum, ubi cœnabant, cœnaculum vocitabant, ut etiam nunc Lanuvii apud ædem Junonis, & in cetero Latio ac Faleriis.* Ovid. libr. 6. Faſtor. non multum a principio:

Adde ſenem Tatium, Junonicolaſque Faliſcos,
Quos ego Romanis ſuccubuiſſe tuli.

Porro adnotandum hic tantum, ut viris Genium, ita feminis fuiſſe Junonem adoptatam. Junius Phylargirius ad Eclog. 4. Virgilii in fine. Angelus Politianus Miſcellaneor. cap. 89. Plautus in Mercatore. L. Seneca Epiſt. 110. & libro de Superſtitione, qui periit, laudante D.

Auguſtino libr. 6. Civit. Dei. Alb. Tibull. libr. 3. Eleg. ult. Atque ut viri per Genium ſuum aut Caſtorem jurabant, ita mulieres per Junonem ſuam. Tryphena apud C. Petronium: *Junonem meam iratam mihi habeam*. Soſipater Chariſius libr. 2. *Ejuno ut Ecaſtor*. Alb. Tibull. libr. 4. ad finem.

Hæc per ſancta tuæ Junonis numina juro.

Juvenal. Sat. 2. v. 98. & Vetus Scholiaſtes ibidem.

Et per Junonem domini jurante miniſtro.

Etruſci *Palladem* quoque inter tutelares Deos habebant, & maxime Faliſci. Ovid. libr. 3. Faſtorum, poſt multas rationes de nomine ejus adductas, ſubdit:

An, quia perdomitis ad nos captiva Faliſcis
Venit: & hoc ipſum litera prima docet?

Pan quoque ab Etruſcis cultus. Rutil. Numatian. Itiner.

Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala ſilvis.

Filius hic Mercurii & Penelopes. Theætetus libr. 4. Anthol. cap. 12. Epigr. 85. D. Gregorius Nazianz. 1. Orat. in Julianum. Nonnus libr. 24. Dionyſiac. v. 87. Apes in ejus tutela. Zonas poëta libr. 1. Anthol. cap. 60. Epigr. 7. Herculis ſocius: Philodemus poëta libr. 4. Anthol. cap. 12. Epigr. 86. Oraculum reddebat. Luctat. Placid. ad v. 479. libr. 3. Theb. Statianæ, Alcæus, Arabius Scholaſticus, Apollonius Smyrnæus, Erycius, Simonydes, Jul. Hygin Fab. cap. 224. Auſon. Moſella v. 174. & alii videantur libr. 3. Antiquitatum mearum cap. 2.

Denique *Apollo* in Etruria celebri cultu obſervatus. Præneſte vetus Epigramma cap. hoc in limine ſupra allatum. Et maxime in monte Soracte ejus ſacra, ut docui libr. 5. infra hoc Opere: de quo pauca dicam. Ejus cognomina diſcuſſi plene Mantiſſa de Fabuloſis veterum Diis cap. 12. & libr. 2. Antiquitat. Romanar. cap. 7. quæ non exſcribo, tu vide. Adde vocatum *Malæoten a Malæo Tuſculorum rege*, ut ait Luctatius Placidius ad v. 224. libr. 4. Thebaid. ſed corrige *Tuſcorum rege*, ut libr. 2. infra hoc Opere oſtendam. Vide & Statium libr. 1. Thebaid. in fine.

Comam ei ſacrabant. Non. Marcell. in voce *Cirri*. M. Martial. libr. 1. Epig. 32. Stat. libr. 8. Thebaid. v. 494. Callimach. in hymno Deli v. 296. Xiphilin. in Nerone. Theophraſtus Ereſius Ariſtotelis auditor in Ethicis characteribus cap. 57. Τοιοῦτός τις οἷος σπουδάσαι ἐπὶ δεῖπνον κληθεὶς, παρ' αὐτὸν τὸν καλέσαντα κατακείμενος δειπνῆσαι, καὶ τὸν υἱὸν ἀποκεῖραι ἀπαγαγὼν εἰς Δελφοὺς. *Homo vero inepte ambitioſus is eſt, qui ad cœnam vocatus, convivatori ſtudeat aſſidere: qui filium ſuum Delphos adducat, ubi comam ponat*. Cenſorinus libr. de Die Natali cap. 1. Idque voto compoſito fiebat. Stat. libr. 6. Thebaid. v. 604. & v. 634. Diemque illum, quo crinem Apollini ſacraſſent, inter feſtos ſemper cole-

colebant. Dio Coccejan. in Auguſto libr. 48. Juvenal. Sat. 3. v. 186. Theodoridas vetus Poëta Epigrammatarius libr. 6. Antholog. cap. 23. cujus verba Latinis numeris expreſſit elegantiſſime Federicus Morellus Profeſſorum Regiorum Pariſiis Decanus, optime de literis meritus. Tu vide, neque enim tranſcribo.

Hic etiam Ἀλεξίκακος, *malorum depulſor*, Theophylattus Simocatta in Dialogo. Accius Æneadis:

Te ſancte venerans precibus invicte vocabo,
Portenta ut patriæ populo verruncant bene.

Pacuvius in Pæribea, Afran. Dinor. Ariſtenet. libr. 2. Epiſt. 1. & de Diis Averruncis, dixi ad illud Claudiani libr. 1. in Eutrop.

. . . . . peregrina piacula forti
Pellantur longe Latio.

Idem Νόμιμος a peritia rei muſicæ. Proclus in Chreiſtomatheja apud Photium in Biblioth. Cod. 234. Porphyrius in libr. cui *Sol* Inſcriptio eſt. Servius ad Eclog. 5. Apud Hyperboreos in præcipuo ob æquitatem honore erat. Iſacius Tzetzes, Pindari Scholiaſtes, ad Od. 3. Olympic. & ad Od. 10. Pythior. Suid. in voce Ἄβαρις Ælian. libr. 2. Var. Hiſtor. cap. 26. De eidem ſacris gryphis. Claudian. de 6. Hon. Conſul. fuſe. Apul. libr. 11. Mileſiar. Philoſtr. libr. 3. Vit. Apollonii. cap. 14. Creditumque, eum leges Lycurgo ſalutares dictaſſe. Polyæn. libr. 8. Stratagemat. Δοκεῖ μὲν ἐμοὶ ζηλωτὸς ἐγένετο Μίνω, καὶ Λυκούργου, καὶ γὰρ οὕτω τοὺς νόμους, ὁ μὲν παρὰ Διὸς, ὁ δὲ παρὰ Ἀπόλλωνος μαθόντες, ἢ μαθεῖν φάσκοντες, ἔπειθον αὐτοῖς χρῆσθαι, ὁ μὲν Κρῆτας, ὁ δὲ Λάκωνας. *Mihi videtur quidem Minoem & Lycurgum æmulatus; nam ex iis leges, alter a Jove, alter ab Apolline diſcentes, aut ſaltem didiciſſe ſe profitentes, alter Cretenſibus, alter Lacedæmoniis, ut his uterentur, perſuaſit.*

Nominabatur etiam a divinandi peritia *Myriceus*. Nicandri Schol. Atque hanc totam divinandi ſcientiam in Branchum quendam Theſſalum tranſtulit, quem ſibi chariſſimum templo & ſepulchro conſecravit. Locum apponam M. Varronis de Rebus divinis: *Olus quidam decimus ab Apolline, cum in peregrinatione pranderet in litore, ac deinde proficiſceretur, oblitus eſt filium ſuum Simerum: qui pervenit in ſaltum Patronis cujusdam, & cum eſſet receptus cum ſuis pueris, cœpit paſcere. Aliquando prebenderunt cygnum, & ipſum veſte cooperuerunt: dumque ipſi pugnarent, uter illum munus patri offerret, & eſſent certamine fatigati, rejecta veſte mulierem invenerunt: & cum fugerent, revocati ab ea ſunt, & moniti, ut Patron unice diligeret Simerum puerum. Illi, quæ audierunt, Patroni indicarunt: tunc Patron pro filio ſuo Simerum nimio dilexit affectu, eique filiam ſuam ducendam locavit uxorem. Illa cum prægnans ex eo eſſet, vidit in ſomnis per fauces introiiſſe Solem, & exiiſſe per ventrem; ideo infans editus Branchus vocatus eſt, quia mater ejus per fauces viderat uterum penetraſſe. Hic cum in ſilvis Apollinem oſculatus eſſet, comprehenſus eſt ab eo: & accepta corona virgaque, vati-*

Digitized by Google

cinari cœpit, & ſubito nuſquam comparuit. Templum ei factum eſt, quod Branchiadon nominatur: & Apollini Phileſio pariter conſecrata ſunt templa, quæ ab oſculo Branchi, ſive certamine puerorum, Phileſia nuncupantur. Stat. libr. 3. Thebaid. v. 482.

. . . . . patrioque æqualis honori
Branchus . . . . .

Terentianus Maurus libr. de Metris:

Hymnum Branchiadæ Phœbo cantaſſe, Jovique
Paſtorem Branchum, cum captus amore pudico
Fatidicas docuit ſortes depromere Pæan.

Commodiani MS. e libr. 1. verſus, licet corruptos, apponam:

Apollinem facitis cytharædum atque divinum,
Primum de Maja natus in inſula Delo,
Oblata mercede poſtmodum ſtructor, obſecutus
Laomedonti Regi Trojanorum muros eduxit.
Locavitque ſeſe, quem Deum ſeducti putatis:
Oſſibus cujus amor Caſſandræ flagravit,
Subdole quem luſit virgo, fallitùrque divinus.
Officio vervecis potuit ſcire bicordem.
Repudiatus enim diſceſſit inde divinus.
Terruit hunc virgo ſpecie, quam ille deberet.
Illa prior debuerat Deum amaviſſe,
Laſciviens qui Daphnem ſic cœpit amare:
Et tamen inſequitur, dum vult violare puellam,
Gratis amat ſtultus, nec potuit conſequi curſu.
Vel, ſi Deus erat, occurreret illi per auras.
Suò tectis illa prior venit, remanſitque divinus.
Fallit vos gens hominum, nam victu triſti fuerunt.
Admeti quoque paviſſe refertur.
Luſibus impoſitis dum mitteret diſcum in altum,
Sublapſum non potuit retinere, proſtravit amicum;
Ultimus ille dies fuit Hiacynthi ſodalis,
Si divinus erat, mortem præſciſſet amici.

Porro qui mythologiam, reconditaque de Apolline ſcire vis, adi opus, Latina Græcâque eruditione refertiſſimum, D. Hieronymi Aleandri.

Quum

Quum Scriptor de Diis Etruſcis hoc loco diſſeruerit, hæc antiqua afferre monumenta cenſuimus, ut conſtet plures Deos, fabulaſque cum Græcis, & Romanis Etruſcos habuiſſe communes.

Digitized by Google

cinari cœpit, & ſubito nuſquam comparuit. Templum ei factum eſt, quod Branchiadon nominatur: & Apollini Phileſio pariter conſecrata ſunt templa, quæ ab oſculo Branchi, ſive certamine puerorum, Phileſia nuncupantur. Stat. libr. 3. Thebaid. v. 482.

. . . . . patrioque æqualis honori
Branchus . . . . .

Terentianus Maurus libr. de Metris:

Hymnum Branchiadæ Phœbo cantaſſe, Jovique
Paſtorem Branchum, cum captus amore pudico
Fatidicat docuit ſortes depromere Pæan.

Commodiani MS. e libr. 1. verſus, licet corruptos, apponam:

Apollinem facitis cytharædum atque divinum,
Primum de Maja natus in inſula Delo,
Oblata mercede poſtmodum ſtructor, obſecutus
Laomedonti Regi Trojanorum muros eduxit.
Locavitque ſeſe, quem Deum ſeducti putatis:
Offibus cujus amor Caſſandræ flagravit,
Subdole quem luſit virgo, falliturque divinus.
Officio vervecis potuit ſcire bicordem.
Repudiatus enim diſceſſit inde divinus.
Terruit hunc virgo ſpecie, quam ille deberet.
Illa prior debuerat Deum amaviſſe,
Laſcrviens qui Daphnem ſic cœpit amare:
Et tamen inſequitur, dum vult violare puellam,
Gratis amat ſtultus, nec potuit conſequi curſu.
Vel, ſi Deus erat, occurreret illi per auras.
Sub tectis illa prior venit, remanſitque divinus.
Fallit vos gens hominum, nam victu triſti fuerunt.
Admeti quoque paviſſe refertur.
Luſibus impoſitis dum mitteret diſcum in altum,
Subhlapſum non potuit retinere, proſtravit amicum;
Ultimus ille dies fuit Hiacynthi ſodalis,
Si divinus erat, mortem præſciſſet amici.

Porro qui mythologiam, reconditaque de Apolline ſcire vis, adi opus, Latina Græcaque eruditione refertiſſimum, D. Hieronymi Aleandri.

Quum

Quum Scriptor de Diis Etruſcis hoc loco diſseruerit, hæc antiqua afferre monumenta cenſuimus, ut conſtet plures Deos, fabulaſque cum Græcis, & Romanis Etruſcos habuiſſe communes.

Digitized by Google


Tab. I. Tom. I. pag. 71



Bononiæ In Musæo Cospiano

Digitized by Google

Digitized by Google



Florentiæ Apud Nob: Com: della Gherardesca



Romæ apud C·V· Franciscum de Ficoronis

Digitized by Google

Tab. IV. *Tom. I. pag. 78*



Romæ apud C.V. Franciscum de Ficoronis.

Digitized by Google

Tab. V. *Tom. I. pag. 78*



Florentiæ in Musæo S·M·D·Etruriæ.

Tab. VI. Tom. I. pag. 98



Romæ apud Ill. et Rev. M. Ant. Anſidei

Digitized by Google



Florentiæ in Muſæo S. M. D. Etruriæ



Florentiæ EX Ære In Museo Medico

Tab. IX. Tom. I. pag. 38

1



Perusiæ In Marmore Apud Nobiles De Constantiis

2



Perusiæ In Marmore Apud Nobiles De Ansideis — C M sculp.

Digitized by Google

Digitized by Google


Tab. X.

Tom. I. pag. 78.




Vas Fictile Alt. Pe. I Vn. VI Florentiæ In Muſæo Mediceo.

Digitized by Google




Tab. XI. Vasu Pars Antica Notâ I



Eiusdem Vasis Pars Postica

Digitized by Google

Tab XII. Tom I. pag. 78.



Vas Fictile Altum Ped. I. Vn. III.





Florentiæ In Musæo Mediceo F A L sculp



Digitized by Google

Digitized by Google



Vas Fictile Altum Ped. I Vn. XI


Romæ Apud Emi Card. Gualterio

Digitized by Google

Tab. XIV. *Tom. I. pag. 78*



Vas Fictile Altum Ped. I.





Romæ Apud Emi. Card. Gualterio

Digitized by Google

Tab. XV. Tom. I pag. 78



Vas Fictile Altum Ped. I Vn. VII





Romæ Apud Emi Card. Gualterio F.A.L. sculp.


Digitized by Google


Digitized by Google

Tab. XVI. Tom. I. pag. 8



Vas Fictile Altum Ped. I Vn. IIII.





Romæ Apud Emi. Card. Gualterio.

Vin. Franceschini sculp.

Digitized by Google



Vas Fictile Altum Ped. I Vn. III





Senis Apud C. V. Hadrianum Sani

FAL. Scul.

Digitized by Google


Tab. XVIII. Tom. I. pag 78



Senis Apud C.V.Hadrianum Sani


Digitized by Google

Tab. XIX



Vas fictile Arretij in Museo Equitis Hieronymi Bacci, fragmentis coagmentatis inſtauratum; pictura alicubi partim deleta. Alt. p. III unc. II. et s.

Digitized by Google



Vas fictile Arretij in Museo Equitij Hieronymi Bacci, fragmentis coagmentatis inſtauratum pictura alicubi partim deleta. Alt. p. III. unc. III. et s.

Tab. XX. Tom. I. pag. 78



Vas Fictile Altum Ped. I Vn. VIII





Romæ Apud Emi. Card. Gualterio.

Tab. XX. Tom. I. pag. 78



Vas Fictile Altum Ped. I. Vn. VIII





Romæ Apud Emi. Card. Gualterio.



Perusiæ In Marmore In Ædibus Angelettis C.M. Sculp.



Perusiæ In Vrna Marmorea Apud Nobiles De Meniconis. C.M. Sculp.

In Etruria oraculum Tethyos, ſeu Themidos, obſcurum & perplexum: & quando oracula ſiluerunt.

CAP. XVIII.

ANte Romam conditam fuit celeberrima religione in Etruria *Oraculum Tethyos*. Plutarch. in Romulo paulo poſt principium: Τηθύος ἐν Τυῤῥηνίᾳ χρηςήριον. *Tethyos in Etruria Oraculum:* de quo altum apud alios, quod ſciam, ſilentium, neque unquam ab ullo vetuſto Scriptore memoratum hoc oraculum valde dignum eſt admiratione, cum res Italicæ florentiſſimis ingeniis ſint omnes decantatiſſimæ. Neque oraculum habuiſſe *Tethyn* comperi apud ullum alium; quare forte non ſit alienum a vero corrigere Plutarchi locum, & pro *Tethyos* ſubſtituere *Themidos:* quam correctionem hiſtorica fides ſi non confirmat, ſaltem probabilem reddit; nam, ſexaginta ante bellum Trojanum annis, Evander cum Arcadum claſſe in vicina Etruriæ Italiæ loca appulit, cujus matrem: Ἕλληνες Θέμιν εἶναι λέγουσι, καὶ θεοφόρητον ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ τὰς Ρωμαικὰς συγγράψαντες ἀρχαιολογίας τῇ πατρίῳ γλώσσῃ Καρμέντην ὀνομάζουσιν, ἐν δ᾽ ἂν Ἑλλάδι φωνῇ Θεσπιῳδὸς τῇ νύμφῃ τοὔνομα, τὰς μὲν γὰρ ᾠδὰς καλοῦσι Ρωμαῖοι κάρμινα. τὴν δὲ γυναῖκα ταύτην ὁμολογοῦσι δαιμονίῳ πνεύματι κατάσχετον γινομένην, τὰ μέλλοντα συμβαίνειν τῷ πλήθει δι᾽ ᾠδῆς προλέγειν. *Græci Themin fuiſſe dicunt, & divino afflatu inſtinctam: Romanarum Antiquitatum Scriptores, patria lingua Carmentam nominant, Græce Theſpiodos vocari poſſet, nam odas Romani appellant carmina. Hanc mulierem affirmant, dæmonis ſpiritu correptam, futura carmine multitudini prædicere ſolitam*. Verba ſunt Dionyſii Halicarnaſſei libr. 1. Ἀρχαιολογ. pag. 24. Licet itaque coniicere, Nicoſtratæ, ſeu Carmentæ Matris Evandri celebre olim in Latio nomen & oraculum in Tuſciam tranſiſſe. Ovid. libr. 3. Faſtor. v. 557. plena manu.

Sunt quibus hæc Luna eſt, quia menſibus impleat annum
Pars Themin, Inachian pars putat eſſe bovem.

Oraculum autem Themidis ante natum Apollinem, aut ipſum Jovem Dodonæum, aut Hammonem celebratiſſimum laudant certatim auctores. Lactanr. Firmian. libr. 1. Divinar. Inſtit. cap. 11. *Primum in eo*, Jove, *imprudentia, non Dei providentia, niſi cui Themis futura dixiſſet, ipſe neſciret*. Lucianus Samoſarenſis non uno loco. Feſt. Pomp. libr. 18. in voce *Themis*. Ammian. Marcellin. libr. 21. in principio. *Vaticana verba, quibus numen præeſſe creditur Themidis*. Hercules Ciofanius Sulmonenſis ad libr. 9. Metamorphoſeos Ovidianæ pag. 185.

Martian. Felix Capella libr. 2. *Alii quoque hujus generis homines in divinandi uſum, & præſcientiam procreati, ut Carmentis in Arcadia, ab effuſo per vaticinia carmine memorata*. Locus mendoſus facile corrigi poteſt, ſi legatur, *ut Carmentis ex Arcadia*. Neque enim nobilis illa vaticinandi peritia in Arcadia, ſed in Italia. Vet. Scholiaſt. Juvenalis ad Sat. 1. v. 82. *A Themide, quæ ante Apollinem reſponſa dabat*. Theophantus Scotus MS. ad eundem locum: *Themis Juſtitiæ Dea mortalibus oracula olim dabat, ipſumque Jovem inſtituit, ut legimus apud Sedulium Epiſcopum*. Opus hoc laudatum Sedulii non extat hodie. Scholiaſt. Pindari, Iſacius Tzetzes pluribus locis. Poëtæ. Sidon. Apollinar. Carm. 9. v. 264.

Si Lyciæ ſapiunt ſortes, ſi noſtra volatu
Fata loquuntur aves, doctis balatibus Ammon
Si ſanctum ſub ſyrte gemit, ſi denique verum
Phœbe, Themis, Dodona canis.

Et Carm. 9. v. 186.

Reſponſa aut Themidis priora Delphis.

P. Ovid. libr. 1. Metamorph. fab. 7.

Dic, Themi, qua generis damnum reparabile noſtri
Arte ſit: & merſis fer opem mitiſſima rebus.
Mota Dea eſt, ſortemque dedit.

M. Lucan. libr. 5. Pharſal. v. 82.

. . . *cum regna Themis, tripodaſque teneret*.

Dixi abunde ad illud Cl. Claudiani libr. 1. de Raptu:

Sic cecinit longæva Themis.

Sed ubi loci in Etruria oraculum iſtud? Forte in luco aliquo, ut libr. 4. M. Varro in Myſteriis: *Primum horrida ſilent oracula priſca, crepera in nemoribus*: & infra hoc Opere: aut certe *Cære*. Sidon. Apollinar. loco ultimum laudato:

An ſortes Lyciaſque Caritumque.

Per ſortes enim oraculum ſignificari vel ignari ſciunt. Terentian. Maurus libr. de Metris:

Fatidicas ducuit ſortes deponere Pæan.

Q. Ennius in Annalib.

Ut ſe edoceret, obſecrans Apollinem,
Quo ſe vertant tantæ ſortes.

Et quamquam Servius Honoratus *ſortes abuſive pro oraculis* interpretetur ad illud Virgilii libr. 7. Æneid.

Non patrio ex adito ſortes:

Tamen conſtanter apud melioris notæ auctores idem ſunt oracula & ſortes. Helen. Acron ad illud Horatii in Arte:

. . . . . *dictæ per carmina ſortes*

M. Cicero libr. 1. de Divinat. paulo poſt principium. Sueton. Tiberio cap. 14. L. Apul. libr. 5. Mileſiar. *Cui ſcopulo ſors addixit, ſiſtite;* ideſt

ideſt oraculum Apollinis Mileſii. C. Jul. Hygin. Fab. cap. 69. *Adraſtus memor ſortium ſuarum*. Ammian. Marcellin. libr. 14. in fine: *Urnam ſortium temperat*. Pindari Scholiaſt. ad od. 4. Pythior. notavit Joann. Hartungus 3. Decuria ex optimis auctoribus cap. 8. num. 4.

Oracula hæc ambiguo ſenſu, nec ante eventum intelligendo dabantur. Scholiaſtes Æſchyli in Prometheo vincto. Martian. Mineus Capella libr. 1. Philolog. *In fanis, quibus vaticinia obliquis fundebantur ambagibus*. Hinc Apollo Λοξίας, *ab obliquis & incurvis oraculis*, ut Phornutus docet, & ejus interpres Jodocus Velareus. D. Synæſius libr. de Somniis. Scholiaſt. Sophoclis. Chryſippus apud M. Tullium libr. 2. de Divinat. *Oracula obſcura & flexiloqua*. Poëtæ. Stat. Papin. libr. 1. Thebaid. v. 509.

Salve, priſca fides tripodum, obſcurique receſſus.

Et libr. 3. Thebaid. v. 614.

Expectare queam, dum pallida virgo tremendas
Nuntiet ambages.

M. Lucan. libr. 1. v. 639. Pharſaliæ:

. . . . . *Flexu ſic omina Tuſcus*
Involvens, multaque tegens ambage canebat.

Et libr. 5. v. 225.

Terreat ambiguis fruſtratum ſortibus . . . . .

Et libr. 6. v. 772.

. . . . . *tripodes voceſque Deorum*
Sors obſcura tenet.

Valer. Flacc. libr. 1. Argonaut.

Jamdudum longa Minyas ambage, ducemque
Terrificat.

Et libr. 4. ejusdem operis:

. . . *dedit tacitis iterum reſponſa tenebris.*

Sil. Italic. libr. 9. Punicor.

Jamque alter tibi, nec perplexo carmine, coram
Fata cano vates.

L. Seneca in Oëdipo Act. 2. ſc. 1.

Reſponſa dubia ſorte perplexa latent.

Sequitur deinde ſubinde:

Ambage nexa Delphico mos eſt Deo,
Arcana tegere.

Claudian. libr. 2. in Ruffin.

Has canis ambages, occulto fallitur ille
Omine.

Et libro de Bello Getico:

O ſemper tacita ſortes ambage malignæ,
Eventuque potens, & noxia vatibus ipſis
Veri ſacra fides!

In Italia itaque *Themidis* Etruſcum oraculum vetuſtiſſimum fuit: apud Chaldæos *Zoroaſtris*, in quo ſcholia extant Plethonis & Pſelli: aliorum vero, ut *Jovis Dodonæi*, Apollinis *Iſmenii*, Apollinis *Clarii*, Apollinis *Mileſii*, Apollinis *Pythii*, Apollinis *Sarpedonii* Seleuciæ: *Mercurii*, *Hecates*, *Serapidis*, *Æſculapii*, *Trophonii* Lebadiæ: *Amphilyti*, *Acarnanis*, *Bacidis*, *Diopithis*, *Xenocleæ*, *Phennidis*, *Phemonoes*, *Peliadum*, & *Sibyllarum* in unum corpus congeſſit nuper Joannes Opſopœus, quæ vide.

Jam de oraculorum defectu pauca addam, non ignarus a magno purpurato Principe Illuſtriſſimo Cæſare Baronio Cardinale libr. 1. Annal. Eccleſiaſt. præoccupatum. Id quando contigerit, non ſatis video conſtare: nec Plutarchus eleganti opere, ea ſuper re edito, explicuit, contentus inanes quaſdam & aniles rationes inveſtigaſſe. *Terram nimis effœtam*: quod & ante illum Cicero libr. 2. de Legibus prodiderat: & *maligniores eſſe homines, quam ut Deorum colloquia reſponſaque mereantur*, id ſenſit Edeſius apud Eunapium Sardianum. Denique ei videtur, *adeo ſapientum ſua ſecula feracia, ut nihil Deorum conſilio ſit opus*. In quo ridicula eſt Philoſophi opera, dum a naturæ principiis cauſam ſcrutatur, quæ a ſolo naturæ Auctore foret deſumenda. Neque vero inter Chriſtianos ſcriptores de abolitis ceſſantibuſve oraculis ſatis convenit; nam quibuſdam placet, quinquaginta annis ante natum humani generis aſſertorem obmutuiſſe conficta illa dæmonum & portentoſa reſponſa. Paul. Oroſ. libr. 6. cap. 15. *Appius Claudius Cenſorinus, qui juſſu Pompeii Græciam tuebatur, jam abolitam Pythici oraculi fidem voluit experiri; quippe ab eo adacta vates deſcendere in ſpecum, reſpondiſſe fertur de bello conſulenti: nihil ad te hoc, Romane, bellum pertinet, Eubœæ Cœla obtinebis*. Subdit deinde idem auctor, paucis interjectis: *Cur ergo longe ante imperium Cæſaris, nativitatemque Chriſti, ſicut ipſorum auctores atteſtantur, abolita fuerat Pythici oraculi fides? Abolita autem ideo, quia contemta. Porro autem quare contemta, niſi quia vel falſa, vel vana, vel dubia? Unde prudenter Poëta præmonuit*: (Virgil. 6. Æneid.)

Inconſulti abeunt, ſedemque odere Sibyllæ.

Siluiſſe Pompejano hoc bello oraculum, Ethnici etiam auctores volunt; nam Sextus Magni filius, Erichtho magam anxie, non vero oracula conſuluit. Hiſtoricos miſſos facio: unicus M. Lucanus ſufficiet libr. 6. Pharſaliæ, v. 423.

Qui ſtimulante metu fati prænoſcere curſus
Impatienſque moræ, venturiſque omnibus æger,
Non tripodas Deli, non Pythia conſulit antra,
Nec quæſiſſe libet, primis quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona ſonet: quis noſcere fibra
Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura cœli
Servet, & Aſſyria ſcrutetur ſidera cura,

Aut

Aut ſi quid tacitum, ſed fas, erat.

Atque hæc quidem prima eſt ſententia. Aliis probabilius videtur, non niſi nato Aſſertore noſtro & oracula toto orbe terrarum ſiluiſſe, & ſuperſtitioſa omnia: Ægypto Deorum ſtatuas corruiſſe, ut ex Sozomeno libr. 5. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 20. colligit Simon Majolus Dier. Canicular. Dialog. 21. quod placuiſſe video Aurelio Prudentio in Apotheoſi:

Spiritus ille Dei, Deus & ſe corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit.
Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra,
Non tripodas cortina regit, non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris:
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores:
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ:
Nec reſponſa refert Libycis in ſyrtibus Ammon.

Menda eſt in tertio verſiculo, quam ſic eluo, & lege: *Non tripodas Cortina tegit;* nam cortinæ ille ad ſubmovendos plebis, aut etiam conſulentium oculos tripodem circumdabant, & ab adytis templum diſcernebant.

Nec Chriſtiani modo, ſacrique ſcriptores proſtratam illudentium dæmonum impietatem, ſuperſtitioſoſque idolorum cultus memoriæ commiſerunt in univerſum ſublatos, naſcente Jeſu Chriſto; ſed & Gentiles ipſi gravi indignatione & querela perſequuntur: inter quos Strabo Amaſianus primas tenet, qui temporibus Tiberii Auguſti vixit; is quippe nulla ab oraculis ſuo ævo reſponſa reddita, libr. 17. teſtatum reliquit: & duo acerrimi Chriſtiani nominis hoſtes idem aſſeruere, Q. Symmac. Præfectus Urbis, & Q. Optatianus Porphyrius: ille quidem libr. 4. Epiſt. 33. *Quid ſi pergat longum tacere? non vides oracula, olim locuta, deſiſſe, nec ullas in antro Cumano literas legi, nec Dodonam loqui frondibus, nec de ſpiraculis Delphicis ullum carmen audiri?* Alter vero ita canit apud Euſebium libr. 5. Præparat. Evangel. cap. 8. interprete Georgio Trapezuntio:

Ablata eſt Pythii vox haud revocabilis ulli;
Temporibus longis etenim jam ceſſat Apollo,
Clavibus occluſus ſilet; ergo rite peractis
Diſcedas patria, & redeas ad limina ſacris.

Aliis ejuſdem impietatis aſſeclis Paganis id non fuit obſcurum. De Neronis ævo Lucanus libr. 5. Pharſal.

. . . . . *multoſque obducta per annos*
Delphica fatidici reſerat penetralia Phœbi.

Sub Domitiano, & Nerva, Trajanoque, ut plerique probabili ducti ratione credunt: D. Juvenalis Sat. 6. v. 552.

. . . . . . *credunt a fonte relatum*
Ammonis, quoniam Delphis oracula ceſſant.

Et eodem ſeculo Papinius Statius libr. 8. Thebaidos, v. 200.

An tibi felices lucos miſeratus Averni
Rector, & Elyſias dedit inſervare volucres?
Quidquid es, aeternus Phœbo dolor, & nova clades
Semper eris, mutiſque diu plorabere Delphis
Hic Tenedon, Cyrrhamque dies, partuque ligatam
Delon, & intonſi ſolvet penetralia Branchi.
Nec Clarias hac luce fores Didymaeaque quiſquam
Limina, nec Lyciam ſupplex conſultor adibit,
Quin & cornigeri vatis nemus, atque Moloſſi
Quercus anhela Jovis, Trojanaque Thymbra tacebit.

Imperante Honorio Aug. Cl. Claudianus libr. 2. de Raptu:

Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.

Et de 4. Honorii conſulatu, vere oraculorum arguit defectum: adulatorie deinde ea in gratiam Imperaroris denuo locuta innuit:

Quis vatum diſcurſus erat? tibi corniger Ammon,
Et dudum taciti rupere ſilentia Delphi.

Adulatori inquam, & falso ille; nam ubi ſemel ſiluerunt oracula, nihil unquam conſulentibus poſtea reſponderunt, ut fuſiſſime ab eodem Euſebio Cæſarienſi probatum invenies. Quo magis mirum videri debet, a Nicephoro Calliſto in literas relatum fuiſſe, Juliano Aug. Apoſtatæ oraculum redditum: cujus verba, civitate Latina donata a Joanne Lango, adponam ex libr. 10. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 29. *Exercitum adverſus Perſas ducturus, Delphos & Dodonem, qui vates ibi conſulerent, miſit: & illi non ſolum bellum, ſed etiam victoriam denuntiaverunt; tantum vero a veritate ipſa aberrarunt, quantum poſtea rerum exitus oſtendit. Porro ex reſponſis ejus unum ad mendacium redarguendam apponam:*

Nunc Di Deaque omnes conſurgite, ſumite bellum,
Atque fero certum de flumine ferte trophæum:
Dux ego veſter ero, Mars ſævus belligerator.

Sunt & alia duo eidem reddita, ut creditur, oracula, quorum iſtud unum:

Terrigenum quondam genus ſuſtulit prudens Jupiter,
Inimiciſſimum beatis, cæleſtes domos incolentibus:
Romanorum Rex Julianus, Deo ſimilis,
Pugnando, Perſarum urbes, & mœnia longa
Bellicoſorum vaſtavit igne, duroque ferro:
Fortiter domuit urbes, & gentes multas:
Quin & Occidentalium virorum, Alamanicum ſolum
Pugnis crebris capiens, vaſtavit agros.

Plura de modo oracula conſulendi, deque celebribus totius mundi oraculis dixi in Mantiſſa de fabuloſis gentium Diis.

Etru-

Etruſcorum leges primæ, atque politicus ſtatus, cum in Italia celebrari primum cœperunt.

CAP. XIX.

UNicum hoc dolendum eſt, alto ſilentio involutum, quibus legibus priſci illi & primi Etruriæ incolæ, ſeu indigenæ, ſive advenæ, vixerint; nam qui tam religoſe Deos colebant, qui tam fortiter bella gerebant, colonias deducebant, populos ſubjugabant, bonis legibus indubie uſi, quas ſcripto commiſit Ariſtoteles, ut relatum ab Athenæo libr. 1. Dipnoſ. pag. 23. ſed ille quoque temporis diuturni injuria perierunt. Ἀριστοτέλης ἐν Τυῤῥηνῶν νομίμοις, ἐν δὲ Τυῤῥηνοὶ δειπνοῦσι μετὰ τῶν γυναικῶν, ἀνακείμενοι ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ. *Ariſtoteles in Etruſcorum inſtitutis: Etruſci cœnant cum mulieribus, ſub iisdem aulæis accumbentes.* Sola hæc & unica lex a me erui potuit, quæ convivandi conſuetudinem indicat, quam Romani mutuati ſunt. Vide infra hoc libr. cap. 24. Siquidem in cœnis uxores habebant gremiis ſuis impoſitas. M. Cicero Orat. 2. Catilinaria: *In convivio accubantes, complexi mulieres impudicas.* L. Apul. libr. 6. Mileſiar. *Accumbebat ſummum thorum maritus, Pſychen gremio ſuo complexus.* P. Scipio Africanus inſectans mollitiem Sulpitii Galli, ut eſt apud A. Gellium libr. 7. cap. 12. *Qui in convivio adoleſcentulus cum amatore, cum chiridota tunica inferior accubuerat.* Apul. libr. 1. Mileſiar. Cœnare incipientem invenio, *Aſſidebat pedes uxor & menſa vacua poſita.* Male Philippus Beroaldus legit: *Aſſidebat penes uxor;* nam in maritorum gremiis uxores accubabant, ut dixi. Suet. Calig. cap. 25. & expreſſius cap. 24. P. Ovid. libr. 1. Amor. eleg. 4. libr. 2. Amor. eleg. 18. libr. 3. Amor. eleg. 2. & Epiſt. Paridis ad Helenam:

Pœnitet hoſpitii, cum me ſpectante, lacertos
Imponit collo ruſticus ille tuo.
Rumpor, & invideo: quid nunc tamen omnia narrem?
Membra ſuperjecta cum tua veſte fovet.

D. Juvenal. Sat. 2. v. 119.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter, ingens
Cœna ſedet: gremio jacuit nova nupta mariti.

Digitized by Google

Etruſca lingua, diverſa a Latina Græcaque: literæ Etruſcæ, & inſcriptiones nonnullæ, quæ non poſſunt intelligi: vocabula ex ea varia, quo fonte: ipſa Romana lingua ſæpe mutata.

CAP. XX.

SUpereſt de lingua diſcutiendum, qua uſi Etruſci illi antiqui: atque eam quidem nec Latinam, nec Græcam eſſe, nec Volſcam liquet ex iis, quæ proxime adferentur. Exiſtimant docti *Arameam* fuiſſe origine: & nuper, cum Romæ eruditiſſimus Jacobus Bonaventura Scotus, Minimorum Ordini adſcriptus Theologus, Hepburnus, ortu quidem gentis nobilis, ſed virtute nobilior, ſeptuaginta duo Alphabeta Orientalium linguarum edidiſſet, Etruſcum inter illa recenſuit. Ego ſane ſuſpicabar, Græcæ fuiſſe originis, quod Tyrrhenos & Pelaſgos eandem gentem eſſe animadvertiſſem, & Lemnum Athenaſque inhabitaſſe, ut ex Thucydide relatum eſt ab Halicarnaſſeo libr. 1. Antiquitat. Accedit, quod Tyrrheni appellantur Pelaſgi. Sophocles in Inacho:

Ἴναχε πατὲρ καὶ κρηνῶν πατρὸς ὠκεανῦ
Μέγα πρεσβέυων Ἄργυς τε γύαις
Ἥρας τε πάγοις, καὶ Τυῤῥηνοῖσι Πελασγοῖς.
Inache pater, fili fontium patris Oceani,
Qui maximos honores habes in Argivis agris,
Junoniſque collibus & Tyrrhenis Pelaſgis.

Hoc ego argumento inducebar, ut crederem, cum Aſiaticis hominibus linguam etiam in Italiam migraſſe; ſed Xanthus Lydius hiſtoricus Antiquitatis, ſi quis alius, peritus, negat ex Lydia unquam in Italiam coloniam deductam: ideoque nec linguam illatam. Omnem dubitationem tollit Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 1. Hiſtor. Rom. pag. 23. Κοινῦ δὲ ἄμφω μετειληφέναι γένυς ὐ πέιθομαι, πολλοῖς τε ἄλλοις, καὶ μάλιςα ταῖς φωναῖς ἀυτῶν διηλλαγμέναις, καὶ ὐδεμίαν ὁμοιότητα σωζύσαις τεκμαιρόμενος. *Commune ambarum fuiſſe genus non credo, cum aliis multis argumentis inductus, tum linguarum diverſitate, & quod nulla ſimilitudinis apud eas veſtigia ſuperſint.* Ex his patet, Etruſcam linguam aliam eſſe a Græca, ſive Pelaſgica; nunc vero aliam eſſe a Latina docemur ex ejuſdem pulcherrima narratione de Mutio Scævola libr. 5. pag. 298. Διαβαίνει τὸν ποταμὸν, καὶ παραγενηθὲις ἐπὶ τὸν χάρακα τῶν Τυῤῥηνῶν εἰσέρχεται, παρακρυσάμενος τὺς φυλάτ]οντας τὰς πύλας, ὡς τῶν ὁμοεθνῶν τις, ὅπλων τε ὐθὲν

φανερὸν

φανερὸν ἔχων, καὶ γλώττῃ Τυῤῥηνικῇ διαλεγόμενος, ἣν ἐξέμαθεν ἔτι παῖς ὤν, ὑπὸ τροφῷ Τυῤῥηνίδος τὸ γένος ἐκδιδαχθείς. Fridericus Sylburgius Veterenſis vertit: *Ille tranſmiſſo fluvio, ubi ad caſtra Etruſcorum pervenit, ingreditur, ſimulata Tuſci ſpecie, deceptis portarum cuſtodibus: quod eo fuit facilius, quod nec ullum telum geſtabat propalam, & lingua utebatur Tuſcanica, quam puer a nutrice Etruſca didicerat.* Hæc verba: *quod eo fuit facilius*, in contextu Græco non ſunt: & fruſtra, ſenſu non exigente, videntur addita. Illa vero: ὅπλων τε οὐδὲν φανερὸν ἔχων, verſio Lapi agnoſcit genuina, ſicque reddit: *armorum nihil manifeſtum habens.* Aliis vero placet non genitivus pluralis, ſed τὸ ὅπλον οὐκ ἔχων, *telum non habens;* ſed parum intereſt, dummodo conſtet, alio opus ei fuiſſe idiomate, quam Romano: quod locus elegantiſſimus probat, dum ait, eum Etruſcum ſermonem, veluti peregrinum, a nutrice didiciſſe. Adſtipulatur Plutarchus in Publicola: Ἐπιβουλεύων δὲ τὸν Πορσήναν ἀνελεῖν, παρεισῆλθεν εἰς τὸ στρατόπεδον Τυῤῥηνίδα φορῶν ἐσθῆτα, καὶ φωνῇ χρώμενος ὁμοίᾳ. *Cum conſtituiſſet Porſenam incautum opprimere, veſte indutus Tuſca, & ſimili lingua utens, in caſtra penetravit.* Eadem verbatim Joan. Zonaras Tom. 2. Annal. pag. 19. Idem ex Polyæno clarum eſt libr. 8. Stratagem. ita enim Juſtus Vultejus vertit; *Tyrrheni cum Romanis bellum gerebant: Tyrrhenorum Rex erat Porſennas, Romanorum imperator Publicola tertium Conſul, Mutius civis Romanus in re militari præſtantiſſimus, interficiendi Porſennæ cauſa,* εἰς τὸ Τυῤῥηνικὸν στρατόπεδον ἦλθεν, ἐσθῆτα ἔχων Τυῤῥηνίδα, καὶ τῇ φωνῇ Τυῤῥηνίζων: *in Etruſca caſtra venit, habitum habens Etruſcum, & Etruſcum ſermonem exprimens. Tyrrhenos* male pro *Etruſcis* tranſtulit; ſiquidem hiſtorici Tuſcos eos aut Etruſcos appellant; poëtæ vero Lydos aut Tyrrhenos. Hanc itaque linguam, præter auctores laudatos, aliam a Romana Latinaque probant vetuſtiſſimæ inſcriptiones, cum literis Tuſcis, tum etiam characteribus Romanis, quæ extant Eugubii in Umbria. (1)

Ita autem ſe lingua habet, ut ne ſyllaba quidem intelligi poſſit. Jam vero de literis aliquid obſervandum, quas diverſas a Latinis Græciſque & inſcriptiones teſtantur, & Peruſinæ quædam tabulæ fidem faciunt, & ibidem urnæ iiſdem notatæ: ſimileſque characteres in veteri palatio Florentiæ viſuntur, ad ſcalam quandam, in dextro pede ſtatuæ Chymeræ (2) cujusdam, quam Arretio eo tranſlatam didici. Literarum iſtarum meminere Livius & Plinius, ut alii jam præoccuparunt. Plinius quidem libr. 16. cap. 44. *Vetuſtior autem Urbe in Vaticano ilex, in qua titulus literis æreis Etruſcis, religione arborem jam tum dignam fuiſſe ſignificat.* Et Iſidor. libr. 15. cap. 2. *Capitolium Romæ vocatum, eo quod fuerit Romanæ urbis caput ſummum, alii ajunt, cum Tarquinius Priſcus* (*Superbum*, ait Livius, Florus, & alii, ut verear, ne erra-

(1) In fine hujus capitis adferuntur Tabulæ omnes Eugubinæ.

(2) Vide in fine hujus capitis poſt Tabulas Eugubinas Chimeræ effigiem cum aliis quibuſdam Etruſcis monumentis.

erraverit Iſidorus) *Capitolii fundamenta Romæ aperiret, in loco fundamenti caput hominis* (Tolonem eum vocat Arnobius libr. 6.) *literis Tuſcis notatum invenit, & proinde Capitolium appellavit* Verum ut hæc clariora ſint, vocabula quædam priſca adſcribam, quæ ab Etruſcis perita, Romani in uſum ſuum converterunt.

Æſar Deus. Sueton. in Auguſto cap. 97. & Dio Coccejan. libr. 56. Hiſtor. Rom. pag. 675. totidem pæne, quot Suetonius, verbis rem narrat, & ex eo Joannes Xiphilinus verbatim in Auguſto pag. 97. Guilelmi Blanci hæc interpretatio eſt: *Fulmen, quod cecidit in ſtatuam ejus, poſitam in Capitolio, primam literam e nomine Cæſaris delevit: ex quo aruſpices reſponderunt, eum centeſimo poſt die participem fore alicujus divinitatis.* Ὅθεν οἱ μάντεις τῇ μετὰ τοῦτο (1) αὐτὸν ἡμέρᾳ θείας τινὸς μοίρας μεταλήψεσθαι ἔφασαν, τεκμαιρόμενοι, ὅτι τό τε στοιχεῖον ἐκεῖνο τὸν τῶν ἑκατὸν ἀριθμὸν παρὰ τοῖς Λατίνοις, καὶ τὸ λοιπὸν πᾶν ὄνομα θεὸν παρὰ τοῖς Τυρσηνοῖς νοεῖ. *Idque coniiciebant, ex eo quod prima litera ejus nominis* (ſcilicet Cæſar) *centum apud Latinos, reliqua pars Etruſco ſermone Deum ſignificabat.*

Arimi, Simiæ. Janus Parrhaſius in libr. 3. Claudiani de Raptu pag. 43.

Arſe verſe, Averte ignem. Verrius Flaccus apud Feſtum Pompejum libr. 1.

Capra. Heſychius Illuſtrius Grammaticus.

Κύπρα. Juno. Strabo libr. 5.

Capys, Falco. Serv. ad v. 145. libr. 10. Æneidos.

Capua, cui curvi ſunt pedum pollices. Idem ibidem loci.

Itis, Jovis fiducia. Aurel. Macrob. libr. 1. cap. 15. Saturnalium.

Idulis, ovis. Ibidem loci.

Iduare, dividere. Ibid.

Baltheus, cingulum. M. Varro libr. 18. Rer. Humanar. apud Soſipatrum Chariſium.

Nepos, projector, abliguritor. Feſt. libr. 14.

Falantum, ſive *Falandum*, cœlum. Feſt. libr. 6.

Helvacea, genus Lydii ornamenti. Feſt. libr. 8.

Hiſter, ludio. Livius 1. Decad. libr. 7.

Laniſta, carnifex. Iſidor. gloſſ. At licet ille primam ejus verbi ſignificationem velit ſervo publico conveniſſe; tamen gladiatorum magiſtri ſic dicti, ſive qui gladiarorum familiam alerent. Ita accipiendi auctores. Sueton. Julio cap. 10. cap. 26. in Auguſto cap. 42. in Caligula cap. 26. in Domitiano cap. 10. M. Cicero Orat. pro Sylla. Spartian. in Hadriano: *Puerum aut ancillam lenoni aut laniſtæ vendi vetuit.* Jul. Capitolin. Antonino Philoſ. *Nullus laniſta ſcænicus, nullus arenarius.* Conſentiunt veteres gloſſæ Philoxeni. *Laniſta.* Λουδοτρόφος, μονομαχοτρόφος,

(1) Poſt τοῦτο deſideratur vel numeralis nota ρʹ, vel numerale nomen ἑκατοστῇ, uti etiam in Dione, qui iisdem verbis hæc eadem narrat, ut notat quoque Sylburgius ad hunc locum.

φος, ἐπιςάτης μονομάχων. Ammian. Marcell. libr. 19. ad finem: *Qui peritus artium cruentarum, ut laniſta ex commerciis libitinæ, vel ludii, ex eculeo quæſtum captabat*. L. Seneca libr. 10. Controv. 4. *Crudelem rem facit & laniſta, nec damnatur reipublicæ leſæ*. Vide eundem libr. 6. de Benef. cap. 12. fine. T. Livius 3. Decad. libr. 8. *Scipio Carthaginem ad vota ſolvenda diis, munuſque gladiatorium, quod mortis cauſa patris patruique paraverat, edendum rediit. Gladiatorum ſpectaculum fuit, non ex eo genere hominum, quos ex laniſtis comparare mos eſt*. Valentinianus & Valens L. 11. C. Thedoſ. de pœnis: *Neminem de numinis noſtri ſacrario prodeuntem arena ſuſcipiat, laniſta doceat, ſæva meditatio & pugnatrix exerceat*. Aurel. Prudent. libr. 2. in Symmach.

. . . . ſedet illa verendis
Vittarum innexis faleris, fruiturque laniſtis.

M. Martial. libr. 6. Epigr. 82. Et libr. 11. Epigr. 67. Juvenal. Sat. 3. v. 158. Et Sat. 11. v. 9.

Scripturus leges, & regia verba laniſtæ.

In tot auctoribus nullus eſt, qui non laniſtam pro patre familias gladiatorum uſurpet, ut mirum ſit nativam verbi ſignificationem obſoleviſſe. Sed ad dictiones Etruſcas demum redeo.

Læna, veſtis. Feſt. libr. 10. Varias autem de hac veſte, ſeu toga duplice opiniones invenies apud Servium in illud libr. 4. Æneid. v. 264.

. . . . Tyrioque ardebat murice læna.

Lucumo, ſeu *Lucumus*. Rex. Vide ſupra, ubi fuſe de regum variis nominibus actum.

Luceres. nomen tribus. Vide infra, *Taties*.

Mantiſſa. additamentum, quod ponderi adiicitur, ſed deterius, & quod ſine ullo uſu eſt. Feſt. libr. 11. C. Lucilius in Satyris.

. . . . mantiſſa obſonia vincit.

Croton. Urbs Tyrrhenia. Dionyſ. Halic. libr. 1. Hiſt. Rom. pag. 22.

Manius. Dis pater. Servius ad libr. 10. Æneid. v. 198. pag. 585. ubi de Mantuæ origine.

Maſtarna. Mons Cœlius. Vetus Inſcriptio, quæ Lugduni reperta, cujus fragmentum vide infra libr. 2. cap. 47.

Natinari. factiones eſſe. Feſt. libr. 12.

Neptunus. Deus maris. Scalig. ad M. Varronem.

Rhamnes. nomen tribus. Vide paulo infra.

Subulo. tibicen. M. Varro libr. 6. de Ling. Lat. Feſt. libr. 17. Verbum illud reddendum C. Plinio Juniori libr. 2. Epiſt. 17. *Adhæret dormitorium membrum, tranſitu interjacente, qui ſuſpenſus & tabulatus conceptum vaporem ſalubri temperamento huc illucque digerit & miniſtrat*. Doctius alii Codices, quod & Maria Catanæus vidit; *qui ſuſpenſus & ſublatus ſubulonibus conceptum vaporem*; notiſſimum enim eſt tibicinibus ſolere fulciri ædificia.

Taties. nomen tribus. Volumnius vetus Poëta apud M. Varronem libr. 4. de Ling. Lat. Erant certe initio creſcentis Reipublicæ tres tantum tribus, Tatienſis, Rhamnenſis, Lucerenſis; licet nonnihil Feſtus diverſum tradat libr. 17. in voce *ſex Veſtæ*. *Civitas Romana in ſex eſt diſtributa partes, in primos, ſecundoſque, Titienſes, Rhamnes, Luceres*. Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 1.

Hinc Titiens, Rhamneſque viri, Lucereſque coloni.

P. Ovid. libr. 3. Faſtor. v. 129.

Quin etiam partes totidem Tatienſibus ille,
Quoſque vocant Rhamnes, Luceribuſque dedit.

Tyrſes. turres. Halicarnaſſ. libr. 1. pag. 21.

Tiberis. fluvius. Varro libr. 4. de Ling. Lat. pag. 9.

Vadimon. Janus Vertumnus. Myrſilus, Fabius Pictor, Cato in Originibus, auctores futiles, & ſuppoſiti, apud Mariam Catanæum in C. Plinii libr. 8. Epiſt. 20.

Vidua. a viro valde diviſa. Macrob. libr. 1. cap. 15. Saturn.

Vola. oppidum, aut arx; unde Volaterræ, Volcæ, Volumnius, Volumnia, aliaque ejus generis, ut hoc opere dictum, & notat Raphaël Volaterranus, diligens patriæ ſuæ illuſtrator, libr. 5. pag. 135. Commentar.

Volcanus. Deus. Joſ. Scal. ad Varronem. Atque hæc quidem nomina, uti a pleriſque, quos laudavi, doctis, Tuſca habentur; ita de iis, quæ ſequuntur, valde eſt ambiguum: niſi forte dicamus ab Etruſcis aruſpicinam profectam, ideoque videri nomina ad eam ſpectantia, inde etiam petita; quare, quia literatis viris viſum ea Tuſco fonte derivata, apponam.

Apexabo. Arnob. libr. 7. farcimen, in quo quiddam eminet. Varro libr. 4. Ling. Lat.

Iſicia. Arnob. libr. 7. farcimen ex pice quadam. Iſidor. libr. 20. cap. 2. Paxamus vetus ſcriptor laudatus ab Athenæo libr. 9. Dipnoſophiſt. pag. 376.

Longano. Arnob. libr. 7. Varro libr. 4. Ling. Lat. farcimen longius, quam duo hila. Deſiderius Heraldus in Adverſariis.

Nænia. Arnob. libr. 7. Feſt. libr. 12. eſt etiam farcimen. M. Plautus.

Confoſſiorem faciam ſoricina nænia.

Oſſa penita. Arnob. libr. 7. farcimen ex carne porcina. Feſt. libr. 14.

Polimina. teſticuli porcini, qui & ***polimenta*** apud Feſtum libr. 14. Plaut. in Milite glorioſo.

Palaſea, ſeu *plaſea*. Arnob. libr. 7. farcimen quoddam.


Africia. Arnob. libr. 7. farcimen ex ſanguine hircino.

Gratilla. Arnob. libr. 7. pars hoſtiæ.

Cratumeum. Arnob. libr. 7. pars extorum in hoſtia.

Fendicæ. Arnob. libr. 7. pulpamenti quoddam genus.

Ma-



Ex Aere Alta Ped. Rom. II. Vnc. VIII. Longa Ped. IIII. Florentiæ In Muſæo Mediceo
VIZƆMHIX *Litteræ Inciſæ In Tibia*


Reperta Arretij An. 1554. dum ædificaretur Arx, et foſſæ excauarentur
Vaſari Vit. Tom. I pag. 170.

Digitized by Google



Ex Aere In Musaeo Mediceo Alt. Vn. V.

Digitized by Google



Signum æreum Florentiæ in Muſeo Nobb. de Bonarrotiſ

Signum æreum Romæ in Muſeo Carpin Repertum in ditione Carpineæ

TABULÆ
EUGUBINÆ.

Digitized by Google

Quum Dempſterus in hoc Capite de Tabulis Eugubinis mentionem fecerit, operæ pretium erit, ut eruditorum curioſitati ſatisfiat, eas omnes in medium afferre, archetypo ſimiles, diligenterque emendatas. Unam tantum Bernardinus Baldius, binas vero Gruterus, quarum alteram Etruſcis, alteram Latinis characteribus exaratas, edendas curarunt; ſed quantum a veris differant, facile dignoſcere poterunt qui noſtras inſpexerint; hæ namque reſpondent in omnibus (præterquam in characterum magnitudine) formis quibusdam, ſuper iisdem Tabulis impreſſis, quas ad nos jamdiu tranſmiſit Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dom. Sebaſtianus Pompilius Bonaventuri, Montis Phyſconis Epiſcopus: noviſſime autem Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Fabius Mancinforte, Archiepiſcopus Neopolitanus, qui ambo Eugubinam Eccleſiam jam gubernarunt.

Digitized by Google

JACOBI TAURELLI
FANENSIS.

De Tabulis, Iguvii, ſive Eugubii in Theatro repertis.

HÆc quicumque venis veterum ad monumenta virorum,
Quæ ſeptem in Tabulis ære notata vides;
Suſpenſum ignotus ne quem fortaſſe character
Neve peregrinus ſermo diu teneat;
Etruſcas dic eſſe notas, & Lydia verba,
Ante quibus uſa eſt Tuſcia Romulidas.
Scilicet antiquis cum fortis Etruria ſeclis
Creviſſet, tenuit jura utriuſque maris.
Fluctibus Adriacis, huic Tuſca colonia nomen,
Ipſaque Tyrrhenis fluctibus ora dedit
Et tenuit pulchra quantum ſupra æquor, & infra,
Atque etiam a Gallis uſque fretum Auſonium;
Unde a Tyrrhenis turres, dictique Tyranni:
Illa domos celsas vox notat, hæc dominos.
Ergo tam longe populo, lateque potenti
Cum ſua lingua fuit, tumque elementa ſua.
Paulatim linguam ſed perdidit alta vetuſtas,
Romanumque magis perdidit imperium.
Namque ubi Roma potens, rerum & pulcherrima facta eſt,
Septem arces muro cinxit & una ſibi,

Finibus

Digitized by Google

Finibus extenſis Romanas diſcere voces
    Imperat, & Dominos verba Latina ſequi.
Sic patrios gens Lyda ſonos in ſecula mille
    Deſueta ignorat nunc magis atque magis.
Sunt elementa ſuper noſtris quæ verſibus infra
    Scripta, Abrahamæo more legenda damus.
More Abrahame tuo, primus tu namque figuras
    Scribendi in medium ponis ab orbe Syro.
Aſſyria, & Solymus, Janus, Noa vitifer hic eſt,
    Tranſtulit ad fontes, o Tyberine, tuos.
Forma characterum, numeruſque parumper ab illis
    Mutati, eſt idem curſus, & ordo tamen.
Sic etiam Latio Græcos Evandria mater
    Deducens, eadem cernitur, atque alia.
Ordine quæque fuit prope par, ductuque notarum
    Græcis nec ſpecie, nec numero eſt ſimilis.
Sed lege jam, Eugubioque vale bona multa precatus,
    Virtutum, atque virum quod decora alta colit.

TABULA I.

TVDYVCIIV : EDADVNY : SYDVΘdLAS : ESKAMIYV : ACEIYV
INVMEK : YEDTIAMA : SEANTI : YDIIAYEBDA : TDVSEKAYV
EPEK : SVTDV : SESE : EDEdLVMA : CESVNE : TVEMVNES
TVTPIdES : TVDYVCIYV : SYDVΘdLA : TEYENAYA : ISEK
AYCEIYV : EDEDEDVNY : KATIPVS : TVEMVNE:
CESVNE : TVDYVCIYV : ASAMAP : EDEdLAMAP
ASEdEYES : KADNVS : ISEdLES : EY · CEMTESVNYDES
SVTES : SANES : TEDYENYV : TEDSNIMV : APTEYV
SYAYIYAYV : CESKLES : SNAYES : ASNAYES : SECAKNE
EDEdLVMA : TEDSNIMV : TVEMVNE : TVTPIKE : CESVNE
TVEMVNES : TVTPIKES : KLACLES : TEDSNIΘMV
TVEMVNE : TVTPIKES : EY : CESVNE : TVEMVNES
TVTPIKES : TVSYIN : EDEdLV : INVK : VMYV
TVYDESTE : EDVS : INVK : CESYIdIA : MEBA : TVDYVTIYE
SKALdEYA : KVNIKAY : ATEΘYDE : ESVB : YESYDV · SESE
ASA : ASAMA : TVDYVCIYV . SECAKNE : SVKAYV
INVMEK : CESCEdA : TEDSVNYDV : SVTV : EDEdLE : ΘVLE
SECAKNE : SKALdEYA : KVNIKAY : TVDYVCIYV : INVNYEK
CESYIdIA : TEDSVNYDV : YVDSE : SVTED : EDEdLE : SECAKNE
SKALdEYA : KVNIKAY : TVDYVCIΘV : INVMEK : YEΘYEPIM
EYV : CEYYV : EPEK : TEDSVNYDE : ANYENYV : INVMEK
ADdLAYAB : CASVS : VBESYNE : SECAKNEB : TVDYVCII
INVMK : TDVYVPE : KEBV : SECAKNE : TEDSNIΘMV
TVEMVNE : TVTPIdE : INVMEK : KLEYDA : CESKLES:
CVBEYES : SECAKNIS : TEDSIΘMV : CESVNE
TVEMVNES : TVTPdES : INVMEK : SCETIS : ΘEDI:
EYADIAB : ANYENYV : INVMEK : EDVS : YAdEY:
YEDYV : INVMEK : KVMALYV : APKANI
KANEYV : KVMAYES : TEDSNIΘMV : ESVKV
ESVNV : VPEYV : YATISYENV : ΘABEYV : TVNE
BDEΘYV : ΘABEYV : AT : IYEK . BAKVSY : TVDYIYV
BVYV : ΘVNYAK : TIPI : TDVTEΘASY : EPEK
VDES : TVNES : NEIPΘABAS


TABULA II.

ESUNU : FUIA : HERTER : SUME :
USTITE : SESTENTASIARU :
URNASIARU : HUNTAK : VUKE : PRUMU : PEHATU :
INUK : UHTURU : URTESPUNTIS :
FRATER : USTENTUTA : PUŘE :
FRATRU : MERSUS : FUST :
KUMNAKLE : INUK : UHTUR : VAPEŘE :
KUMNAKLE : SISTU : SAKŘE : UVEM : UHTUR
TEITU : PUNTES : TERKANTUR : INUMEK : SAKŘE
UVEM : URTAS : PUNTES : FRATRUM : UPETUTA :
INUMEK :·VIA : MEŘSUVA : ARVAMEN : ETUTA :
ERAK : PIR : PERSKLU : UŘETU : SAKŘE : UVEM :
KLETRA : FERTUTA : AITUTA : ARVEN : KLETRAM :
AMPARITU : ERUK : ESUNU : FUTU : KLETRE : TUPLAK :
PRUMUM : ANTENTU : INUK : ÇIHÇEŘA : ENTENTU :
INUK : KATI : FERIME : ANTENTU : ISUNT : FEŘEHTRU :
ANTENTU : ISUNT : SU·FEŘAKLU : ANTENTU : SEPLES
AHESNES : TRIS : KATI : ASTINTU : FEŘEHTRU : ETRES : TRIS
AHESNES : ASTINTU : SUFEŘAKLU : TUVES : AHESNES
ANSTINTU : INENEK : VUKUMEN : ESUNUMEN : ETU : AP
VUKU : KUKEHES : IEPI : PERSKLUMAŘ : KAŘI·TU : VUKE : PIR
ASE : ANTENTU : SAKŘE : SEVAKNE : UPETU : IUVEPATRE
PRUMU : AMPENTU : TESTRU : SESEASA : FRATRUSPER :
ATIIEŘIES : AHTISPER : EIKVASATIS : TUTAPE : IIUVINA
TREFITER : IIUVINA : TIÇLU : SEVAKNI : TEITU :
INUMEK : UVEM : SEVAKNI : UPETU : PUEMUNE :
PUPŘIKE : APENTU : TIÇLU : SEVAKNI : NARATU
IUKA : MERSUVA : UVIKUM : HABETU : FRATRUSPE
ATIIEŘIE : AHTISPER : EIKVASATIS : TUTAPER
IIUVINA : TREFITER : IIUVINA : SAKŘE :
VATRA : FERINE : FEITU : ERUKU : ARUVIA : FEITU : UVEM
PEŘAEM : PELSANU : FEITU : EREREK : TUVA : TEFRA
SPANTIMAŘ : PRUSEKATU : EŘEK : PEŘUME : PURTUVITU
STRUÇLA : AŘVEITU : INUMEK : ETRAMA : SPANTI : TUVATEFRA
PRUSEKATU : EŘEK : EREÇLUMA : PUEMUNE : PUPŘIKE

Digitized by Google

T A B U L A III.

esuk : frater : atiieřiur:
eitipes : plenasier : urnasier : uhtretie
t. t. kastruçiie : ařfertur : pisi : pumpe:
fust : eikvasese : atiieřier : ere : ri : esune:
kuraia : prehabia : piře : uraku : ri : esuna:
si : herte : et : pure : esune : sis : sakreu:
perakneu : upetu : revestu : puře : teřte:
eru : emantur : herte : et : pihaklu : pune:
tribřiçu : fuiest : akrutu : revestu:
emantu : herte : ařfertur : pisi : pumpe:
fust : erek : esunesku : vepurus : felsva:
ařputrati : fratru : atiieřiu : prehubia:
et : nuřpener : prever : pusti : kastruvuf:
frater : atiieřiur : esu : eitipes : plenasier:
urnasier : uhtretie : k. t. kluviier : kumnah
kle : atiieřie : ukre : eikvasese : atiieřier:
ape : apelust : muneklu : habia : numer:
prever : pusti : kastruvuf : et : ape : purtitu:
fust : muneklu : habia : numer : tupler:
pusti : kastruvu : et : ape : subra : spafu : fust
muneklu : habia : numer : tripler : pusti:
kastruvu : et : ape : frater : çersnatur : furent:
ehvelklu : feia : fratreks : ute : kvestur:
sve : rehte : kuratu : si : sve : mestru : karu:
fratru : atiieřiu : pure : ulu : benurent:
prusikurent : rehte : kuratu : eru : erek:
prufe : si : sve : mestru : karu : fratru : atiieř
iu : pure : ulu : benurent : prusikurent:
kuratu : rehte : neip : eru : enuk : fratru



CLAVERNIVR . DIRSAS . HERTI . FRATRVS . ATIERSIR . ΓOSTI . ACNV
FARER . OΓETER . Γ. IIII. AGRE . TLATIE . ΓIQVIER . MARTIER . ET . SESNA
HOMONVS . DVIR . ΓVRI . FAR . EISCVRENT . OTE . A . VI. CLAVERNI
DIRSANS . HERTI . FRAT■ER [a] . ATIERSIVR . SEHMENIER . DEQVRIER
ΓELMNER . SORSER . ΓOSTI . ACNV . VEF . X. CABRINER . VEF. V. ΓRETA
TOCO . ΓOSTRA . FAHE . ET . SESNA . OTE . A . VI. CASILOS . DIRSA . HERTI . FRATRVS
ATIERSIR . ΓOSTI . ACNV . FARER . OΓETER . Γ. VI. AGRE . CASILER . ΓIQVIER
R .
MATIER . ET . SESNA . HOMONVS . DVIR . ΓVRI . FAR . EISCVRENT . OTE . A. VI
CASILAT . E . DIRSANS . HERTI . FRATEER . ATIERSIVR . SEHMENIER . DEQVRIER
ΓELMNER . SORSER . ΓOSTI . ACNV . VEF. XV. CABRINER . VEF . V■S [a] . ET
SESNA . OTE . A. VI

(a) Duobus in locis videtur deleta litera ad corrigendam ſcripturam.

T A B U L A IV.

:8VDV+ : 8VJ+IJ : 8ƎD+ : ΘA88V8 : 8ƎƆV : ƎNV1 : VIƆVI : MVKVKƆ
:ANIƆVKIDƎ1A+V+ : SANIƆVII : SA+V+ : DƎ1VJ1V1 : V+Ǝ8 : ƎIPVΘ : Ǝ+DAM
:VMIN2Ǝ1 : 1Ǝ+VK : V+NƎ+SV : AIƆDA : V+Ǝ8 : INV1 : V+Ǝ8 : ƎNIDƎ8 : AƆV+A<
Ǝd+NVΘ : 1VDV+ : 1V++IƆ : 8ƎD+ : SƎI+ƎdVK : MVKVKƆ : SƎƆDA : SƎ1ƎPA
:AƆV+AƆ : ANIƆVII : DƎ1A+V+ : SANIƆVII : SA+V+ : DƎ1V+V1 : V+IƎ8 : I8
:SIDƎΘ : VNIƆ : SIDƎΘ : V+IƆDA : MI+I+NƎ+ : V+NƎ+SV : AIƆDAV+Ǝ8ƎNIDƎ8
:+SV8 : +AΘI1 : DAKVKVNI : SIƆDA : SƎ1I1A : VMIN2DƎ1.8Ǝ+VK : V+IƎ8 : INV1
:V+AIDƎ+A : 8IƆAƎSIMV+ƎdAƆƎ+NKAƆ : DƎ+NA : VNVSƎ : KƎMVSƎ : V+IƎƆS
:V+IƎ8 : VNVSƎ : 8Ǝ+SƎD : V+DƎƆVK : VNA11ƎD+ : Ǝ8VDƎƆ

AIANDƎ1 : V+Ǝ : V+AIDƆ+NA : 8ƎƆA : SƎIDƎΘ : MVDƎ8A : MVJ1V1 : ƎNV1
:KƎMVNƎ : V+AΘ : MVD+AKNƎDK : SV+DVƆVK : ƎNV1 : 8AIAN+SV1 : 8
:MƎMI+ΘA : SVJƎ+NƎ : DI1 : ƎNV1 : V+NƎ+NƎ : MƎMI+ΘA : DI1
:ƎNIƆVKI : Ǝ+V+ : Ǝ8Ǝ+ : MAƆSƎ+ : MA8DA1V+A1Ǝ+S : KƎMVNƎ
:V+Ǝ : ƎMVNVSƎ : AJƎKIJA : AƎƆ : V+AI8I1MVK : Ǝ8VJKƎIJA : MƎ8Ǝ1AƆ
:SƎNƎM : ƎNV1 : Ǝ+AdINV1 : V+V+Ǝ8AΘ : 8AKDƎ1 : V+V+Ǝ : V+AƆVN D1
:V8ID+ : Ǝ+ANIdA+A+V+ : VMA+SdV+Ǝ : KƎMVNƎ : MƎMAINVdƎKA
:MƎMVN : MVK+V1AI : MƎMVN : MVKDAΘAN : MVKSDV+ : Ǝ+ANIdA+
:+SƎ:SdƎM:ƎdƎ1:VDV:V+IƎ8:+SƎ:SdƎM·ƎV1:VJV+A+DV1:Ǝ8AΘ·SIƆƎƆ
:VNAMDA : KƎMVNƎ : VKSƎNMDƎ+ : NƎDƎΘA+S : SV+AƆVNID1 : Ǝ+V1
V8ƎD1MA·INV1:ƎDV1:+Ǝ:SƎDV+ : V+ƎD1A : KƎMVNƎ:VNIƆVKI:VMAƎDƎ+AK
:V+ƎƎD1MA : DƎ1VII+D : SVNIƆVKI : V+A+Ǝ : KƎMVNƎ : VMIN2DƎ1 : SV
:KƎMVNƎ : SVNIƆVKI : V+A+Ǝ : DƎ1VII+D : VMIN2Ǝ1 : DƎ1VII+D
:SV+AƆVNID1 : V+V+Ǝ : VMIdS:AƎƆ:+NVΘADƎ:V+V+Ǝ:VMId:SV+AƆVNID1

:I+DAM : ƎdƎ8DdV+IƎ8 : V+IƎ1 : Ǝ+V : VD8VD : 8VD1A : 8ID+ : ƎDƎJ1NV8
:VIƎ8 : INV1 : V+NƎ++SV : VIƆDA : V+Ǝ8 : ƎMIDƎ8 : VƆV+AƆ
:SƎƆDA : Ǝ1ƎPA : VMIN2Ǝ1 : +ƎdA+

:Ǝ+A+SƎD1 : V+Ǝ8 : AIƎ1 : Ǝ+V : AD8VD : AKDV1 : ƎD+ : Ǝ : ƎIHI1VD
:V+NƎ+SV : VIƆDA : V+IƎ8 : AIAPƎ1 : SƎI+DAM : Ǝ8DƎd : ƎI8DƎd
:V+Ǝ8 : INV1 : V8JA : VD+A : V+ƎƆ : VJKSƎƆ : V+IA : ADKAS : IIAK
:SƎƆDA : DƎ1ƎPA : VMIN2Ǝ1 : +ƎdA+

:SƎI+DAM : Ǝ8DƎd : ƎI8DƎd : ƎSV+ : V+IƎ8 : 8AJ+IƆ : 8ƎD+ : Ǝ+A2 : AD+
:VMIN2Ǝ1 : +ƎdA+ : V+Ǝ8 : INV1 : V+Ǝ+SV : VIƆDA : V+IƎ8 : AIAPƎ1
:8VD1A : Ǝ8V1 : V+ƎPAK : SVdNI+DV1 : ƎNV1 : SƎƆDA : DƎ1ƎPA
:VD+SV1 : +SVPƎ+ : SVDƎ : Ǝ1A : AP Ǝ+ : SVDƎ : Ǝ+V1 : +NƎDVKA8
:AIAI8I1VK : A+ΘAS : AD+ : ƎNƎ : APƎ+ : SVDƎ : ƎMANI1VD : V+AI8I1VK
:ƎDKA . +NA : V+DƎƆVK : VD+SV1 : ƎMANI1VD : VNƎ : APƎ+ : SVDƎ
:V+ƎƆ : VJKSƎƆ : V+IA : ADKAS : IIAK : VNƎ : VMIN2Ǝ1 : Ǝ+AMVK
:VNVSƎ : VNƎ : VMIN2Ǝ1 : Ǝ+AMVK : ƎDKA+NA : V+DƎƆVK : ƎMA+AS : VNƎ
:+SV8 : V+I+DV1

:VIƎSV+ : ƎDKADƎ1 : AKƎƆI : +SV8APƎ+A : VJ1V1 : ƎNA1 : V+I+ƎSV1
:V+V+ƎSV+ : 8V+ : V+AƆVNID1 : DV+DƎ8dA : ƎMVK : DƎ1VS
:AKƎƆI8AƎ : V+V+AΘ : DAINƎMΘƎSVDV8 : AD+VΘ
:V+Ǝ+SV : VIƆdA : ƎIƆVIƎSV+ : V+Ǝ8 : ƎIVNdƎKA : ƎD+
:SƎƆDA : ƎI1ƎPA : VMIN2Ǝ1*Ǝd A+ : V+Ǝ8AIAPƎ1 : V+Ǝ8INV1
:SƎIƎ+Ǝ+SI+I+SIdƆVƆVSƎƆS : ƎIASV : ƎI+ : ƎD+SƎƆK

[illegible]

(a) Tribus in locis videtur deleta litera ad corrigendam ſcripturam.

TABULA V.

:MVYKADAH : ƎTAKƎIƆA : ƎIƎƎIITA : ƎIDVTƎTƧ : ƎИDAK : ƎИV1
MVƧƎ : VƎ : ƎIƎƎIITA : DƎTƧVDTAD8 : VTƎ8 : VИVƧƎVTƧƎ : ƧVTDVƆ
:ƎTAKƎIƆA : ƎIƎƎIITA : ƎIDVTƎTƧ : ƎИDAK : ƎƎƎ1 : VTADAИ : VƧƎ
:ƎbASƎdITƧƎƆ : VTƎDƎ1IƎИƎTV1 : VTƎ8 : ƎDV8Ǝ8 : VTDV : VIA
VTATƧƎD : ƎИKADƎ1 : ƎDVTƎTƧ : ƎИKADƎ1MV8ƎDTA1ƎƆVI : ƎDKAƧ
:VTИƎTƧV : VIƆDA : VTƎ8VИAƧLƎ1 : ƎDKAƧVTƎIDƎVИV : ƎIƆVI
:ƧVIITDV1ƎИV1 : ƧƎƆDAƎ1ƎƎA : VMIИƧƎ1 : TƎdAT : VTƎ8 : IИV1
:ƎƎI1AK : ƎIƆVI : ƎИMAKIT : VTƎ8 : VDTVƧƎ1VƎVƧ : VИV
AMVK : VИƎ : VTƎT : ƧVDƎ : VƎVƧVIITDV1 : Ǝ1A : VTƎ8ƎƆƆD1 : VƎƎ1
:MƎИ : KADƎ1ƎƆV : 1IƆVI : VTΘA : VMIИƧƎ1ƎTAMVKVT⅃
VИVD8A : ITDAMVTΘA : VTƎ8 : IИV1VTИƎTƧV : VIƆDA : VTƎ8MƎAƎƎ1
:VTIƎƆƎA : ƎTƎdƎƧV1D : VIƧA8 : VTƎTƧVИIƆDA : VTƎ8 : ƎИKADƎ1
:VTƎ8 : ƎИ : IƆKƎ : ADT : VTƎ8IИV1 : VTƎ8 : ƎAƎƎ1
:VTƎ8 : ƎИKADƎ1 : ƧVTƎdA
:ƎTITƧV : ƎMVƧ : TƧƎ : TAKATƧ : ⅃ƎdIT : Ǝ⅃TAK : AITИVΘ
:ƧIƆA : DVTƎ8ƎA : VIdA8 : IƎIIDƎΘ : VDAIƧDƎd : VDATИƎM : DƎTИA
VTDƎ8 : AITИVΘ : TIdIT : AIdA8 : VIƧA⅃ddVK : ƎИTИƎM : ƧƎTAIDƎTИA
:VTƎ⅃AM : V⅃AM : VИIƆ : ƎИV1 : A⅃KI8 : AVdΘVDTƧ : AIƆDA : V⅃TAK
:ƎƧA : DI1 : VTDƎ8 : ИƎMV : ATAИƧA : ATAИƧ : A⅃KƧƎƆ : V⅃KΘADTИAM
:V⅃TAK : VTИƎ1MA : ƎIƆVI : ƎTИVΘ : VTIƎ8 : IИV1 : VИVƧƎ : VTИƎTИA
:VИVƧƎ : VIƎƎIITA : VDTAD8 : ƎИITAИ : DƎ1AIИVDTƎ1 : ƎИKAƆƎƧ : ƎDKAƧ
:VTΘAΘ : 8A1VƧ : 8AƎ8A8VƧ : VTΘAΘ : A1VƧ : ƧƎ⅃TAK : VTV8 : ƎAƎƎ1
TИƎTVƧ : AIИƎ⅃TA : ADTAMƎDK : VTDAK : AIdƎƧVD1 : ƧƎIИƎ⅃TA : ƧVDƎ8
AƎV1ƎDTΘA : VTAKITƧƎƆ : VTIƆVTDV1 : IИV1 : AIƆDA : VTIDƎM : VƎƎ1 : V
:VИIƆ : VIT : IИV1 : VIT : VTAƎVƎ1ƎDTΘA : ƧIƆVИ : VИIƆ : 8IdИA : ИITƧV1 : VT
:8VDTAMƎDK : TƧƎD8 : ƎMIƆVИ : ƎƎV1 : VTDƎ8 : 8ƎTΘƎ8 : AƆƎƧ : VTIƎT
ADƎ8ƎT : AƆVT : ƧƎ⅃TAK : VMΘIИƧDƎ1 : ƎMVƎƎ1 : AIdITƧƎƆ : VTƎ8 : ⅃ƎMVƧ
A⅃dΘVDTƧ : VTKƎƧVD1 : VDTAMƎDK : TИVƧI : VTAKƎƧVD1 : ƧVƎƎ : ITDƎT
:ATƎdƎƧA : VMΘIИƧDƎ1 : AIƎƎ1MA : VTIƆVTDV1 : VYTAK : VTIƎƆƎA : A⅃KI8
:AƎTИA1Ƨ : A1VƧ : VMΘIИƧDƎ1 : ADTИVƧDƎ1ИƎƎ : VMΘIИƧDƎ1 : ƎИDAK
:VTAƎV1ƎDTΘA : VTAKITƧƎƆ : VMΘIИƧDƎ1 : ƧƎTƎ8VƆ : ƧƎ⅃KƧƎƆ : VTИƎTDƎ1
VTIƎƆVK : IИAM : ƧVDƎ : VD1ƎI : VTƧDƎ1 : ADTƧV1 : A1VƧ : VTATITAƧ : VT⅃ƎƎA
A : 8A⅃ƆA⅃K : AƆDƎ8 : VTDƎ8 : ƎИV1 : ƧVƎIIAKƎD : ƎƆVT : VTƎ : ƎAMAИIIƧ
:ƎTИVΘ : ƎƎI1AK : VTDƎ8 : ИƎMV : VTAИƧAVTAИƧ : V⅃KƧƎƆ : 8ATΘƎИA
:ƧVDƎ8 : VIƎƎIITA : VDTAD8 : ƎИITAИ : TDƎ1AIИVDTƎ1 : VTAKITƧƎƆƆIƆVI
:VMΘIИƧDƎ1 : ƧƎ⅃Ɔ⅃AK : TИVƧI : AIИIIƧ : TDƎ1 : VMΘIИƧDƎ1 : ƧIИKAƆƎƧ
VTAKITƧƎƆ : VMΘIИƧDƎ1 : AMAIИIIƧ : ƧIИKAƆƎƧ : ƧƎTAИƧA : ƎTAИƧ : ƧƎ⅃KƧƎƆ
:AƧAƎ : 8ИAM : VMΘIИƧDƎ1 : IИKAƆƎƧ : ƎИMV : VTMV : AИIIƧ : VTAƎV1ƎDTΘA
:VMΘIИƧDƎ1 : TƎdAT : IИKAƆƎƧ : VИIƆ : VKAƧA : VTDƎƆVK : AMAƧA : VTVƆ
VTƎƎT : ƎИV1 : VИIƆ : VTƎƎT : VTIƆƆVK : ƧV1Ǝ : DƎTDƎΘ : ƎMƧV1 : 8VƧƎ
:VTAƎV1ƎƆ : ƧƎИV1 : ƎƎI1AK : VT⅃AMVK : ƧAI8A8VƧ : ƧA⅃KI8 : ƧA⅃dΘVDTƧ
:VИVƧƎ : VTΘA8VƧ : ATITAƧ : VMΘIDA1MA : VIИΘMƧDƎ1 : ƧƎTAMVK : ƧƎDKATИA
:VTV8 : ƧИAƧ⅃Ǝ1 : VKAƧA : ⅃ƎTAK : VTV8 : VTITDV1

KCEƧ±DEſIEΛƧUPEƧCEƧΛCΛEPIƧ

Digitized by Google

PRE . VERIR . TESEN
FETV . TASES . PE
POST . VERIR . TESEI
SVRVR . NARATV
STRVSLA . ARSVEI
OCRIPER . FISIV . T
TOTAPER . IIOVIN
ERAR . NOMNE . A
PONI . PESNIMV . I
ERER . NOMNEPER
PETVRPVRSVS . FA
ERER . NOMNE . ER
OCRER . FISI . ER . T
TVA . OCRE . FISI .
TOTAPER . IIOVINA
SEMV . VESTICATV
PIRSTV . ENOMEFA
CAPIF . PVRDITA . I
PRE . VERIR . VEHIER .
HERIE . PONI . FETV
TREBLANIR
POST . VERIR . VEHIER
FETV . TASIS . PESN
ERONT . POI . HABII
NERTRV . TENITV .
SVBOCAV . SVBOCO
IOVINE . ERER . NOM
IOVIE . TIOMESV . SC
IOVIE . ORER . OSE . PE
PERSETOVER . PESC
TEFRE . IOVIE . PERS
OCRER . FISIER . TOT
IIOVINE . ERER . NOM
TOTAR . IOVINAR . I
NOMNE . ERAR . NO
NOMNEPER . TEFRE

AL

ESTE . PERSCLO . AVEIS . ASERIATER . ENETV . PARFA .
ESTESO . TREMNV . SERSE . ARSFERT . VRE . EHVELTII
DEICO . MERSTO . PEICA . MERST . A . MERSTA . AVVEI
EF . ASERIO . PARFA . DERSVA . CVRNACO . DERSVA . P
ANGLAF . ESONA . MEHE . TOTE . IIOVEINEESMEI . STA
ASERIATO . EST . ERSE . NEIP . MVGATV . NEP . ARSIR
IVST . SVE . MVIETO . FVST . OTE . PISI . ARSIR . ANDE
VERFALE . PVFE . ARSFERTVR . TREBEIT . OCRER . PEIHA
HONDOMV . PORSEI . NESIMEI . ASA . DEVEIA . EST . AN
EST . EINEANGLVTOSOMO . VAPEFEAVIEHCLV . TODC
TVDER . EINE . TODCEIR . TVDERVS . SEIPODRVHPEI

TVDEROR . TOTCOR . VAPERSVS TOAVIECLIR . EBETRAFI
SMVRSIME . TETTOME . MILETINAR . TERTIAME . PR
VESTISIER . RANDEME . RVFRER . TETTOME . NONI
HONDRA . ESTO . TVDERO . PORSEI . SVBRA . SCREHIT
TVDERO . PEICO . MERSTO . PEICA . MERSTA . SERITV
COMBIFIATV . ARSFERTVRO . NOMNE . CARSITV . PAR
MERSTA . AVEIF . MERSTA . ANCLA . EESONA . TEFE . TO
POPLER . ANFERENER . ET . OCRER . PIHANER . PERCA
PEHANER . PACA . OSTENSENDI . EO . ISO . OSTENDV .
VERISCO . VEHIEIR
PRE . VEREIR . TREBLANEIR . IVVE . GARBOVEI . BVF . TRE
DEIGRABOVI . OCRIPER . FISIV . TOTAPER . IIOVINA .
TOTE . IIOVINE . ERER . NOMNE . ERAR . NOMNE . ARI
SVBOCO . DEI . GRABOVE . DI . GRABOVIE . TIO . ESVBV
ERAR . NOMNEPER . DEI . GRABOVIE . ORER . OSE . PER
SVBATOR . SENT . PVSEI . NEIP . ERITV . DEI . CRABOVIE
EROSETOMEST . DAETOMEST . TVER . PERSCLER . VII
PERACREI . PIHACLV . PIHAFEI . DI . GRABOVIE . PIHA
FISIER . TOTAR . IOVINAR . NOME . NERF . ARSMO . VEII
TOTE . IIOVINE . ERIR . NOMNE . ERAR . NOMNE . DI .
GRABOVIE . SALVO . SERITV . OCRER . EISIER . TOTAR .
SERITV . FVTV . EOS . PACER . PASE . TVA . OCRE . FISI .
PERACRI . PIHACLV . OCREPER . FISIV . TOTAPER . IIOV
DI . GRABOVIE . TIOESV . BVE . PERACRI . PIHACLVETVR .
CRABOVIE . ORER . OSE . PERSEI . OCRE . FISIE . PIR . OR
HEREITV . DI . CRABOVIE . PERSI . TVER . PERSCLER . V
PERSCLER . VIRSETO . AVIRSETO . VAS . EST . DI GRABO
PIHATV . OCRE . FISI . PIHATV . TOTA . IOVINA . DI . GR
PECLVOC . ASTRVO . FR . I . PIHATV . FVTV . FOS . PACE
GRABOVIE . SALVO . SERITV . OCREFISIM . SALVA . SERI
IIOVINAR . NOME . NERF . ARSMO . VIRO . PECLVO . CAS
IIOVINE . ERER . NOMNE . ERAR . NOMNE . DI . GRABOV
NOMNEPER . ERAR . NOMNEPER . DI . GRABOVIE . TIOM
DI . GRABOVIE . TIOMESVBVE . PERARCI . PIHACLV . T . ER
GRABOVIEORER . OSE . PIRSEOCREM . FISIEMPIR . ORT
HERITV . DI GRABOVIE . PERSETVER . PESCLER . VASE
PESCLER . VIRSETO . AVIRSETO . VASEST . DI . GRABOV
PIHATV . OCREM . FISIM . PIHATV . TOTAM . IIOVINA
VIRO . PECL . VO . CASTRVO . FRI . PIHATV FVTV . FO
GRABOVIE . SALVO . SERITV . OCREM . FISIM . SALVAM
TOTAR . IIOVINAR . NOME . NERF . ARSMO . VIRO . PEC

CVRNASE . DERSVA . PEICV . PEICA . MERSTV . POEI . ANGLA . ASERIATO
V . STIPL . OASERIAIA . PARFA . DERSVA . CVRNACO . DERSVA
I . MERST . A . ANGLA . ESONA . ARFERTVR . ESOANSTIPLATV .
RICO . MERSTO . PEICA . MERSTA . MERSTA . AVEIF . MERSTAF
AHMEI . STAHMEITEI . SERSI . PIRSI . SESVSTPOIANGLA
. ANDERSISTV . NERSA . COVRTVST . PORSI . ANGLA . ANSERIATO
ESESVSPDISLERALINSVST
.NER . ERSE . STAHMITO ESOT VDERATOESTANGLVTO
GL . OME . SOMO . PORSEI . NESIMEI . VAPERSVS . AVIEHCLEIR
OMETVDER . ANGLVTO . HONDVMV . ASAME . DEVEIATODCOME
. SERITV

E . OOSERCLOME . PRESOLIAFR . NVRPIER . VASIRSLOME
ACOPRACATARVM VAPERSVSTO . AVIECLIR . CARSOME
IR . TETTOMESALIER . CARSOME . HOIER . PERTOME . PADELLAR
OR SENT . PARFA . DERSVA . CVRNACO . DERSVA . SERITV . SVBRA . ESTO
. SVE . ANCLAR . PROCANVRENT . ESO . TREMNV . SERSE
FA . DERSVA . CVENACO . DERSVA . PEICO . MERSTO . PEICA . MEERSTA
TE . IIOVINE . ESMEI . STAHMEI . STAHMITEI . ESISCO . ESONEIR . SEVEIR
. ARSMATIA . HABITV . VASOR . VERISCO . TREBLANIR . PORSI . OCRER
PVSI . PIR . PVRETO . CEHEFI . DIASVRVR . VERISCO . TESONOCIR . SVRVR

IF . FETV . ESO . NARATV . VESTEIS . TEIO . SVBOCAV . SVBOCO
FRER . NOMNIPER . ERAR . NOMNIPER . FOSSEI . PACERSEI . OCRE . FISEI
SIE . TIO . SVEOCAV . SVBOCO . DEI . GRABOVE . ARSIER . FRITE . TIO . SVEOCAV
E . PERACRFIPIHACLVO . CREPER . FISIV . TOTAPER . IOVINA . IRER . NOMNEPER
SEI . OCREFISIE . PIR . ORTO . EST . TOTEME . IOVINE . ARSMOR . DERSECOR
. PERSEI . TVER . PERSCLER . VASETO . EST . PESETOMEST . PERETOMEST
RSETO . AVIRSETO . VAS . EST . DI . GRABO . VIE . PERSEI . MERSEI . ESV . EVE
TV . OCRE . FISIEI . PIHATV . TOTA . IOVINA . DI . GRABOVIE . PIHATV . OCRER
ROPECLVO . CASTRVO . FRI . PIHATV . FVTV . FOS . PACER . PASR . TVA . OCREFISI
GRABOVIE . SALVO . SERITV . OCRE . FISI . SALVA . CERITV . TOTA . IIOVINA . DI
IIOVINAR . NOME . NERF . ARSMO . VEIRO . PECVO . CASTRVO . ERI . SALVA
. TOTE . IOVINE . ERER . NOMNE . ERAR . NOMNE . DI . GRABOVIE . TIOESV . BVE
INA . ERER . NOMNEPER . ERAR . NOMNEPER . DI . GRABOVIE . TIOSVBOCAV
OCREPER . FISIV . TOTAPER . IOVINA . ERER . NOMNEPER . ERAR . NOMNEPER . DI
TOEST . TOTE . IOVINE . ARSMOR . DERSECOR . SVBATOR . SENT . PVSEI . NEIP
ASETOM . EST . PESETOMEST . PERETOMEST . FROSETOMEST . DAETOMEST . TVER
VIE . PERSI . MERSI . ESV . BVE . PERACRI . PIHACLV . ETRV . PIHAFI . DI . GRABOVIE
RABOVIE . PIHATV . OCRER . FISIER . TOTAR . IIOVINAR . NOME . NERF . ARSMO . VEIRO
R . PASETVA . OCRE . FISIE . TOTE . IIOVINE . ERER . NOMNE . ERAR . NOMNE . DI
TV . TOTAM . IIOVINA . DI . GRABOVIE . SALVVOM . SERITV . OCRER . FISIER . TOTAR
TRVOFRIF . SALVVA . SERITV . FVTV . FONS . PACER . PASE . TVVA . OCRE . FISI . TOTE
IE . TIOMESSVBVE . PERACRI . PIHACLV . ETRV . OCRIPER . FISSIV . TOTAPER . IOVINA . ERER
I . SVBOCAV
TIV . OCRIPER . FISIV . TOTAPER . IIOVINA . ERER . NOMNEPER . ERAR . NOMNEPER . DI
OM . EST . TOTEME . IOVINEM . ARSMOR . DEESECOR . SVBATORSENT . PVSI . NEIP
TOMEST . PESETOM . EST . PERETOM . EST . FROSETOM . EST . DAETOM . EST . TVFR
VIE . PIRSI . MERSI . ESV . BVE . PERACRI . PIHACLVTERTIV . PIHAFI . DI . GRABOVIE
A . DI . GRABOVIE . P.HATV . OCRER . FISIER . TOTAR . IIOVINAR . NOME . NERFASMO
NS . PACER . PASE . TVA . OCRE . FISITOTE . IIOVINE . ERER . NOMNE . ERAR . NOMNE . DI
I . SERITV . TOTAM . IIOVINAM . DI . GRABOVIE . SALVOM . SERITV . OCRER . FISIER
L . VO . CASTRVO . FRIF . SALVA . SERITV . FVTV . FONS . PACER . PASE . TVA . OCREFISI

SVRVRONT . PESNIMVMO . SV
BENVSO
FONDLIRE . ABROF . TRIF . FETV
HOVINA . VATVO . FERINE . F
SVRONT . NARATV . PVSE . V
RVBINE . PORCA . TRIF . ROFA . (
IOVINA . PERSAIA . FETV . PO
PROSESETIR . STRVSLA . FICL.
SERFER . MARTIER . POPLVPEF
SERFIA . SERFER . MARTIER . T
ERAR . NOMNEPER . PRESTOT
TVRSCE . NAHARCE . IABVSCE
NERVS . SITIR . ANSIHITIR . IC
PACER . PASE . TVA . POPLE .
HOSTATIR . ANOSTATIR . PR
TOTAM . HOVINAM . PRESTO
NOME . NERF . ARSMO . VIRO .
TOTE . HOVINE . ERER . NOM
TOTAR . HOVINAR . TOTAPEI
SVBOCAVV . PRESTOTAR . SEI
PRESTOTA . SERFIA . SERFER
HOVINA . ERER . NOMNEPER .
SERFIAR . SERFER . MARTIER .
PERSCLV . VESTICATV . PRES
ALFIR . PERSNIMV . SVPERNE
ESIR . VESCLIR . ALFIR . POPLV
SERFIA . SERFER . MARTIER . A
TOTAR . HOVINAR . NERVS . I
SERFER . MARTIER . SALVOM .
MARTIER . SALVOM . SERITV .
SALVA . SERITV . FVTV . FONS
SERFIA . SERFER . MARTIER . T
NOMNEPER . PRESTOTA . SER
SABOCAVV . ENNOM . PERSC
POPLVPER . TOTAR . HOVINA
SVBOCAVV . PRESTOTAR . SEI
VESTISA . ET . MEFA . SPEFA .
NARATV . PVSE . POST . VERI
SVBRA . SPAHAMV . TRAF . SA
SACRA . AITV

PISI . PANVPEIFRATREXS . FRATRVSATIERSII
ATIERSIO . DESENDVF . PIFI . REPER . FRA
APPEI . ARFERTVR . ATIERSIR . POPLOM .
FRATRECIMOTAR . SINS. A . CCC

R. IVSTEREC. SVESO. FRATRECATE. PORTAIA. SEVACNE. FRATROM
TRECA. PARSEST. EROM. EHIATO. PONNE. IVENGAR. TVRSIANDV. HERTEI
ANDERSAFVST. SVE. NEIP. PORTVST. ISSOC. PVSEI. SVBRA. SCREHTO. EST

Magmenta. Arnob. libr. 7. farcimen ex pulmonibus.

Augmina. Arnob. libr. 7. quod quid ſit, quæratur, & forte Etruſcum non eſt, nec pleraque ex his alia. Viderint eruditi, mihi aqua hæret.

Sunt quædam etiam voces, quas ſine ullo auctore Tuſcas eſſe comminiſcitur Annius Viterbienſis, quæ etiam a me hic ponentur, non quod aliquam illis auctoritatem tribui velim, ſed ut ineruditi hominis ſtulta & nihil profutura diligentia vilipendatur.

Botigos. Padua. Apud quem? Anni illiteratiſſime. Plinius quidem libr. 3. cap. 16. ait *Bodincus* Gallicam eſſe vocem, & ſignificare *Padum*. Ita tibi urbs fluvius eſt, & Galli Etruſci.

Picena. Ancona. Non pudet analphabetum hunc inſcitiæ ſuæ? cum tota regio *Picenum* dicatur, ſitque non adeo vetuſtum nomen, & *a pica, quæ cum ejus regionis habitatores a Sabinis illuc properarent, in eorum vexillo conſedit, atque hac de cauſa Picenus nomen accepit;* ut ait Paulus Varnefridus libr. 2. de Geſt. Longobardor. cap. 19. Ecce nomen nec vetuſtum, & Latinæ originis. Vade impudens, & tui ſimiles falle.

Larinum. metropolis. Anni, quid audes ſine auctore Larinum nobis obtrudere?

Laro. princeps. quia ab aliquo docto percipere potuiſſes, Reges Etruſcos *Larthes* olim dictos, inde cacoëthes tibi portentoſa fingendi.

Sagi. expiatores Ubi loci? (1)

Certum ſane ex his, lingua propria, nec Romanis intellecta uſos Tuſcos: ipſique etiam Romani ſæpe ſermonem patrium mutaverunt, ſumptiſque aliunde dictionibus ditaverunt; quod a Grammaticis vetuſtis notatum prætereo, contentus unico Q. Horatii loco in Arte Poëtica:

> .... *ego cur acquirere pauca*
> *Si poſſum, invideor? cum lingua Catonis, & Enni*
> *Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum*
> *Nomina protulerit?*

Feſt. libr. 10. in voce *Latine* conſulatur, egregia enim habet.

(1) His addi poſſunt quædam vocabula Tyrrhenorum, ſeu Tuſcorum, quæ ex Heſychio affert Bochartus. Ἀγαλλήτορα, Puer. Δέα, Dea, Rhea. Αὐκήλως, Aurora. Ἄνταρ, Aquila. Ἄρακος, accipiter. Γνίς, Grus. Γάπος, Vehiculum. Βυῤῥός, cantharus, poculi genus. Ἄταισον, viris arbuſtiva, ex aliis auctoribus. Ἴταλος Taurus Apoll. libr. 2 Tzetz. ad Lycophron & Chil. Ποπλώνιον, ferrum aut aes ex Ilua, Ariſtotel. Mirab. Νάνος, hoc eſt πλανήτης, Ulyxis nomen apud Tyrrhenos. Tzetzes in Lycophron. *Camillus*, Mercurius, Servius, Macrobius.

Etruſco ſermone uſi quatuor populi, & ob id quadruplex ejus dialectus, Oſca, Rhetica, Umbrica, & Phaliſca.

CAP. XXI.

Etruſcam hanc linguam in varias diviſam ſpecies, pro ratione populorum huic regno ſubjectorum, jam expediam. Ac primum *Oſcam linguam* hujus eſſe dialectum, primus, quod ſciam, obſervo. Feſt. libr. 13. *Eodem etiam nomine* (Oſcum) *appellatur locus in agro Vejenti, quo frui ſoliti produntur augures Romani*. Ita ille; unde liquido conſtat, eoſdem eſſe & Vejentes, & Oſcos, qui prius Opſci dicebantur. Verrius Flaccus Ennio teſte:

. . . . de muris rem gerit Opſcus.

Antiquiſſimum fuiſſe populum, & ſuo ævo jam deletum, ſuperſtite tamen ſermone, tradit Strabo libr. 5. pag. 161. Ἴδιον δέ τι τοῖς Ὄσκοις, καὶ τῷ τῶν Αὐσονίων ἔθνει συμβέβηκε, τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις. *Peculiare quiddam Oſcis & Auſonibus uſu venit; nam cum Oſcorum gens interierit, ſermo eorum apud Romanos reſtat* Diſerte dixit, linguam ſupereſſe; an eandem cum Latina? an diverſam? diverſam ſane, & ad fabulas quaſdam ſcænicas accomodatam docet ibidem Strabo, & ego, ubi de ludis, repeto: & manifeſte evincit Titinnii vetùſtiſſimi Poëtæ verſus fab. 5.

Qui Oſce, & Volſce fabulantur, nam
Latine neſciunt.

Ex hac etiam quædam vocabula adſcribam, fidem factura, quantum a Latino ſermone hic diſtaret.

Caſnar, Senex, Oſcorum lingua. Feſtus.

Dalivus, Inſanus. Santra apud Feſtum libr. 4. ita gloſſæ veteres Latino-Græcæ, *Davum* ἄφρονα, & item *Davus* ἄφρων, ἄπειρος.

Famel, Servus. libr. 6. *Famuli origo ab Oſcis dependet, apud quos famel ſervus nominabatur, unde & familia vocata.*

Mamers, Mars. Feſt. libr. 11.

Meddix, Magiſtratus. Feſt. libr. 11. Q. Ennius.

Summus ibi capitur Meddix, occiditur alter.

Mamercus, prænomen. Feſt. libr. 11. ex Alfio Hiſtorico.

Multa, pœna. Feſt. libr. 11. ex M. Varrone libr. 1. Epiſtolicar. quæſtion. Vide L. 131. ff. Verbor. ſignificat.

Medixtuticbus, Campanus Magiſtratus. T. Liv. 3. Decad. libr. 4. & alii. In quibuſdam editionibus babetur *Mediaſtuticus*.

Mæſius, Menſis Majus. Feſt. libr. 11.

Pe-

Petora, quatuor. Feſt. libr. 14. & abbreviator ipſius, aut verius detruncator Paulus. Inde *Petoritum*, currus quatuor rotarum. Helenius Acron ad Horat. libr. 2 Epiſt. 1. ait *vehiculum eſſe famularum captivarum*; at Porphyrio: *Vehiculum, quo vehitur familia Regum*. Idem ad Sat. 6. libr. 1. *vulgo carrum dicitur*. Acron ibidem: *Alii carpenta, nonnulli intelligunt carrucas*. Metellus Tegeerſenſis Monachus in Quirinalibus.

Ibant in theatrum data
Auro largiflui munera Cæſaris:
Carrucas ibi gemmeas
Thraces regis equi abripiunt feri.

Errat itaque A. Gellius, qui Valerio Probo ſcribente ditionem eſſe Græcam, ipſe ex Varrone libr. 14. Rer. Divinar. voluit eſſe Gallicæ originis libr. 15. cap. 30. cum ſit Oſca vox, ut jam dictum eſt. Ibidem apud Gellium vitioſe ſcriptum *petorritum*, nam *petoritum*, ſive *petorium* dici debet. Horat. libr. 2. Epiſt.

Eſſeda feſtinant, pilenta, petorita, naves

Et libr. 1. Sat. 6.

. . . . . *ducenda petorita* . . . . .

D. Auſon. Epiſt. 1.

Cornipedes rapiant impoſita petorita mulæ.

Et Epiſt. 14.

. . . . . *male nota petorita vites*.

Pipatio, clamor plorantis. Feſt. libr. 14.

Pitpit, quicquid. Feſt. libr. 14.

Sollum, Solidum, totum. Feſt. libr. 17. C. Lucilius Satyr.

Suaſa quoque omnino dirimit non ſolla dupondi

Sollicuria, in omni re curioſa, ita enim Feſt. libr. 17. legendus; male, *in omni re curiora*.

Solliferreum, teli genus, totum ferreum. Livius apud Feſtum eod. libr. A. Gell. libr. 10. cap. 25.

Sollers, in omni re prudens. Feſt. libr. 17.

Sollemne, quod omnibus annis præſtari debet. Feſt. libr. 17.

Supparus, veli genus. Varro libr. 4. Ling. Lat.

Veja, plauſtrum. Feſt. libr. 19.

Ungulus, annulus. Feſt. libr. 19.

Utebantur hac lingua tota Campania, Brutia, Salentini. Feſt. libr. 2. in voce *bilingues*. Porphyrio ad illud Horatii:

. . . . . *Canuſini more bilinguis*.

Eratque lingua Latina ex aliis mixta. Plut. Romulo, & in Numa pag. 64. & in Marcello. pag. 302.

Etruſcæ linguæ ſecunda ſpecies eſt Rhetica, de qua nihil. Vide Paulum Merulam. Rhetos enim eſſe Tuſcorum prolem, abundantiſſime habes ſupra hoc libro cap. 9.

Ter-

Tertia ſpecies eſt *Umbrica*. cujus vox eſt *Strebula*. Hoſtiarum coxendices. Plautus in Frivolaria, quæ periit. Feſt. libr 17.

Denique dialectus ultima eſt *Faliſca*, quæ, uti infra dicetur, a gente potentiſſima nōmen habet. Ex ea quoque vocabula nonnulla hæc ſunt.

Triatrus, tertium Iduum. Feſt. libr. 18.

Sexatrus, Sextum Iduum. Feſt. libr. 17.

Septenatrus, Septimum Iduum. Feſt. libr. 17.

Decimatrus, poſt diem decimum Iduum. Feſt. libr. 4.

Strupparia, dies feſtus. Ateii Philologi verba ſunt: *Strupus eſt, quod Græce* ςρόφιον *vocatur, & quod Sacerdotes pro inſigni habent in capite. Quidam coronam eſſe dicunt, aut quod pro corona inſigne in caput imponatur, quale ſit ſtrophium; itaque apud Faliſcos diem feſtum eſſe, qui vocatur Struppearia, quia coronati ambulent*. Hæc lingua per Romanos ſublata, Latina inducta, ut ex Poëtæ incerti verbis liquet, quæ vide hoc libr. cap. 1.

Quæ decus antiquæ longo poſt tempore linguæ
Auxilii male grata mei, male grata laborum
Abſtulit.

Ac de lingua quidem, & literis Etruſcis, quod diverſæ fuerint a Romana, probant, præter ea, quæ ſuperiori capite ſunt dicta, loca hæc T. Livii 1. Decad. libr. 1. in rebus Tulli: *Tullus &c. redire in prælium jubet: nihil trepidatione opus eſſe: ſuo juſſu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadat. Idem imperat, ut haſtas equites erigere jubeat: id factum magnæ parti peditum Romanorum conſpectum abeuntis Albani exercitus interſepſit: qui viderant id, quod a Rege auditum erat, rati, eo acrius pugnant: terror ad hoſtes tranſit; & audiverant clara voce dictum, & magna pars Fidenatium, ut qui coloni additi Romanis eſſent, Latine ſciebant*. Ecce Etruſcos Fidenates narrat, pleroſque ſaltem, Latine ſcire, argumento claro non omnes. Et ſane docebantur Romani literas haſce Etruſcas, non minus, quam nunc Græcam Latinamque linguas in omnibus Europæ provinciis pueri diſcimus. Doceo ex eodem T. Livio 1. Decad. libr. 9. *Tum ex iis, qui aderant, Conſulis frater, M. Fabium, Cæſonem alii, C. Claudium quidam, matre eadem qua Coſ. genitum tradunt, ſpeculatum ſe iturum eſt profeſſus, brevique omnia certa allaturum. Cære educatus apud hoſpites, Etruſcis inde literis eruditus erat, linguamque Etruſcam probe noverat. Habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita tunc Etruſcis literis erudiri ſolitos. Sed propius eſt vero, præcipuum aliquid fuiſſe in eo, qui ſe tam audaci ſimulatione hoſtibus immiſcuerit. Servus ei dicitur unus comes fuiſſe, nutritus una, eoque haud ignarus linguæ ejusdem. Nec quicquam aliud proficiſcentes, quam ſummatim regionis, quæ intranda erat, naturam, ac nomina principum in populis excepere, ne qua inter colloquia inſigni nota hæſitantes, deprehendi poſſent. Iere paſtorali habitu, agreſtibus telis, falcibus geſiſque binis armati. Sed neque*

com-

commercium linguæ, nec veſtis armorumque babitus ſic eos texit. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 3. pag. 184. Καὶ παιδεύσας ἀμφοτέρως Ἑλληνικήν τε καὶ Τυῤῥηνικὴν παιδείαν. *Utrumque inſtituit Græcis, atque Etruſcis diſciplinis*. Ugolin. Verinus libr. 3. Illuſtrat. Urbis Florentiæ, pag. 35.

Elſa fuit multis, ut Gbinis, Ponnia ſedes,
Ponnia Tuſcorum ſtatio celeberrima quondam,
Marmora Tyrrbenis teſtantur ſculpta figuris,
Quæ nunc agricolæ poſuere ſedilia prælis,
Obruta ruderibus teſtudo incluſa tegebat,
Temporibus noſtris recluſa, & cognita nullis
Litera, quippe notis ſculptor ſignarat Etruſcis.
Hæc lingua antiqua, & populi periere vetuſti.

Plurimi eſt teſtimonium Plutarchi in Problemat. Romanis pag. 269. quem conſule, nam mihi non eſt ad manum. Errat Iſidorus libr. 9. Etymologiar. cap. 1. qui priſcam linguam Latinam eam vult fuiſſe, *qua uſi ſub Saturno, & Jano, Latinam vero eam ait eſſe, quam ſub Latino, & regibus Tuſciæ loquebantur, ex qua fuerunt duodecim tabulæ ſcriptæ*. Quaſi vero eadem fuerit lingua, qua Reges Etruriæ, ac Romani uterentur, aut quaſi Etruſco idiomate duodecim tabulæ ſint ſcriptæ; docent falſiſſima eſſe illa, quæ & ſuperiori capite, & iſto a me ſunt dicta; neque eget veritas ampliori probatione; ſed in aliis plerîſque ſolemne ei ſcriptori, quamquam ſancto, & in diſciplinis diligenti, circa res has errare: quod non tam illi, quam barbaro, quo vivebat, ſeculo imputandum.

Etruſcorum politia vetuſtiſſima, ac primum ſingularis eorum peregrinos affectus proſequentium.

CAP. XXII.

HEraclides Ponticus, gravis & antiquus Scriptor, Ariſtotelis condiſcipulus, Platonis auditor, Etruſcæ Politiæ quatuor omnino capita recenſet aureo illo libro de Politiis, ac primum καὶ τοὺς καταλύοντας ξένους φιλοῦσιν. *peregrinos ad ſe divertentes quovis officio proſequuntur*. Confirmatque Athenæus libr. 3. pag. 123., cujus verba, quia mihi non ad manum, tu conſule: & libr. 10. pag. 700. Quod præclariſſimum humanitatis argumentum non tam veteres illi Etruſci obſervabant, quam hodierni ſtudioſe colunt: a quibus divitibus peregrinis honor, quantus nullibi terrarum, defertur: pauperibus large commeatus ſuppeditatur, ut jure mihi dicturus videar, ſine ullius aſſentationis ſuſpicione, in ſola Etruria expedire advenam eſſe. Et ſane, ſive aula modeſta illa, & ſuo domino ſimil-

ſimillima, ſpectetur, Palatini hic plerique alienigenæ: ſive præſidia, regnique munimenta intuearis, primos pilos exteri gerunt: ſive latgiſſimis impenſis, & ſingulari liberalitate Muſarum adyta, Academiasque luſtres, hic Galli, Hiſpani, Allobroges, Græci, Scoti primarias tenent, Italis permixti, cathedras, ſine ulla æmulatione, niſi quæ a virtute proficiſcatur, & ad Sereniſſimi Domini obſequium, communemque juventutis numeroſæ profectum tendat. Hoc illud eſt, quod audio lubens apud L. Apulejum libr. 1. Apologiæ: *Non ubi prognatus, ſed uti moratus quiſque ſit ſpectandum: nec qua regione, ſed qua ratione vitam inierit, conſiderandum eſt: olitori & cauponi merito eſt conceſſum, olus & vinum ex nobilitate ſoli commendare, vinum Thaſium, olus Phliaſium, quippe illa terra alumna multum ad meliorem ſaporem juverit, & regio fecunda, & cœlum pluvium, & ventus clemens, & ſol apricus, & ſolum ſuccidum; enimvero animo hominis extrinſecus in hoſpitium corporis immigranti, quid ex illis addi vel minui ad virtutem vel malitiam poteſt? quando non in omnibus gentibus varia ingenia provenere?* Unde aurea illa commendatio apud Claudianum libr. 2. de laudib. Stilicon.

. . . . , *non obruta virtus*
Paupertate latet, lectos ex omnibus oris
Evehis, & nunquam meriti cunabula quæris,
Et qualis, non unde ſatus, ſub teſte benigno
Vivitur, egregios invitant præmia mores.
Hinc priſcæ redeunt artes. felicibus inde
Ingeniis aperitur iter, deſpectaque Muſæ
Colla levant, opibuſque fluens, & pauper, eodem
Nititur ad fructum ſtudio, cum cernat uterque,
Quod nec inops jacet probitas, nec inertia ſurgat
Divitiis.

Hæc exempla atrociter contempſere Athenienſes, qui capitali pœna ſtatuta, peregrinos Megarenſes urbe ſua prohibebant. A. Gell. libr. 6. cap. 10. At illam manſuetudinem ab Etruſcis priſcis Roma ipſa eſt mutuata, quæ peregrinos eodem quo cives modo fovebat, iiſque, ne civium injuriis obnoxii eſſent, ſuum Prætorem conſtituit, cujus habitus rationem pete ab Aurelio Caſſiodoro libt. 2. Variar. Epiſt. 1. & Q. Symmach. libr. 2. Epiſt. 7. Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 388. & Carm. 5. in limine. Dixi ad illud Claudiani de Conſul. Olybrii, & Probini.

Audacem retegit mammam. . . . .

Cotippus Africanus libr. 1. de laudib. Juſt. Minor. Num. 15.

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exerto & nudam geſtantem pectore mammam.

Etru-

Etruſcorum Politia artes plurimas exercere: & artifices ipſius Etruriæ Regis domeſtici.

CAP. XXIII.

HOc etiam caput in Politia Tyrrhenorum ponitur ab Heraclide Pontico. Ὅτι, Τυῤῥηνοὶ, τέχνας ἔχουσι πλείστας. *Iſli Tuſci plurimas habent artes, ſive exercent.* Eadem hæc tranſcripta ſunt a Julio Polluce, Hadriano Turnebo, & Cælio Rhodigino: & liber tertius hujus Operis omnes artium radices & ſemina, ab Etruſcis ad Romanos derivata, clare docet. Sive enim Religionis habeatur cura: aut Regni ornandi, adminiſtrandique ratio ſpectetur: ſeu bellica, ſeu ruſtica, ſeu navalis dignitas occurrat; quicquid in iis magnificum aut glorioſum, id totum Etruſcis debetur; ſed non attingo ibi ex profeſſo dicenda. Hoc tantum addo, artifices fuiſſe in ipſius Regis comitatu, & domo. T. Liv. 1. Decad. libr. 5. in principio. *Offendit ea res populorum Etruriæ animos, non majore odio Regni, quam ipſius Regis: gravis jam is antea genti fuerat, opibus ſuperbiaque, quia ſolemnia ludorum, quæ intermitti nefas eſt, violenter diremiſſet; cum ob iram repulſæ, quod ſuffragio duodecim populorum alius ſacerdos ei prælatus eſſet, artifices, quorum magna pars ipſius ſervi erant, ex medio ludicro repente abduxit.* Nec plura addo.

Etruſcorum Politia in conviviis, ſub eadem veſte cum uxoribus recumbere.

CAP. XXIV.

PErgit porro Eraclides Ponticus libr. de Politiis. Πάντες δὲ Τυῤῥηνοὶ ὑπὸ τῷ ἀυτῷ ἱματίῳ μετὰ τῶν γυναικῶν κατάκεινται, κἂν παρῶσι τίνες: *Omnes ſub eadem veſte cum uxoribus concumbunt, quicumque tandem adſint*. Præclarum mehercule inſtitutum, quo & humanitas exhibebatur, & æqualitas, optimum ſocietatis vinculum, conſervabatur: quam vel præcipuam Reipublicæ Spartanæ normam loquitur Plutarchus in Lycurgo, & multis allatis probat Nicolaus Cragius libr. 3. de Rep. Lacedæm. Politiam hanc Græci averſati, qui uxores non patiebantur conviviis intereſſe. Æmil. Probus, ſeu Cornelius Nepos in præfatione Vitar. Excell. Viror. Unde illud P. Terentii Eunucho Act. 4. Sc. 1..

. . . . . heus, inquit, puer Pamphilam
Accerſe, ut delectet hic nos. illa exclamat: minime gentium,
In convivium illam?

At Romani magno ſtudio hoc ab Etruſcis acceptum colebant, ut & eidem menſæ uxores ſuas adhiberent; & ſub eodem cum iis ſtragulo accumberent. Cicero Orat. 2. Catilinar. *In convivio accubantes, complexi mulieres impudicas*. L. Apul. libr. 6. Mileſiar. in epulis nuptialibus Cupidinis & Pſyches. P. Scipio Africanus apud A. Gellium libr. 7. cap. 12. C. Sueton. Calig. cap. 25. Videantur. & Poëtæ. P. Ovid. libr. 1. Eleg. 4. & libr. 2. Amor. Eleg. 18. Et libr. 3. Amor. Eleg. 2. Et Epiſt. Paridis Helenæ:

Pœnitet hoſpitii, cum me ſpectante, lacertos
Imponit collo ruſticus ille tuo.
Rumpor, & invideo; quid nunc tamen omnia narrem?
Membra ſuperjecta cum tua veſte fovet.

Ecce enim veſtem uxori Menelaum ſuperinjeciſſe ait, quid apertius? niſi forte ille, ut frequens eſt & ſolenne Poëtis, Tuſcam & Romanam ad Græcos male traduxerit. D. Juvenal. Satyr. 2.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter, ingens
Cœna, ſed in gremio jacuit nova nupta mariti.

Qui plura cupis de ritu accumbendi, adi Antiquit. Rom. libr. 5. cap. 26.

Etruſcorum Politia debitores, qui verſuram feciſſent, probo afficere, geſtareque pone eos vacuam crumenam.

CAP. XXV.

ULtimum hoc ab Heraclide Pontico libr. laudato de Politia Tuſcorum refertur: Ὅταν δὲ τις ὀφείλων χρέος μὴ ἀποδιδῷ, παρακολουθοῦσιν οἱ παῖδες ἔχοντες κενὸν θυλάκιον ἐς δυσωπίαν. *Si quis debito obnoxius, ſolvendo non ſit, inſequuntur eum pueri, vacuum geſtantes marſupium in ejus contumeliam*. Debitores itaque, qui teſte Cicerone *nomina* dicebantur, conſentiente Pomponio J. C. ſcribebantur ſtudioſe à rationariis in calendario, quia ſcilicet fœnus, quod Calendis contraxerant, Idibus ſolvebant. Helen Acro, & Porphyrio ad Q. Horatii Epod. od. 2. in fine. Errat Cruquius, qui optimi Grammatici verba corrumpit. Q. Flor. Tertullian. libr. de habitu muliebri in fine. L. Sen. libr. 1. Benefic. cap. 2. & Epiſt. 13. & Epiſt. 88. Et in libr. de Remed. Fortuitor. Horat. libr. 1. Sat. 3. & Satyr. 6. Martial. libr. 8. Epigr. 44. Ovid. libr. 2. de Remedio Amoris.

Qui Puteal, Janumque timet, celereſque Calendas.

Ita & illud Corippi Africani interpretor libr. 2. de laudib. Juſt. Minor. num. 10.

. . . . innumeræ mox advenere catervæ
Fortia cementis portantes brachia libris.

Sed & meminit calendarii vetus lapis Beneventanus. (1)

C. OCTAVIO. C. F
PAL. MODESTO
AUGUR. II. VIR. I. D. QUAEST. II.
PRAEF. FABR. DOMAE. PRAEF
COH. II. PANNONIOR. PRAEF
COH. III. ITYREOS. TRIB. MIL
LEG. III. SCYTHIC. CURAT. REI
P. AECANORUM. ITEM. HONORA
TO. AD. CURAM. KALENDARI
REIP. CANUSINOR. A DIVO. TRA
JANO. PARTHICO. ET. AB. IMP. HA
DRIANO. AUG. HIC. OPUS. QUA
DRIGAE. CUM. EFFIGIE. IMP. HADRI

(1) Apud Gruter. pag. 444. n. 5.

ANI. AUG. CITRA. ULLIUS. POSTU
LATION. (1) A MUNICIPIBUS
SUIS. OBLATUM. EX. ARGENTI
LIBRIS. DXVII ⫨ LIBRIS ∞. AD
JECTIS. AMPLIUS. VIRITIM. PO
PULO. X. SING. DISTRIBUTIS
DEDICARI. CURAVIT
P. D. D. (2)

Si debitor non potuiſſet, vel potius nollet, die præſtituta, calendario huic nomen ſuum ſolvendo eximere, apud Romanos lege 12. Tab. creditori permiſſum, corpus ejus ſecare, ut diſſerit Favorinus apud A. Gellium libr. 20. cap. 1. Et quia illud valde durum videbatur, corpus pro bonis torqueri; idcirco legis illius Græcanicæ durities poſtea temperata, & tantum *bonis juſſi cedebant*, *zona incidebatur*, *tabernæ ſeu menſæ publicæ*, *quæ in foro plerumque*, *frangebantur*, ut exequitur Petrus Gregorius libr. 22. Syntagmat. Jur. capp. 7. 8. 9. & eleganti volumine *de Creditorum jure*, nuper edito, Adamus Abrenethæus Scotus, vir doctiſſime Græca Latinaque callens, Medicinæ doctor Monſpelienſis, ad quem te lectorem remitto. Hoc tantum addo, marſupia e zonis pendula eſſe olim conſueviſſe, imo nullas alias crumenas, quam zonas. Vetus Scholiaſt. Antholog. libr. 7 Epigr. 12. Ariſtophanes, Antiphanes, Apollodorus apud Julium Pollucem libr. 7. Onomaſt. cap. 33. num 9. & Rudolphus Gualterus *Sacellum* vertit *σακκίον* C. Sueton. Vitell cap. 16. L. Apul. libr. 7. Mileſiar. Tiberius Gracchus referente A. Gellio libr. 15. cap. 12. Ulpian. J. C. l. 6. de bon. damnator. Andr. Alciat. libr. 1. Parerg. cap. 40. M. Plaut. in Mercatore,. Sc. *Divum*. Symonides vetus poeta libr. 7. Antholog. Epigr. 12. Ariſtophanes in Theſmophoriazuſis apud Pollucem libr. 10. cap. 32. Ælianus apud Suidam in voce *τιμωρῆντος*. Hæc zona non lumbos cingebat, ſed e collo pendebat. Plaut. Truculento Sc. ult. Et eadem fab. Sc. *Rus mane*.

. . . . . homo crumenam
Sibi de collo detrahit.

Et in Epidico Sc. *Feciſti*.

. . . in meo collo tuus pater crumenam collocavit.

Et in Aſinaria Sc. *Cur me*

. . . hic iſtam colloca crumenam in collo plane.

Etru-

(1) Sic legitur in libro, manu ipſius Dempſt. ſcripto; verum Gruterus habet: CVM A. MVNICIPIBVS ſed Gronovius libr. primo de Pecun. Vet cap. 7. τὸ CVM delendum putat.
(2) De Curatore Kalendarii Vid. Reines Claſſ. I. n. 24. & Claſſ. VI. n. 112., & Claſſ. XIV. n. 166. & Noris Cœnotaph Piſan.

Etruria mater multarum aliarum gentium, Volſcorum, Campanorum, Oſcorum, Opicum, Frontonorum, Marrucinorum, Picenorum, Rhetorum, Euganeorum, aliorumque.

CAP. XXVI.

GEntem hanc & potentiſſimam & antiquiſſimam fuiſſe, ſi ea minus probant, quæ diximus, at hoc certe evincet, tot nobiliſſimos populos ortum ſuum ad hanc referre. Et de Volſcis quidem, quod & originem ſuam ab Etruſcis olim deduxerint, & ſub eorundem poteſtate diu vixerint, diſquiſivi hoc libro ſuperius cap. 9.

2. De Campanis, præter ea, quæ ibidem loci ſunt dicta, Fanuſius Campanus MS. libr. 2. de Illuſtrib. Ital. Famil. cap. 4. *Campani populi ſunt priſci, & nobilitate immenſa inſigniti, qui ab Etruſcis deſcenderunt, a Capy eorum duce: horum municipium eſt Capua*. Vere & erudite, ut multa alia.

3. Sequitur de Oſcis apud eundem: *Oſci priſci populi ab Etruſcis originem ducunt, quorum municipium fuit Pometica civitas*. Vide ea, quæ de Oſcorum lingua, quæ Etruſcæ dialectus eſt, a me ſunt expoſita hoc ipſo libro ſupra cap. 21.

4. De Opicis hæc apud eundem Scriptorem habentur: *Opici populi antiquiſſimi, ab Etruſcis ſumunt originem, & dicti ab Opico eorum duce, de quibus Polybius & Strabo*. Hinc apparet, quanta hujus antiqui Scriptoris fuerit, vel ſedulitas, vel ſollicitudo, ad ornandam Italiam, maximeque Etruriam.

5. Frontonos ab eadem origine idem deducit, his verbis: *Frontoni ducunt originem a Liburnis, Dalmatis, & Etruſcis: & Larinus civitas fuit eorum municipium. Strabo, Plinius, Appianus Alexandrinus, Livius, Caſar, & Silius Italicus*.

6. Marruccinorum mater eadem Etruria, ſic enim Fanucius: *Marrucini ab Etruſcis trahunt originem, & horum principale municipium fuit Atria civitas*.

7. Nec Picenos omittit, ſed & Tuſcorum eos facit coloniam; ſic enim eodem libro cap. 7. *Piceni populi ſunt nobiliſſimi & antiquiſſimi, & ducunt originem ab Etruſcis, & dicti a Piceno eorum rege, qui pro armis & inſignibus ſuis aſinum aureum in campo cyaneo deferebat*, ut narrat Joannes Caram. libr. 6. de Antiquitatibus Orbis. Horum municipium fuit Picenum civitas, ubi primum ſedem conſtituit. Strabo, Livius, Plinius, Cornelius Tacitus, & Pomponius Mela.

8 De

8. De Rhætis in Alpibus poſitis libro iſto ſupra cap. 9. & plenius libr. 2. infra cap. ...., ſed & Fanucius MS. *Rhæti populi a Tuſcia ducunt originem, & dicti a Rhæto Lydorum duce*. Sed haud ſcio, an non erret, quum Rhætus fuerit princeps indigena, qui ex Tranſapennina Etruria vi Gallicorum armorum expulſus eſt, ut ibi latius oſtenditur, ut mihi ſit plane improbabile eum Lydium fuiſſe, aut Lydorum ducem; ut omittam diu in Etruria conſediſſe Lydos, deducente Tyrrheno Atyos filio, antequam Galli Senones aut in Italiam irruperint, aut bellum cum Etruſcis geſſerint.

9. De Venetis ipſis, ſive Euganeis idem quoque a Fanucio eſt proditum in hæc verba: *Euganei ſunt populi nobiliſſimi, & magnifici, atque honeſtiſſimi, & ducunt originem ab Etruſcis nobilibus, quorum fuit dux Dardanus Etruſcus, quorum metropolis fuit Verona. Plinius, Lucanus, & Silius.*

Hæc quidem ille non indignus laudari liber in charta recenti manuſcriptus, quæ & auctores, quos ipſe laudat, confirmant, neque ego eos tranſcribendi otium nanciſcor, nec tanti eſt, ut tempore abutar, cum res ſit clara; nihilominus tamen, ut ſatisfiat plene ſuſcepti operis propoſito, confirmabo ſigillatim, quæ ab eo obiter tantum attinguntur.

FINIS LIBRI PRIMI.



Perusiæ In Aedibus Angelettis

AD

PRÆFATIO

AD LIBRUM SECUNDUM.

PRinceps hæc ſuſcepti operis cura, & quaſi ſcopus, ſeriem aliquam (nam continuam ne voto quidem ſperare poteram) bis mille & quingentis annis, quibus jure regio hæc provincia uſa eſt, levi tabella adumbrare: quod ut anxiæ ſum molitus, ita laborioſe aſſequutus mihi videor; nam rara apud Scriptores Latinos Regum Etruſcorum mentio, ut quingentis pæne annis, quibus glorioſe cum Romanis bellarunt, Reges tres tantum nominati reperiantur, ſed ſemper Vejentes, Volaterrani, Fidenates, Cluſini, Faliſci, Lunenſes, Vulſinenſes, Peruſini, Cæretani, Aretini, Fæſulani, Capenates, Piſani, Piſtorienſes, Lucenſes, Ciminii legantur; cum tamen certum ſit, illos populos ſub ſuis Regibus ea ætate, & ditibus & potentibus militaſſe, quod ego malignitati & hoſtili Romanorum in Etruſcos animo, an rerum peregrinarum imperitiæ tribui debeat, ambigo. Accedebat peſtis deterior, nam Joannes Annius & ſequaces ita fabulis, commentiſque portentoſis totum hunc

Re-

Regum ornatum obduxerant, ut non minor labor in eruendis veris Regibus depoſceretur, quam ſollicitudo amentes has affanias eluendi: & utrumque quidem ita præſtiti, ut aliquid mihi gnaviter adlaboranti obveniſſe glorier, quod hactenus eruditos latuit. Et licet illi blenni res præclariſſimas inquinaverint, ut[1] *Exampeus amaritudine dicitur Hypanim fluvium corrumpere; dedi tamen operam, ut & gloria Tuſcis conſtaret, & poſtliminii jure Principes ſuos Etruria reciperet. Et quamquam ſciam, multam eſſe apud Thebanos*[2] *poſitam male pingentibus; tamen ego obſequio excuſationem obtendam, & ſi Reges, parcius quam dignitas majeſtaſve exigebat, tractaſſe ſum viſus,*[3] do quantum maximum poſſum, daturus amplius ſi potuiſſem.

LIBER

(1) Solin. cap. 20. (2) Cl. Ælian. libr. 4. ποικιλ. cap. 4. (3) Plin. libr. 3. Epiſt. ult.



Vas Fic· Ali· P·R·I· in Mus· Medico

LIBER SECUNDUS

Etruſcorum Regum quadruplex ſeries, & varia ſtemmata.

C A P. I.

BIS mille annis & quingentis ſuo jure liberi Etruriæ Reges, bello juxta ac pace ſupra omnes finitimos egregie floruere; neque tamen una Regum aut familia, aut ſtemma deprehenditur, ſed multiplex ut in aliis principatibus evenire ſolet. Sed cum nullus ex profeſſo Scriptor de Etruſcorum rebus egerit, reliquum eſt mihi, ut ex Græcis Latiniſque auctoribus, qui cum Romanorum res exequerentur, coacti ſunt ad Etruſcas nonnunquam deflectere, vel ob loci viciniam, vel negotia communia, vel etiam ab his illis tradita memorantes, quod poſſum, in unum conferam. Exiſtimo itaque, quadruplici ſerie Reges hos diſtinguendos, ut prima linea ſit *Janigenarum* a *Jano* ſcilicet, qui primus a diluvio princeps regionem hanc rexit, cujus ſucceſſores retento nomine diu claruerunt. Secundum ſtemma erit *Corithorum*, qui fabuloſis illis Regibus, quos ſtulta credulitas ob beneficia, virtutiſque admiratrix in Deos retulit, ſuceſſerunt, quorum & nomina & geſta obſcura. Tertia ſeries eſt *Larthum*, qui clariori principatu, ut-

pote rebus Romanis viciniori ævo uſi, præclara ſuæ virtutis monimenta reliquerunt. Denique quartus ordo habetur *Lucumonum*, qui terra, marique potentiſſimi, quingentis pæne annis victricia Romanorum arma fregerunt, & velut; ſoli fatorum magnitudini obſtantes, ſpem improbam victorum compreſſerunt: nec tam vi externa, quam ſeditione domeſtica fracti, ut ſuis locis patebit, in peregrinam ditionem conceſſerunt. Et de his ordine ſuo agam, ſi prius pauca præmiſero neceſſaria. Atque hæc ſtemmata ego nuper in Bando Medicæo complexus, pauculos hic apponam verſiculos.

Janus adeſt, ratitumque petit ſolemne quadrantem
Munus, & Etruſco felicia quæque Dynaſtæ
Exoptat, velletque ſuis dare dona Kalendis
Congrua, qui ter millenos ex ordine ſoles
Et placido vidit decurrere ſecula lapſu,
Dum Samius LUCUMO, *dum* LAR, CORITUSQUE *tenebant*
Imperia, & Conſul, Cæſarque, ac denique rerum
Libera conditio placuit, jam rurſus ad unum
Res rediit, meliorque ſtatus; Tyrrhenia MAGNO
Jamdudum ſubjecta DUCI, *priſca illa recludit*
Secula, JANIGENIS *quæ nobilitata colonis*
Egregiam Regni ſpeciem liquere vetuſto.
Inque uno TRIPLICES *veneratur Etruria* REGES.

Triplices Reges ſunt tria illa poſtrema ſtemmata, nam primum ſtemma non tam Regum eſt, quam Deorum, ut libr. 1. ſupra videre potes.

Etruriæ Regum ornamenta & inſignia: toga palmata, ſella eburnea, ſceptrum ſeu haſta, corona, corporis cuſtodes, adminiſtratio legum, jus comitia publica ſeu conventus indicendi: & nomen Regis aliud aliquando, quam Principem ſignificare.

CAP. II.

SUnt qui Etruriam reges habuiſſe negent, ſed tantum optimates quoſdam, eo nomine vocatos. Quod fortaſſe ſupponit Porphyrion, vetus Grammaticus ad od. 1. libr. 1. Horatii: *Mæcenatem ait regibus atavis editum, qui nobilibus Etruſcorum ortus ſit.* Certe ergo Romani cives quoſque potentes, Reges appellare ſolebant. Jun. Moderat. Columella præfat. al libr. 1. de Re Ruſt. *An honeſtius duxerim mercenarii ſaltatoris mendaciſſimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum, ſomnumque regis ſui rumoribus inaugurantis?* neque

neque enim quid agatur intus, ſervi reſpondere dignantur. Qua ſignificatione Regis nomen apud M. Martialem invenitur libr. 2. Epigr. 18:

Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo Regis,
Tu comes alterius, jam ſumus ergo pares.
Eſſe ſat eſt ſervum, jam nolo vicarius eſſe,
Qui Rex eſt, Regem, Maxime, non habeat.

Terentius Afer:

Nemo pro meritis gratiam Regi refert.

Paraſitus Plautinus in Captivis;

Nam poſtquam eſt meus Rex potitus hoſtium.

D. Jun. Juvenalis Sat. 1. v. 136. pro patrono divite videtur uſurpare:

Optima ſilvarum interea pelagique vorabit
Rex horum.

Et Sat. 7. v. 45.

Nemo dabit Regum.

Et Satyra 8. v. 161.

Hoſpitis affectu dominum, Regemque ſalutat.

Quin imo potentiam ſuam rerumque geſtarum famam Romani aucturi, quoſcumque exercituum, urbiumque externorum duces ſubegiſſent, Regum appellatione dignabantur; unde *Rex Arvernorum*, qui re vera Rex non fuit, neque enim in Gallica Hiſtoria reperi, Reges habuiſſe Arvernos. Cæſar libr. 1. de Bello Gallico, & Eutropius libr. 4. *Betultum* Regem memorat, uti & Strabo Amaſian. libr. 4. Vetus Inſcriptio: (1)

Q. FABIUS. Q. AEMILIANI. F. Q. N. AN. DC
MAXIMUS. PRO. COS. DE. ALLOBRO
ET. REGE. ARVERNORUM. BETULTO. X. K

Hunc alii *Biſuitum*, alii *Vituitum*, alii Βίτλον appellant, ut ad Euſebii Chronicon pag. 136. Joſephus Scaliger contendat, falsam eſſe Inſcriptionem, & pro I. literam L. temere ſculptam; ita tamen extat in bibliotheca Farneſiana, ut fidem facit Fulvius Urſinus, qui exinde deſcriptam exhibuit Notis in Comment. Cæſar. pag. 175.

Licet hæc ſignificatio interdum obtineat apud Romanos auctores, tamen de Etruſco Rege id dici non poteſt, qui vere ut Romæ, ut Macedoniæ, ut Ponti, ut Armeniæ, aliarumque Provinciarum Reges, jus regium habebat; nam & omnia regalia inſignia in eo: comitatus ſive armigeri cuſtodes, ſceptrum, corona, purpurea toga. De ſatellitio dicam infra hoc libro abunde; nunc videndus tantum Polyænus libr. Stratagemat. ad finem. L. Florus libr. 1. Hiſtor. Roman. cap. 10. *Scævola Regem per inſidias in caſtris ejus aggreditur, ſed ubi fruſtratum circa purpuratum ejus ictum tuetur, ardentibus focis iniicit manum*. De eadem hiſtoria Martial. libr. 1. Epigr. 78.

(1) Apud Gruter. pag. 298. num. 3.

Cum peteret Regem, decepta ſatellite dextra
Injecit ſacris ſe peritura focis.

Corporis itaque cuſtodes ſive σωματοφύλακας adhibebant aulico comitatui reges iſti, neque minus ornatum Regali dignitati patem geſtabant, *Sceptrum, coronam, bullam, togam prætextam*. Neque plura Homerus in ſuis Regibus exigit, Σκηπτοῦχος βασιλεὺς *Sceptrifer Rex* ei dicitur libr. 1. Iliad. v. 279. & libt. 2. Iliad. v. 86. & libr. 2. Odyſſ. v. 231. & alibi ſæpe. Ptobare ex multis poſſum, ſed maxime ex Feſto Pompejo libr. 17. cujus locum truncatum, & lacerum Joſephus Scaliger ſic teſtituit: *Sardi venales, boc eſt alius alio nequior, ex boc natum proverbium videtur, quod ludis Capitolinis, qui fiunt a vicanis prætextatis, auctio Vejentum fieri ſolet, in qua noviſſimus is, qui omnium deterrimus, producitur a præcone in medium ſenex cum toga prætexta, bullaque aurea; quo cultu Reges ſoliti ſunt eſſe Etruſcorum, qui Sardi appellantur, quia Etruſca gens orta eſt Sardibus ex Lydia; Tyrrbenus enim inde profectus cum magna manu eorum, occupavit eam partem Italiæ, quæ nunc vocatur Etruria*. Qui locus miſerrime truncatus, reliquiæque fœdiſſime corruptæ, feliciter ab eo, quem jam laudavi, ſic recenſitus; nam pro *vicanis* ſcriptum erat *vicinis*, & pro *Vejentum* diſerte, licet nullo ſenſu, videbatut *Valentium*. Obiter de Satdibus iſtis, ludibrio Romæ habitis, & pet jocum circumductis, M. Cicero libt. 7. Familiar. Epiſt. 25. fine: *Habes Sardos venales, alium alio nequiorem*. Sic illi, ut fortunam regiam inſolentiſſime contemnerent, quendam habitu Regis Etruſci circumferebant. Plutarchus in Problemat. Roman. cap. 53. Διὰ τί τῆς Καπιτωλίνας θέας ἄγοντες ἔτι νῦν κηρύττουσι Σαρδιανοὺς ὠνίους; καὶ γέρων τις ἐπὶ χλευασμῷ προάγηται, παιδικὸν ἐναψάμενος περιδέραιον, ὃ καλοῦσι βοῦλλαν; ἢ ὅτι Ῥωμύλῳ πολὺν χρόνον ἐπολέμησαν, οἱ λεγόμενοι Οὐήιοι Τυρρηνῶν, καὶ ταύτην πόλιν ἐσχάτην εἷλε, καὶ πολλοὺς αἰχμαλώτους ἀπεκήρυξε μετὰ τοῦ βασιλέως, ἐπισκώπτων αὐτοῦ τὴν ἠλιθιότητα καὶ τὴν ἀβελτηρίαν; ἐπεὶ δὲ Λυδοὶ μὲν ἦσαν οἱ Τυρρηνοὶ ἐξ ἀρχῆς, Λυδῶν δὲ μητρόπολις Σάρδεις, οὕτω τοὺς Οὐηίους ἀπεκήρυττον, καὶ μέχρι νῦν ἐν παιδιᾷ τὸ ἔθος διαφυλάττουσι. Quæ Latinis verbis ita ſonant: *Cur ludis Capitolinis etiamnum præconis voce proclamant, Sardianos venales? & ſenex quidam ludibrii gratia producitur bullam collo appenſam gerens puerilem? An quia Vejentes, Etruſcorum populus, per longum tempus Romulo bello reſtiterunt, hancque is ultimam urbem cœpit, multoſque captivos ſub haſta vendidit, una cum ipſorum Rege, futilitatem ejus, & ſtultitiam deridens? nam Etruſci a Lydis originem trahunt, Lydorum primaria urbs Sardes; ideo Vejentes Sardianorum nomine proclamant, & in hunc uſque diem ludicri gratia morem iſtum obſervant*. Et quidem de prætexta & bulla aurea, Regum inſignibus, vide libr. 3. infra hoc opere, uti & de ſella regia, quæ ad magiſtratus Romanos traducta, & *curulis* ab iis appellata; hic veto nonnihil de ſceptro, quo uſi illi primitus Reges. Non bacillum fuete ſceptra, ut nunc; ſed haſtæ, atque illæ quidem divinis cultæ honoribus, puto, ut Reges fortitudinem

præ

præ ſe debere ferre ſignificarent, eoque nomine veneratione divina dignos eſſe. Junianus Juſtinus libr. 43. *Per ea adhuc tempora reges haſtas pro diademate habebant, quas Græci* ſceptra *dixere; nam & ab origine rerum pro diis immortalibus veteres, haſtas coluere, ob cujus Religionis memoriam adhuc deorum ſimulacris haſtæ adduntur*. De qua re abunde, ut exiſtimo, in Antiquitatibus Romanis diſſerui. Et δόρυ, *haſta*, ſceptrum vocatur ab Euripide in Hecuba, ut colligit Hadrianus Turnebus libr. 22. Adverſarior. cap. 12. & Æſchylus apud eundem libr. 8. cap. 16. Divinis itaque honoribus ſceptra colebant, uſque adeo ut nullum religioſius jusjurandum fuerit, quam quod per haſtam conciperetur. Eraſmus in proverbio Καινέως δόρυ, *Cænei haſta*; ille enim ad ſe venientes per ſceptrum ſuum jurare cogebat. Vetus Scholiaſtes Apollonii libr. 1. Argonaut. quem tranſcribit Euſtathius Archiepiſcopus ad libr. 1. Iliados. Ferientes etiam fœdera ſceptra tenebant, & per ea jurabant. Servius Maurus ad libr. 12. Æneid. pag. 677. *Ut autem ſceptra adhibeantur ad fœdera, hæc ratio eſt, quia majores ſemper ſimulacra Jovis adhibebant, quod cum tædioſum eſſet, præcipue cum fiebant fœdera cum longe poſitis gentibus, inventum eſt, ut ſceptrum tenentes, quaſi imaginem ſimulacri redderent Jovis; ſceptrum enim ipſius eſt imperium, unde nunc tenet ſceptrum Latinus, non quaſi Rex, ſed quaſi pater patratus*. Virgilius ipſe ibidem loci v. 206.

Ut ſceptrum hoc (dextra ſceptrum nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta, nec umbras,
Cum ſemel in ſilvis ima de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas, & brachia ferro:
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Incluſit, patribuſque dedit geſtare Latinis.

Quæ omnia verbatim ex Homero tranſtulit, cujus hæc ſunt eadem ſententia libr. 1. Iliad. v. 236.

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν
Οὐδ' ἀναθηλήσει. περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
Φύλλα τε καὶ φλοιὸν, νῦν αὖτέ μιν υἷες ἀχαιῶν
Ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται, ὃ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος.

Certe per hoc ſceptrum, quod nunquam folia & ramos
Producet, ex quo ſtirpem ſuam in montibus reliquit,
Neque revireſcet, ferrum enim illud undique delibravit
Foliaque & corticem, nunc vero ipſum filii Achivorum
In manibus geſtant judices, quique leges
A Jove cuſtodiunt, hoc tibi magnum erit juramentum.

Eadem exprimere voluit Valerius Flaccus libr. 3. Argonautic.

Hanc ego magnanimi ſpolium Didymaonis haſtam,
Quæ neque jam frondes virides, neque proferet umbras,

Ut

Ut ſemel eſt avulſa jugis, ac matre perempta
Fida miniſteria, & duras obit horrida pugnas,
Teſtor.

In apice Romani Aquilam conſtituebant, expanſis alis, eaque dignitate triumphantem honorabant. Juvenal. Sat. 10. v. 46.

Da nunc & volucrem, ſceptro quæ ſurgat eburno.

Atque hoc geſtamen fuiſſe Regum Etruſcorum aperte Dionyſius Halicarn. libr. 3. Ἀρχαιολογίας pag. 195. Καὶ μετ᾽ ὀλίγας ἡμέρας οὐ λόγους αὐτῷ μόνον φέροντες ψιλὺς, ἀλλὰ καὶ σύμβολα τῆς ἡγεμονίας, οἷς ἐκόσμουν αὐτοὶ τὺς σφετέρους βασιλεῖς, κομίζοντες, ςέφανόν τε χρύσεον καὶ θρόνον ἐλεφάντινον, καὶ σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς χιτῶνά τε πορφυρῦν χρυσόσημον, καὶ περιβόλαιον πορφυρῦν ποικίλον, οἷα Λυδῶν τε κ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς. *Legati poſt paucos dies non nuda tantum verba afferentes, ſed & principatus inſignia, quibus Reges ſuos ornare conſueverunt, coronam auream, & ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, & purpuream tunicam auro diſtinctam, purpureumque amiculum varium, qualia Lydorum atque Perſarum reges geſtarunt*. Eadem ſane & Lydorum Regum, & a Lydis Etruſcorum oriundorum fuiſſe ornamenta ex hoc libro conſtat. Et de Porſena Rege idem Auctor libr. 5. pag. 303. Ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων βουλὴ μετὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν Τυῤῥηνῶν συνελθῦσα ἐψηφίσατο Πορσίνᾳ μὲν πέμψαι θρόνον ἐλεφάντινον, κ σκῆπτρον, καὶ ςέφανον χρύσεον, καὶ θριαμβικὴν ἐσθῆτα, ὑφ᾽ ἧς οἱ βασιλεῖς ἐκοσμῦντο. *Senatus poſt diſceſſum Regi mittendam in Etruriam decrevit ſellam eburneam cum ſceptro, coronamque auream, & triumphalem veſtem, quali Reges ornari ſolebant*. Miſſa itaque a Romano Senatu ornamenta Regia Porſenæ, non quidem, quod ea dignitate ab eo donari eum videri poſſet, erat enim Rex antea; ſed quia is mos erat Senatui, ut ſua quoque triumphantium ornamenta in bene de ſe meritos conferret, ut ſcribit idem Halicarnaſſeus libr. 3. pag. 196.

Alii tamen principes non aquila inſignitum ſceptrum, ſed aratri vomere, ad agriculturæ, ut puto, commoda extollenda. Pierius Valerianus libr. 48. Hieroglyph. pag. 513. nullo auctore laudato.

Eo magis non deſino mirari, Servium Honoratum, tanti judicii, tantæque eruditionis Grammaticum, tam pudendo errore lapſum, ut ſic ſcriberet ad libr. 8. Æneid. pag. 517. *Regni coronam, inſigne, non revera coronam, quam Tuſci Reges nunquam habuerunt*. Mirandum hoc (inquam) non tam ob auctores laudatos, quam ipſius Virgilii auctoritatem, qui hæc clare:

. . . . . . o Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum, virtuſque virum, quos juſtus in hoſtem
Fert dolor, & merita accendit Mezentius ira:
Nulli fas Italo tantam ſubjungere gentem,
Externos optate duces, tum Etruſca reſedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divum.
Ipſe oratores ad me, regnique coronam

Cum

Cum ſceptro miſit, mandatque inſignia Tarchon,
Succedam caſtris, Tyrrhenaque regna capeſſam.

In ſequentibus tamen aliter idem ſenrit Servius, & quaſi a ſeipſo diſſentit: *Mandat inſignia, aut mittit inſignia, ideſt omnia ornamenta regalia, aut re-vera ipſe Tarchon oratores ad me miſit, coronamque cum ſceptro Regni.*

Tertia ratio, eaque validiſſima eſt, quod ut alii Reges, & maxime Aſſyriorum & Perſarum, & ſeculis poſterioribus Francorum, certis tanrum diebus, nec tamen promiſcue, populo ſe oſtendebanr; ita Erruriæ Reges ſemel tantum in menſe ſubditos admittebanr, quo auguſtior eſſet, ut puto, majeſtas. Aurel. Macr. Sarurn. libr. 1. cap. 15. *Ideo autem minor pontifex numerum dierum, qui ad nonas ſupereſſent, calando prodebat, quod poſt nonam lunam oportebat nonarum die populares, qui in agris eſſent confluere in urbem, accepturos cauſas feriarum a Rege ſacrorum, ſciturosque, quid eſſet eo menſe faciendum, unde quidam hinc exiſtimant nonas dictas, quaſi novæ initium obſervationis, vel quod ab eo die ſemper ad idus novem dies putentur: ſicut apud Tuſcos nonæ plures habebantur, quod hi nono quoque die regem ſuum ſalutabant, & de propriis negotiis conſulebant.* Nævius Poëta *in Lupo*, ſed corrige *in Ludo:*

Vel Vejens Regem ſalutat jube
Albanum milium, comitem ſenem
Sapientem contra redhoſtis Mænalus.

Locus eſt depravatus Putarem rectius legi:

Vel Vejens Regem ſalutat tuba per
Albanum Mulium.

Militaris enim mos principes ſuos tubis machinarumque exploſionibus ſalurare, & concuſſis armis alacritatem profiteri. Claudian. in 4. Hon. Conſul.

Senſit adorantes galeas, redditque ferocem
Vagitum lituis.

Et de 6. Honorii Conſulatu:

Una omnis ſubmiſſa phalanx, tantaque ſalutant
Te dominum galeæ.

Quartum denique argumentum eſt Reges in Etruria veros fuiſſe, non tantum magiſtratus, potuiſſe illos ad fanum Voltumnæ conventum indicere omnium popularium, cum libuiſſet, uti libr. 1. ſupra habes; quod ad nullum niſi ad regem pertinere, quis eſt, qui non videat? Eleganter Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 11.

Et Veii veteres, & Volscum regna fuiſtis,
Et veſtro poſita eſt aurea ſella foro.

Janus

Janus, primus Etruriæ Rex, ſtatim a diluvio Noæ: uxor ei Venilia; ideo ei primitiæ omnium ſacrificiorum oblatæ: primus ſacra ad aras fieri docuit: nummos percuſſit: agriculturam docuit: fœderibus præeſt: bifrons, & quadrifrons: belli ac pacis præſes: lauru nova ineunte anno coronatus: Indigena.

CAP. III.

HOc quoque quintum argumentum ſit, Regum ſucceſſio, quorum primum certum eſt *Janum* fuiſſe. Sed quis ille fuerit, nimium curioſe quidam inveſtigarunt: inter quos Opuſculum eſt Petri Leonis Caſellæ, quo inutili labore, de *Crana*, *Veſta*, *Jano*, *Sabatio*, *Corito*, futilibuſque aliis pœnitenda opera differit. Nec mitius inſanit Thomas Fazellus de reb. Sicul. poſter. Decad. libr. 1. pag. 220. qui pæne non eſt tanti, ut nominari hic debeat; cum omnia ex Annio in ſuum opus tranſcripſerit. Auctor Theatri Genealogici Tom. 4. eum vult *Nobemum* eſſe; ſed ridiculum illud, qui enim in Italiam illo defluxit? cum ſacræ literæ contradicant. Ego certe, ut Nohemum non eſſe, ac ne potuiſſe quidem dici contendo; ita aliquem a Nohemi nepotibus primis, qui mundum incoluerint, & poſt diluvium reſtauraverint, exiſtimo, vel hoc argumento, quod Janus primas ſacrificii cujuslibet deorum partes accipiat: & notum ex ſacra pagina, Nohemum aræ a ſe ſtructæ holocauſta adoleviſſe. Claudius Marius Victor Maſſilienſis Commentarior. in Geneſin libr. 3.

> *Talia mente gerens, venturaque ſecula cernens,*
> *Non prius officii quicquam ſervatus inire*
> *Conſtituit, quam ſacra Deo, laudeſque rependat,*
> *Grateſque evaſo referat diſcrimine Noe.*
> *Mox niveo ſacra exurgunt altaria ſaxo,*
> *Agnovitque hec prima recens altaria mundus.*

D. Alcimus Avitus Archiepiſcopus Viennenſis lib. 4. Sacror. Carmin. cap. 18. ex Geneſis cap. 8.

> *Ante tamen juſtus jubeat quam ſparſa vagari*
> *Singula de ſeptem, que dudum claudere munda*
> *Curavit, natis pariter nuribuſque vocatis,*
> *Ceſpite conſtructa diſponens immolat ara,*

Accen-

Accendens ſanctum his primum altaribus ignem.
Plurima dum magnis adolentur corpora flammis,
Et numeroſa levat præpinguem victima fumum,
Suavis odor tetigit lætum trans æthera cælum,
Primaque purgati ſuſcepta eſt boſtia mundi.

Sic itaque, quia Janus Italos ſuos, aut verius populares Etruſcos aras erigere, hoſtias adolere docuit, effectum, ut nullum ſacrum inſtitui, peragive poſſet, cujus exordium non fieret a Jano, ut infra hoc capite expediam. Hic vero Regem eum fuiſſe eſt probandum. Prætextatus apud Aurelium Macrobium libr. 1. Saturnalium cap. 7. *Regionem iſtam, quæ nunc vocatur Italia, regno Janus obtinuit.* Servius Maurus ad libr. 8. Æneid. pag. 506. *Saturnus Rex fuit Cretæ, quem Jupiter filius bello pepulit: hic fugiens a Jano Rege, qui urbem habuit, ubi nunc Janiculum eſt, ſuſceptus eſt qui regnabas in Italia: quem cum docuiſſes uſum vinearum, & falcis, & humaniorem victum, in partem eſt admiſſus imperii.* Gottofridus Viterbienſis in Pantheo Chronicor. parte 4. pag. 117.

Italiæ tunc Saturnus regnabat alumnus,
Primus erat Janus, ſed Rex fuit ille ſecundus,
Tertius eſt Picus Rex, probitate prior.
Saturnus ſtatuis, ſuper æquora vela moveri:
Denarios poſuit, commercia rite mereri:
Ipſe prior clypeos militis arte regit.
Navibus Italiam prior hic ornaſſe putatur,
Ædificans Sutrium, dum vivit, ibi dominatur,
Triticeum ſemen primus in urbe ferens.
Saturnus natum latuiſſe Jove recitatur,
In Sutrio latuit, Latium locus ille vocatur;
Illud enim Latii nomen ab inde fuit.

Verſum nonum corrige:

Triticeum ſemen primus in orbe ferens.

Levis notæ adjectio ultimum quoque verſum meliorem meo judicio faciet:

Illud enim Latii nomen ab inde fluit.

Uxor ejus fuit *Venilia*, quod a nullo notatum. P. Ovid. libr. 14. Metamorph. v. 333.

Ille colit Nympham, quam quondam in colle Palati
Dicitur ancipiti peperiſſe Venilia Jano.

In quolibet ſacro præfatio ab eo, ut dixi, incipiebat. Arnob. libr. 3. Cont. Gent. *Atque ita per vos Dei nomen eraduur, quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere Deorum ad audientiam creditis.* Xenon Rer. Italicar. libr. 1. rationem reddit hiſtoricam: *Quod Janus in Italia primum templa Diis fecerit, & ritus inſtituit ſacrorum, ideo in ſacrificiis præfationem meruit perpetuam.* M. Tull. libr. 2. Nat. Deor.

 Cum-

Cumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in ſacrificando Janum eſſe voluerunt; quod ab eundo *nomen eſt ductum, ex quo tranſitiones perviæ Jani: foreſque in liminibus profanarum ædium januæ nominantur*. Feſt. Pomp. libr. 3. in voce *chaos*, eadem, ſed expreſſius: *Unde Janus detracta aſpiratione nominatur, ideo quod fuerit omnium primus, cui primo ſupplicabant, velut parenti, & a quo rerum omnium factum putabant initium*. Poëtæ paſſim. M. Martial. libr. 8. Epigr. 8.

Principium des, Jane, licet velocibus annis,
Et revoces vultu ſecula longa tuo.
Te primum tua thura rogent, te voce ſalutent,
Purpura te felix, te colat omnis honor.

Secundus verſus ſignificantius, *renoves vultu*. In tertio, MS. *te vota ſalutent*. Et libr. 10. Epigr. 28.

Annorum, nitidique, ſator pulcherrime, mundi,
Publica quem primum vota preceſque canunt.

P. Ovid. libr. 1. Faſtor. v. 173. ex Arnobii loco laudato:

. . . . cur, quamvis aliorum numina placem,
Jane, tibi primum thura merumque fero?
Ut poſſis aditum per me, qui limina ſervo,
Ad quoſcumque velis, inquit, habere Deos.

Hic primus etiam in Italia nummum percuſſit, in cujus una parte caput geminum fuit, in altera navis, ad ſignificandum Saturni claſſe in Italiam adpulſum. Gottofridus Viterbienſis ſupra hoc capite laudatus. P. Victor Afer, ut vult doctiſſimus Andreas Schottus: *Iſtum etiam uſum ſignandi æris, ac monetæ in formam incutiendæ, oſtendiße traditur, in qua ab una parte caput ejus imprimeretur, altera navis, qua vectus illo erat; unde hodieque aleatores, poſito nummo, opertoque, optionem colluſoribus ponunt, enuntiandi, quid putent ſubeſſe, caput aut navim, quod nunc vulgo corrumpentes* navi andi *dicunt*. Ovid. libr. 1. Faſtor. v. 228.

Multa quidem didici, ſed cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma duplex?

De hoc ſignandæ monetæ Etruſcorum ſeu Jani invento, dicam libr. 3. hoc opere infra, uti & de agricultura, & vineis curandis, quæ omnia a Jano Etruſci acceperunt, & Romanis conceſſerunt, utilia certe Reip. adminiſtrandæ inſtrumenta.

Janum certe Principem *bifrontem*, vel *quadrifrontem* effinxerunt. Rationem hanc a Servio Mauro pete ad libr. 7. Æneid. pag. 476. *Sacrarium hoc (ſcilicet Jano) Pompilius fecerat circa imum Argiletum, juxta theatrum Marcelli, quod fuit in duobus breviſſimis templis, duobus autem propter Janum bifrontem: poſtea captis Phaleris civitate Tuſciæ inventum eſt ſimulachrum Jani cum frontibus quatuor, propter quod in foro tranſitorio conſtitutum eſt illis ſacrarium aliud* (lego *conſtitutum*

eſt

eſt illius ſacrarium, de Jano enim ſermo) *quod novimus hodieque quatuor portas habere. Janum ſanè apud aliquos quadrifrontem eſſe, non eſt mirum; nam alii dici eum dominum volunt, in quo ortus eſt & occaſus. Horatius:*

Matutine pater, ſeu Jane libentius audis.

Alii anni totius, quem in quatuor tempora conſtat eſſe diviſum; anni autem eſſe Deum illa res probat, quod ab eo prima pars anni nominatur, nam a Jano Januarius dicitur. Quidam Janum Eanum *dicunt ab* eundo, *eumque eſſe Martem, & quod apud Romanos plurimum poteſt, ideo primum in veneratione nominari. Alii Janum aërem credunt: & quia vocis genitor habeatur, idcirco mandari ei preces noſtras ad Deos perferendas. Alii Janum mundum accipiunt, cujus caulæ ideo in pace clauſæ ſunt, quod mundus undique clauſus eſt belli tempore: aperiuntur ad auxilium petendum, ut pateant . . . . . . nam quaſi mundo duas ei facies dederunt, orientis & occidentis, quod jam ſupradictum eſt: alii quatuor, ſecundum quatuor partes mundi.* Idem ad illud Virgilii libr. 12. Æneid. pag. 677.

Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem.

Janum rite (Janum bifrontem) invocat, quia ipſe faciendis fœderibus præeſt; namque poſtquam Romulus & Titus Tatius in fœdera convenerunt, Jano ſimulachrum duplicis frontis effectum eſt, quaſi ad imaginem duorum populorum: legimus tamen Janum etiam quadrifrontem fuiſſe, unde Martialis ait:

Et lingua pariter locutus omni.

nam omnis *de duobus non dicimus.*

Poteſt denique credi bifrons Janus, quod ſapientis ſit principis meminiſci præterita, & futuris proſpicere; quadrifrons vero, ad quatuor elementa exprimenda. Iſidor. libr. 8. Etymologiar. cap. 11.

Quid attinet hic dicere, quod eſt vulgatiſſimum, tantam Jani Regis fortitudinis opinionem, animis Italorum ingenitam, ut eum belli paciſque arbitrum unicum æſtimarent, ideo templum ejus, pace per univerſum orbem parta, claudi ſolebat, indictoque bello, rurſus aperiri? L. Florus epitomaſtes Livii libr. 4. Servius Maurus ad illud libr. 1. Æneid.

Aſpera tum poſitis miteſcent ſecula bellis.

Cl. Claudian. de 6. Hon. Conſul.

. . . perpetuiſque immoto cardine clauſtris
Janus bella premens, lætæ ſub imagine pugnæ
Armorum innocuos paci largitur honores.

Idem de ſumma Stiliconis auſpiciis parta felicitate libr. 2. de ejus laudibus:

. . . nullus Boreæ metus, omnis & Auſtri
Ora ſilet, cecidit Maurus, Germania ceſſit
Et Janum pax alta ligat.

 Semel

Semel hujus templum Numa Rex clauſit: iterum Lutatius Catulus, icto cum Pœnis fœdere, Coſſ. M. Atilio, T. Manlio. Paul. Oroſius libr. 4. cap. 10. L. Florus libr. 2. Hiſtor. Rom. cap. 3. Tertio ſub Auguſto bellis civilibus longo duodecim annorum bello ſopitis. Dio Coccejanus libr. 51. in actis anni 725. Freculphus Lexonienſis Tom. 1. Chronicor. libr. 7. cap. 16. *Ab oriente in occidentem, a ſeptentrione in meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus una pace compoſitis, Jani portas tertio Auguſtus tum clauſit, quas ex eo, per duodecim pæne annos quietiſſimo ſemper obſeratas otio, ipſa etiam rubigo conſignavit: nec prius unquam niſi ſub extrema ſenectute Auguſti pulsata Athenienſium ſeditione, & Draconum commotione patuerunt.* Locum corruptum ſic reſtituere potes, congruo hiſtoriis illius ævi ſenſu: *& Docorum commotione patuerunt*; quorum tunc mota arma, non minoribus animis, quam bellandi pertinacia. Virgil. libr. 2. Georg.

Aut conjurato deſcendens Dacus ab Iſtro.

Otto Friſingenſis libr. 3. cap. 3. Chronicor. Vellejus Paterculus libr. 2. Hiſtor. Rom. *Tertio Auguſto principe certæ pacis argumentum Janus Geminus clauſus dedit.* C. Sueton. in Auguſto cap. 22 Benemenutius de Rambaldis libr. Auguſtali: *Reliquum ſolus cum magna pace & tranquillitate orbis, clauſo templo Jani, egit.* Q. Horat. libr. 4. od. ult.

Janum Quirini clauſit.

Et libr. 2. Epiſt. 1.

. . . totum confecta duella per orbem,
Clauſtraque cuſtodem pacis cohibentia Janum.

Templum illud quadratum erat. Pierius Valerian. libr. 49. Hierogl. pag. 528. Duas fores habebat, uti *& ipſa Janiſta tua biformis*, ſeu duas habens facies. Flavius Blondus libr 1. de Roma triumphante. Seu quod per *Janum mundum* ſignificarent, cujus *duæ præcipuæ partes Oriens & Occidens*; ſive denique, quod *in bellum proficiſcens Imperator, de reducendo ſalvo exercitu curam habere unicam debet.* Alluſum ad hoc a M. Valerio Flacco libr. 5. Argonaut.

. . . . aut ſanguinei magna oſtia belli.

P. Virgil. libr. 7. Æneid.

Sunt geminæ belli portæ.

Papin. Statius libr. 5. Thebaid. v. 145.

Lunatumque putes agmen deſcendere, ubi arma
Indulget pater, & ſævi movet oſtia belli.

Hic Conſules Romani inaugurabantur, & inſignia magiſtratus decedentes exuebant, novi induebant, qui ob id dicuntur *annum aperire.* Ulpian. J. C. L. 20. ff. de petition. hæreditat. Sidon. Apollin. Carm. 2.

Annum pande novum Conſul vetus.

Claudian. libr. 2. in Eutrop.

. . . inſanum gemino proclamat ab axe,
Eunuchumque vetat faſtis accedere Janus.

Ideo-

Ideoque laurea nova ſingulis Calendis Januariis coronabatur, quod de poſterioribus temporibus intelligendum; nam primitus, *non in Januario, ſed Calendis Martiis* id fieri ſolitum, ut liquet ex narratione Aurelii Macrobii libr. 1. Saturn. cap. 12. quod *mutare virides laureas veteribus dixit* C. Julius Solinus Polyhiſtor. cap. 3. Ovid. libr. 3. Faſtor.

Laurea flaminibus, quæ toto perſtitit anno,
Tollitur, & frondes ſunt in honore novæ.

D. Auſon. in Cæſaribus:

Ter dominante Tito cingit nova Laurea Janum.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. in principio ſtatim:

. . . . . tuque o cui Laurea Jane
Annua debetur, reliqua torpere ſoluto
Quavis fronde comas, ſubita nec luce paveſcas
Principis.

Idem Carm. 7. in principio.

. . . . jam necte bifrontes
Anceps Jane comas, duplicique accingere lauru.

Denique Janum eſſe Etruſcæ originis, non vero advenam, quod imprudentes quidam falſo exiſtimavere, vel unicum hoc convincit argumentum, quod nullibi terrarum, niſi in Italia, coleretur; male itaque Draco Corcyræus Græcum eum facit. P. Ovid. libr. 1. Faſt. v. 88.

Quem tamen eſſe Deum te dicam, Jane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia nomen habet.

Etruriæ Regina Cameſes, à Jano in partem regni aſſumpta: ſoror ejus & uxor.

CAP. IV.

Eodem ſeculo Janus & Cameſes imperarunt; ſed hic jure hæreditario, iſta in partem principatus tantum a Jano aſſumpta, eo penitus more, quo Romanos ſcimus Auguſtos participes imperii ſui feciſſe, quos ſucceſſioni deſtinaſſent. Cujus rei teſtes ſunt Protarchus Trallianus, & Hyginus antiquiſſimi duo Scriptores, ut retulit Macrobius Theodoſius libr. 1. Saturnal. cap. 7. *Regionem iſtam, quæ nunc vocatur Italia, regno Janus obtinuit, qui, ut Hyginus, Protarchum Trallianum ſecutus, tradit, cum Cameſe æque indigena terram hanc ita participata potentia poſſidebat, ut Regio* Cameſene, *oppidum* Janiculum *vocitaretur: poſt ad Janum ſolum regnum redactum eſt, qui creditur geminam faciem prætuliſſe, ut quæ ante, quæque poſt tergum eſſent intueretur: quod procul dubio ad prudentiam regis ſoler-*

tertiamque referendum eſt. Draco Corcyræus libro de Lapidibus, eam fuiſſe *ſororem Jani* aſſerit apud Athenæum libr. 15. pag. 692. quem vide. Nugarum plauſtra plena apud Thomam Fazelum in reb. Sicul. poſter. Decad. libr. 1. pag. 220.

Etruriæ Rex Tiberinus, Jani, lapidibus occiſi, filius: filiæ quatuor, Cameſene, Cliſthene, & Canens, Pico Latinorum Regi nupta: quarta ignoratur.

CAP. V.

TRanquillum admodum & quietum fuit Jani regnum, uſque adeo ut totus in vitæ civilis moderationem, agroſque honeſto ſtudio colendos, ferocem populum ad manſuetam morum regulam traducere incubuerit; quare præcipuum ei habuit Numa Pompilius honorem, primumque anni menſem ab eo Januarium dixit. Plutarch. Problem. Roman. pag. 274. Et cum multis annis feliciter imperaſſet, monſtrato ruſticis vino, ab iis fuit interemptus, quod inſueto vini ſucco ebrii, venenum ab eo ſibi datum exiſtimarent; ~~ideoque publica rabie~~ armati, lapidibus eum obruerunt, eodem Plutarcho referente. Quare quam vetuſtum fuerit id genus pœnæ, ex eo liquet: quam frequens, breviter aperiam. Parthenius elegans auctor Eroticon cap: 21. προτρέψατο τὺς ςρατιώτας καταλεῦσαι τὴν κόρην. *Exhortatus eſt milites, ut puellam lapidibus obruerent*. Claud. Ælian. libr. 5. Var. Hiſt. cap. 19. Οὕτως Ἀθηναίων βάλλειν αὐτὸν λίθοις, *cum Athenienſes jam parati eſſent eum lapidibus obruere*. Polyæn. libr. 1. Stratag. Sophocles in Antigone, Philoſtratus in heroicis, & libr. 1. de vita Sophiſtarum, in Lolliano: præoccupavit jam elegantiſſimus Joannes Meurſius. Et liquet apud Hebræos idem invaluiſſe: clare in Actis Apoſtolorum cap. 7. de Stephano Protomartyre. Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtorico: *Romæ gladiatorio ludo celebrato, Telemachus monachus increpans populum, attentius ſpectaculis inhiantem, lapidatur a populo*. Quæ ille indubie petiit ex Theodoreto libr. 5. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 26. Et M. Aurelio Caſſiodoro libr. 10. Hiſtor. Tripartitæ cap. 11. L. Apul. libr. 1. Mileſiar. *Publicitus indignatio percrebuit, ſtatutumque eſt, ut in eam die altera ſeveriſſime ſaxorum jaculatione vendicaretur*. Interpres hiſtoriæ Apollonii Tirii Latinus: *Tunc cives rapuerunt Strangulionem, & Dionyſiadem, atque extra civitatem trahentes, lapidaverunt*. M. Fab. Quintilian. Declamat. 12. *Populus quoque im-*

puni-

punitum nefas ſine lapidibus præteribit? Romulus Amaſæus interpres Pauſaniæ Latinus in Arcadic. pag. 259. Incerti nominis poëta apud Parthenium, & recitat Ant. Delrio in L. Senecæ Troadem pag. 431. L. Seneca non uno loco. C. Petronius in Satyrico. Abdias Babylonius libr. 1. Hiſtor. Apoſtolicæ, ſi tamen non eſt opus ſpurium. Æl. Lamprid. in Alexandro Severo. Æl. Spartian. in Peſcennio Nigro. Appian. libr. 4. Bellor. civil. pag. 431. Videantur a me laudati libr. 8. Antiquitat. Romanar. cap. 24. Hippolytus Thebanus, cujus in Scriptoribus Eccleſiaſticis meminit D. Hieronym. in Chronico. Λιθοβολήσαντες αὐτόν. *Lapidibus eum obruerunt*. Xenophon docet, apud Græcos boc ſupplicium locum babuiſſe libr. 1. de Expedit. Cyri minoris pag. 258. Poëtæ meminerunt certatim. D. Auſon. Eidyllo 7.

. . . . crimen ob illud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.

Lycophron in Caſſandra.

Ὑπερβόλοις ἀραῖσιν ἠρεθισμένη
Κρύψαι κύταις τις χερμάδων ὀμβρίᾳ.
Convitioſis maledictis irritato
Occultabit quoddam tegmen lapidum diluvio.

Ita Gulielmus Canterus vertit: legibus metricis ſic adſtrinxit Joſephus Scaliger:

Convitioſis percitorum injuriis
Abſcondet imber ſaxeus manu alium.

P. Ovid. in Elegia de Nuce:

Nux ego juncta viæ, cum ſim ſine crimine vitæ,
A populo ſaxis prætereunte petor.
Obruere iſta ſolet manifeſtos pœna nocentes,
Publica cum lentam nunc capit ira moram.

Idem libr. 13. Metamorph. fab. 2. v. 565.

Clade ſui Thracum gens irritata tyranni,
Troada telorum lapidumque inceſſere jactu
Cœpit.

Joan. Tzetzes Chiliad. Hiſtoriar. 11. cap. 260.

Πρὸς τοὺς λιμένας τρέχοντες μίσει τῶ Ἀθηναίων
Μικροῦ ἂν διεχρήσαντο τὸν Πλάτωνα τοῖς λίθοις.
Ad portus currentes odio Athenienſium
Ferme occidiſſent Platonem lapidibus.

Ab ingrato itaque & beneficii immemore populo, Rex optimus Janus hunc in modum ſublatus eſt: cui ſucceſſere *Janigenæ*, uti a Cæſare & Auguſto ſequentes omnes Imperatores Cæſares Auguſtique dicti, ita a Jano Janigenæ Reges Etruriæ: quorum quidem ordo, regna, & geſta in obſcuro; perſequar tamen, ut in tantis tenebris facem prætuliſſe videar, & quod certius videbitur, adducam.

Jano ſucceſſit filius, ex Cameſena, *Tiberinus*, qui tertius Etruriæ Rex

Rex habebitur. Servius Maurus ad libr. 8. Æneid. pag. 506. *Alii Tiberinum Jani & Cameſenæ filium, ibi in bello periiſſe tradunt*. Hic patri, inhumaniter a ſuis perempto, parentalia inſtituit, omneſque, quos potuit, honores adjecit: & quia pater Etruriam in duodecim populos diviſiſſet, ut fuſe dicitur libr. 4. hoc opere infra, monimento ejus duodecim aras adjecit: vel certe, quia in anno, ab eo ordinato, ſint duodecim menſes. Pier. Valerian. libr. 49. Hieroglyphic. pag. 527. Nec de eo quicquam præterea compertum.

Filiæ etiam Jano quatuor fuerunt, eamque ob cauſam, ut nonnullis placet, quadrifrons ipſe effectus. Idem Pierius libr. 22. pag. 325. quarum natu maxima *Camaſena* a matris nomine appellata: ſecundam volunt ſuſceptam ex eadem uxore Cameſe Perrhebæa, quam Plutarchus in Problematis Romanis, nimium favens genti ſuæ, Græcam facit, uti & ipſum Janum advenam, non vero *αὐτόχθονα*, *indigenam*, quod nos falſum ſupra abunde docuimus: hanc *Clitbenem* vocat Draco Coteyræus, libro de Lapidibus apud Athenæum libr. 15. pag. 692. quem conſule. Aliæ duæ filiæ, ex Venilia alia, & ſecunda uxore, ut puto, ſublatæ, quarum una penitus latet, neque ab ullo, quod ſciam, memoratur: alteram clariſſimam fabulæ poeticæ faciunt, nomine *Canentem*; quam vocatam ita, fortaſſis non fuerit alienum a vero credere, quod vaticinandi peritia inclaruerit; oracula enim omnia verſu reddebantur, & ob id *Canens* idem eſt ac *Sacerdos*, oraculi interpres. Vide, quæ ſuperiori libro cap. 18. de Themide vel Carmenta dixi. Utcumque ſit, hæc Pico, Latinorum Regi, nupta deprehenditur; ita enim ~~ipſe Picus, a Circe ſolli~~citatus, apud P. Ovidium libr. 14. Metamorph. fab. 7. v. 377.

. . . . ille ferox ipſamque preceſque repellit:
Et Quæcumque es, ait, non ſum tuus: altera captum
Me tenet, & teneat per longum comprecor ævum.
Nec Venere externa ſocialia fœdera lædam,
Dum mihi Janigenam ſervabunt fata Canentem.

Hactenus Janus, filiuſque regnarunt. Subjungam alios, qui circa illa rudia tempora regali etiam dignitate in Tuſcia emicuerunt.

Etru-

Etruriæ Rex quartus Vertumnus, ſive Vadimon, & ipſe Janigena.

CAP. VI.

ETruriæ Deum *Vertumnum* fuiſſe, ſive *Vortumnum*, docui ſupra hoc opere libr. 1. cap. 15 Regem fuiſſ., & Principatum poſt Jani filium tenuiſſe, abunde probat Antonius Fanenſis ad libr. 6. Faſtorum Ovidii. Idem putatur cum *Vadimone*. Raphaël Mapphæus Volaterranus libr. 16. Commentarior. pag. 481. Sunt, qui plenas nugis paginas implent, ut Vertumnum modo *Janum*, modo *Nobemum*, modo *Zoroaſtrem* obtrudant: quorum deliramenta non eſt tanti, ut velim refellere. Supra omnes inſigniter delirat Thomas Fazelus de reb. Siculis poſterior. Decad. libr. 1. pag. 220. Adſcribam tamen Æneæ Galletti Emporienſis locum e libr. 2. Hiſtor. Univerſal. principio:

Poſtquam clade nefas terræ purgavit aquarum
Illuvieque ſator populos ſubvertit iniquos,
Vertumnum, prolemque jubet deſcendere cimba,
Uxoreſque novæ gravidandas ſemine gentis,
Vota dabat, cultumque Dei, rituſque docebat
Agricolam ſobolem, miraque propagine lætus
Reddiderat ſaga Gordiæo vertice terra
Cultores Gallos numeroſa prole redemptor,
Oenotrius, Noa, Vertumnus, ſeu priſcus Ogyges,
Janus, & heroës divino ſemine creti,
Præbuit Oenotrius terræ vineta Lyæi,
Expreſſit, vinumque bibit, divoque liquore
Ebrius ac nudus jacuit, genitale Cameſes
Fertile compreſſit Stygia temerarius arte.

Ut hæc ab Joanne Viterbienſi Annio ſint inventa, eſt tamen verum, Vertumnum præclaro exemplo principatum tenuiſſe, & arbores frugiferas, maximeque pomiferas primum ſerere monſtraviſſe, ut libr. 3. hoc opere invenies; ideo fingitur, *Pomonam Deam* in uxorem duxiſſe. Non peregrinæ ſtirpis, ſeu advenam illum, ſed indigenam loquitur Sextus Propertius libr. 4. Eleg. 2.

Tuſcus ego, Tuſcis orior, nec pœnitet inter
Prælia Volſinos deſeruiſſe lares.

Diverſas ei formas vetuſtas affinxit; quod prudentis ſit Regis, in omnia ſe ſubditorum commodis & ſolatiis componere. Propertius ibidem. Ludov. Arioſt. in Supplementis ad Rolandum ſuum Ode 1.

luculenter deſcribit, & Ovidius libr. 14. Metamorph. fab. 16.

O quoties habitu duri meſſoris ariſtas
Corbe tulit, verique fuit meſſoris imago!
Tempora ſæpe gerens fœno religata recenti,
Deſectum poterat gramen verſaſſe videri.
Sæpe manu ſtimulos rigida portabat, ut illum
Jurares feſſos modo disjunxiſſe juvencos.
Falce data frondator erat, vitiſque putator:
Induerat ſcalas, lecturum poma putares:
Miles erat gladio, piſcator arundine ſumpta.

Quæ omnia aperte ſignificant, Vertumnum agriculturæ admodum ſtudioſum, quæ eo quidem ſeculo, ceſſante bellorum tabie, ſola & honotabat, & ditabat. Romam vero, & pet totam Italiam fama ejus viventis delata, egregios meruit honores: defuncto etiam, patrio ritu, apotheoſis inſtituta: & poſt multa ſecula, a Lucumone Galerito, ſeu, ut verius exiſtimo, a Cœlio Vibenno Volaterrano templum Romæ ſtructum, ubi ſumma veneratio ei habita, uſque adeo, ut alter Genius putaretur: & verſatili inconſtantique ingenio homines, irato Vertumno natos dicerent. Horatii interpretes ad libr. 2. Sat. 7.

Jam mœchus Romæ, jam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot ſunt, natus iniquis.

Et quia Jani filio in regno ſucceſſerat, templa ſtatuaſque prope Janum Romæ ei erexerunt, ea fori Romani parte, qua librarii ſtabant, & bibliopolæ. Helenius Acron ad Q. Horatii libr. 1. Epiſt. ult. hæc ſcribit: *Vertumnus & Janus Dii ſunt, qui præſunt rebus ementium & vendentium, ante quorum templa erant loca, in quibus cum ceteris rebus etiam libri venales erant: per deos autem etiam loca ſignificat*. Porphyrion & ipſe vetus ejuſdem Poëtæ Scholiaſtes: *Vertumnus Deus eſt vertendarum rerum, hoc eſt vendendarum & emendarum, qui in vico thurario ſacellum habebat. Janus quoque ſcilicet vicus eſt, a Jano Genio appellatus, qui in eo arcum ſibi habet conſecratum, per quos deos ſignat loca, in quibus cum ceteris rebus etiam libri venales erant*. Locus corruptus facile poteſt teſtitui, ſi legatur: *a Jano gemino appellatus*. Janum autem Geminum dicebant ob duas facies, cum quibus depingebatur, uti ſupra eſt demonſtratum. Eadem Chriſtophorus Landinus: videatur & Lævinus Torrentius, pius & doctiſſimus vir, ad eum locum, & ad libr. 2. Sat. 7. Ipſe Horatius Epiſt. 20. libr. 1.

Vertumnum Janumque liber ſpectare videris,
Scilicet ut prostes Soſiorum pumice mundus,
Odiſti claves.

Acro idem ad Sat. 7. libr. 2. *Vertumnus Deus eſt, qui præeſt mentibus humanis, a vertendo: hic quondam Romæ colebatur: alii Deum Tiberis volunt, qui verterit ejus alveum: aliter Vertumnus dicitur Deus, qui præeſt ſenſibus, ab eo quod mutet cogitationes humanas, & vertat; ſcribitur*

tur itaque multiformis. Interjectis aliquot de eo pulchra: *Quotquot, ideo dixit, quia is Deus poſitus erat in multis locis civitatis, ſere enim omnibus municipiis Italiæ conſecrabantur ejuſmodi ſimulacra, quibus ambigui vultus eſſent, prout dediſſent eis habitum, ita in diverſas facies numinum verterentur*. Quare de utroque Deo paræmiæ, ut: *Vertumno inconſtantior*; de mutabili mente homine. Deſider. Eraſm. Chiliad. 2. Cent. 2. Adag. 74. Et *Alter Janus*; de prudenti, & ſagaci. Idem Chiliad. 4. Cent. 2. Adag. 93.

Etruſcorum Rex quintus Aunus Janigena.

CAP. VII.

HUnc quartum, ut puto, Etruriæ Regem erui ex uno loco Silii Italici libr. 5. Punicor. ſtatim in principio:

Cœperat Etruſcos occulto milite colles
Sidonius ductor, perque alta ſilentia vallis
Silvarum anfractus cæcis inſederat armis;
At parte e læva reſtagnans gurgite vaſto
Effigiem in pelagi lacus exundabat, inerti,
Et late multo fœdabat proxima limo,
Quæ vada Janigenæ regnata antiquitus Auno,
Nunc volvente die Thraſimeni nomina ſervant.

Meminit alibi idem Poëta libr. 3. Punicor. *Auni*.

Apenninicolæ regnator filius Auni.

Ex quibus conſtat, Etruriæ Regem fuiſſe, quam cingit, &, ut ita dicam, mediam propugnat Apenninus, ut infra hoc Opere libr. 4. doceo.

 Etru-

Etruſcorum Regum Catalogus.

CAP. VIII.

Quia varia eſt, & perplexa Etruriæ Regum ſeries & ſucceſſio, nec tam veritati hiſtoricæ innixa, quam inutilium fabularum involucris obſcurata, fœdataque; idcirco priuſquam ad ſecundum ſtemma pergam, operæ pretium duxi, elenchum Etruſcorum Regum hic inſerere, ex Auctore Theatri Genealogici, Tomo 4. Sic itaque ille auctor:

1. *Janus, qui eſt Noe dictus, terram filiis, & nepotibus diſtribuit, anno mundi milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo nono.* Delirium apertum, Janum Etruriæ Regem velle facere, ac eundem Nohemum: qui nec venit in Italiam unquam, nec veniſſe potuit; ſed figmentum agnoſco Joannis Annii Viterbienſis. Annum certe, quo Janus regnare cœpit, vult probabilius Raphaël Volaterranus libr. 13. Commentarior. pag. 371. incidiſſe in mundi conditi *annum ter milleſimum octingeſimum octuageſimum.* Vide Jacobi Gordonii Scoti religioſi viri, Societatis Jeſu presbyteri Chronica.

2. Deſideratur.

3. Itidem non nominatur ab eo.

4. *Cam filius, qui & Camſes Camiſenna, ideſt infamis eſt dictus, & Saturnus, & Zoroaſter.* Zoroaſtrem, Saturnum, & Camum ferrem æquo animo confundi, niſi imperitiſſimi bonarum literarum homines Reges Tuſciæ eos facerent. Et quis unquam Zoroaſtrem, Bactrianorum vetuſtiſſimum Principem, in Etruriam appuliſſe, aut regnaſſe probatus Scriptor prodidit? Saturnum certe a Jano hoſpitio exceptum Poëtæ canunt: quod ut verum ſit, Latii ille, non etiam Tuſciæ Rex habetur. De quo nihil dicendum. Unicus Commodianus MS. ſufficiet, qui libr. 1. hæc ſcribit:

S aturnuſque ſenex, ſi Deus, Deus quando ſeneſcit?
A ut ſi Deus erat, cur natos ille vorabat
T erroribus actus? Sed quia Deus non erat ille,
V iſcera natorum rabie monſtroſa ſumebat.
R ex fuit in terris, in monte natus Olympo;
N ec divinus erat, ſed Deum ſeſe dicebat.
V enit inops animi, lapidem pro filio ſorpſit.
S ic Deus evaſit, dicitur modo Jupiter ille.

Filios ab ſe devoratos ipſe negat apud Lucianum in Saturnalibus ſta-

tim

tim in principio; ſed affirmant plerique Veterum. Mercurius Triſmegiſtus apud Lactant. libr. 1. de Fals. Rel. cap. 11. & paſſim Poëtæ. Nonnus Panopolitanus libr. 21. Dionyſiac. v. 249. & libr. 24. ejusdem operis v. 236. Is, quod filios devoraret, a Jove cum Titanibus catenatus fingebatur, & tantum ſuis feſtis, hoc eſt Saturnalibus ſolvebatur: quod ideo fabuloſe excogitatum, quod tempus in ſe redeat, Iſacius Tzetzes in Lycophronem: & tardiſſimus ſit motus ſtellæ Saturni. Lucian. loco laudato, & in libr. de Saltatione Arnob. libr. 4. Palladas vetus epigrammatarius Græcus libr. 1. Anthol. cap. 69. L Seneca Herc. Furent. Act. 4. Sc. 1. Stat. libr. Sil. ult. & libr. 8. Thebaid. v. 44. Martial. libr. 3. eleg. 29. Valer. Flaccus libr. 3. Argonaut.

. . . . fundo veluti cum Cæus in imo
Vincla Jovis, fractoque trahens adamante catenas
Saturnum, Tityumque vocat.

Dixi ad illud Claudiani libr. 1. de Raptu.

. . . . Saturni veteres laxabo catenas.

Quam de catenis fabulam ad motus illius, ut jam monui, tarditatem trahunt. L. Seneca libr. 7. Natural. Quæſtion. cap. 29. Lucianus libr. de Aſtrologia. Chriſtophorus Rufus libro de Antexegematis. Macrobius libr. 1. in Somn Scipionis cap. 19. & ex Apollodoro Verrium Flaccum reprehendit libr. 1. Saturnal. cap. 8. quos conſule. Ipſe vero ante fugam in Italiam ad Janum uſus eſt Titanum opera, de quibus hæc Commodianus MS. libr. 1. Num. 19. ſed corruptiſſime:

T *itanas vobis Tutanos dicitis eſſe,*
I *mmites tacitos ſub culmine veſtro rogatis.*
T *ot lares, ediculas, ſimulacra ficta Titano.*
A *doratis enim ſtulti malo leto defunctos*
N *on legem ipſorum legentes, non ipſi loquuntur.*
E *t Deos audetis æramine dicere fuſos.*
S *olveritis eos magis in vaſcula vobis.*

Eum cum Belo Deo Aſſyriorum confundunt, Ado Viennens. Chronic. parte 2. *Aſſyriorum Regnum & Sicyoniorum naſcitur; ſed primus in Aſſyriis regnavit Belus, quem quidam Saturnum exiſtimant.* Ex eo Florentius Vigornienſis Monachus Chronicor. cap. 16. *Aſſyriorum & Sicyoniorum regnum exortum eſt, quibus præfuit Belus, quem quidam Saturnum exiſtimant.* Gravis & pudendus error, neque enim unquam ſub eodem principe Aſſyrii & Sicyonii. Luctat. Placid. ad libr. 3. Thebaid. Statianæ v. 286. Gottofridus Viterbienſis Chronicor. parte 4. pag. 121. conſulatur. Servius Honoratus ad libr. 1. Æneid. in fine: *Primus* (de Belo loquitur) *Rex Aſſyriorum, ut ſupra dictum eſt, quos conſtat Saturnum, quem eundem & Solem dicunt, Junonemque coluiſſe: quæ numina etiam apud Afros poſtea culta ſunt, unde & lingua Punica Bal*

Deus

Digitized by Google

Deus dicitur; apud Aſſyrios autem Belduitur, quadam ſacrorum ratione, & Saturnus, & Sol. Alii hunc Belum Saturni temporibus regnaſſe, ejusdemque Dei hoſpitem fuiſſe tradunt. Hoc ipſum Silius Italicus libr. 1. Punicor. innuit:

Urbe fuit media ſacrum genitricis Elyſæ
Manibus, & Tyriis patria formidine cultum,
Quod taxi circum, & piceæ ſquallentibus umbris
Abdiderant, cœlique arcebant lumine templum.
Hoc ſeſe, ut perhibent, curis mortalibus olim
Exuerat regina loco: ſtant marmore mœſtæ
Effigies, Beluſque parens, omniſque nepotum
A Belo ſeries.

Adelmus Scotus libr. 1. de laud. Virginit. pag. 608.

Hic quoque deſtruxit Beli delubra nefandi
Flammibus ſcelerum mortis diſcrimina paſſus.

Claudiani locus male affectus e libr. 1. de laudib. Stilicon.

Thuris odorati cumulis, & meſſe Sabæa
Pacem conciliant aræ, penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos
Chaldeo ſtravere Magi: Rex ipſe micantem
Inclinat dextra pateram, ſecretaque belli
Et vaga teſtatur volventem ſidera mithram.

In MS. meo optimæ notæ tertius verſus erat:

. . . . *ignem*
Secretum rapuere adytis.

In quinto verſu idem MS. Codex diſerte:

. . . . .*ſecretaque Beli.*

Sed ad Catalogum intermiſſum redeo, & figmenta Annii perſequor.

5. *Sabatius Saga Jani pronepos, qui & Saturnus Caſpius eſt dictus, & Coritus, ideſt Rex, creatus eſt, obiit anno mundi* 2000.

6. *Cravus Razennus Coritus, ideſt Rex, a Jano patre ſeniſſimo creatus anno mundi* 2001. *vixit Rex annis* 61.

7. *Arnuus filius, obiit anno mundi* 2102. *regnavit autem annis* 40.

8. *Tages filius, dictus Malottages*, ideſt reſponſor & vates, *regnavit annis* 41. De eo infra pluribus agetur.

9. *Sicanus filius, a quo Sicania, ideſt Sicilia dicta, regnavit annis* 30. Hunc nemo, niſi Annius in catalogum Regum Etruſcorum poſuerit, licet in Italia quædam geſſerit.

10. *Evokii Iycii, quos Gygantes appellant, Italiam oppreſſerunt annis* 37. Quid ad Etruriæ Reges Gygantum in Italia tyrannis? ſed Annio res novæ erant dicendæ, pro more ſuo.

11. *Oſiris, qui dictus eſt Jupiter a juvando, & Apis, & Serapis, ideſt ſanctus & juſtus, regnavit annis* 10. Prodigium eſt Annio, niſi omnes celebriores gentium quarumcunque Deos inter Reges Etru-

riæ collocaverit. Et quis, te docuit, Ægyptiorum numina, quæ Romæ, niſi poſt ſexcenteſimum annum ab urbe condita, non fuerunt, in Tuſciam migraſſe? Deinde, ut verum id ſit, unde, & quo præceptore didiciſti, Apim, & Serapin *ſanctum & juſtum* ſignificare? Alii hiſtorici omnes & mythologi cum grammaticis, ut diſſerui libr. 2. Antiquitat. Romanar. cap. 22. at Annius, ut novas inauditaſque doctis hiſtorias comminiſci ſolet, ita & novam grammaticam condere non dedignabitur.

12. *Leſtrigo, qui ab Hercule poſt decennale bellum, quod Leſtrigonum dictum eſt, occiſus, regnavit annis* 33. Mirum ſane mihi, quod non & Cyclopas Leſtrigonibus adjunxerit, quos in Tuſcia collocare amentia eſt.

13. *Libius, cognomento Hercules, ideſt* totus pellitus, *vel Arno, ideſt* Leo celebris; *regnavit annis* 30. Totum hoc Annio debemus, Herculem Libyum idem eſſe ac *pellitum*, & Regem illum fuiſſe Etruriæ. Quo tempore? quibus annalibus? quo auctore?

14. *Tuſſus, vel Tuſcus filius, obiit anno mundi* 2316. *regnavit annis* 34.

15. *Alteus filius, obiit anno mundi* 2336. *regnavit annis* 20.

16. Deſideratur.

17. Etiam deficit.

18. *Camboblaſcon, vel Janus Junior, obiit anno mundi* 2409. *regnavit ann.* .....

19. *Jaſius filius, cognomento Ætion obiit ann.* 2458. *regnavit ann.* 49.

20. *Coryban filius, ſive Ban, qui Cornetum urbem condidit, obiit ann. mundi* 2499. *regnavit ann.* 41. Pulchra ſeries, Curetes etiam Corybantes pro Regibus Etruriæ complexa!

21. *Tyrrhenus, vel Toræbus, tanquam ſucceſſor Dardani, qui ipſi regnum ceſſit, obiit anno* 2549. *regnavit vero ann.* 51. O magnum Toræbi honorem, qui excluſo patre meruit regnare! Sed cur non Dardanus etiam inter Etruriæ Reges, cum Toræbo regnum ceſſerit? Hæc argui poſſunt, & penitus convinci ex iis, quæ dixi ſupra hoc opere libr. 1. cap. 3.

22. *Tarcon priſcus filius, obiit anno mundi* 2582. *regni vero* 34.

23. *Abas, vel Abios, vel Abantes, obiit anno mundi* 2598. *regni* 15. *Hic uni Regi tria nomina affingit!*

24. *Olanus, qui Olanum urbem, Mediolanum dictam, condidit, obiit anno mundi* 2621. *regni* 23.

25. *Veibenus, quaſi Vejorum filius, obiit anno mundi* 2669. *regnavit ann.* 48.

26. *Oſcus ab inſigni ſerpente, qui lingua Etruſca Oſcus dicitur, obiit anno mundi* 2686. *regnavit annis* 17. Ubi loci hoc proditum?

27. *Tarcon II. qui Cacum in Labyrinthum conjecit, obiit anno mundi* 2730. *regnavit ann.* 44.

28. *Tiberinus, ideſt injurator, Pelaſgos Italia pepulit, obiit anno mundi* 2765. *regni* 35. Videatur ſupra hoc libro cap. 5.

29.

29. *Mezentius, dictus Agillus, obiit anno mundi* 2782. *regnavit ann.* 17.

30. *Tarcon III. obiit anno mundi* 2805. *regnavit ann.* 23. Mira diligentia hic Annius tres Tarchontes Reges deprehendit, cum ne unus quidem inter Reges, niſi ægre, ſit reponendus.

31. *Ocnus Bianor, filius Tiberini & Mantuæ vatidicæ, qui Mantuam ædiſicavit, obiit anno mundi* 2854. *regnavit ann.* 49.

32. *Pipinus obiit anno* 2910. *regnavit ann.* 56. Antea Aſſyrii, Sicyonii, Ægyptii, Græci principes, Aſiaticique Reges in Etruriam ſunt ab Annio translati, nunc etiam Galli eodem jure veniunt; ſed cur, Anni, Pipino Regi Carolus Magnus filius non ſuccedit?

33. *Nicius Feſulanus Nicæam urbem condidit, obiit anno* 2957. *regnavit ann.* 47.

34. *Piſeus obiit anno mundi* 3009. *regnavit ann.* 52. Hic Annius ſine ullis annalibus, aut monimentis, annos unicuique regi aſſignat.

35. *Tuſcus Junior obiit anno mundi* 3048. *regnavit ann.* 39. Perge Anni.

36. *Annus, vel Anius, obiit anno mundi* 3073. *regnavit vero ann.* 25.

37. *Felſinus, qui Felſinam, hodie Bononiam, condidit, obiit anno mundi* 3106. *regnavit ann.* 33. Quam bene ſine abaco Annius ſupputat!

38. *Bon, ſive Bonus, qui Felſinæ in Bononiæ nomen mutavit, obiit anno mundi* 3134. *regnavit ann.* 28. Quam certa annorum digeſtio!

39. *Atrius, qui Atriæ nomen dedit, obiit anno mundi* 3161. *regnavit ann.* 27.

40. *Martius obiit anno mundi* 3179. *regnavit ann.* 18. Unde hæc, Anni.

41. *Etalus obiit anno mundi* 3209. *regnavit ann.* 30. Hæc quis, præter Annium, excogitavit?

42. *Cælius (anno ejus tertio cœpit Roma ædificari) obiit anno mundi* 3230. *regnavit ann.* 21.

43. *Galeritus Lucumo obiit anno mundi* 3250. *anno urbis conditæ* 38. *regnavit ann.* 21.

44. *Lucius, Lucumo Lucam urbem condidit, anno mundi obiit* 3275. *U. C.* 63. *regnavit ann.* 25.

45. *Cibitius Tuſcus obiit ann. mundi* 3358. *U. C.* 145. *regnavit ann.* 82. Vivacem! Principem, aut verius liberalem & munificum annorum Annium!

46. *Lucumo Cluſinus obiit anno mundi* 3395. *U. C.* 183. *regnavit ann.* 38.

47. *Rhætus, qui Rhætis in Alpibus nomen dedit, obiit anno mundi* 3415. *U. C.* 203. *regnavit ann.* 20. Vide libr. 1. ſupra hoc opere cap. 9. ubi fuſe de Coloniis a Rhæto in Alpes ductis actum.

48. *Hyellus Tuſcorum Lartes, obiit anno mundi* 3456. *U. C.* 244. qui annus fuit fuga Tarquinii inſignis: regnavit ann. 41.

49. *L. Porſena Cluſinus obiit anno mundi* 3514. *U. C.* 302. *regnavit ann.* 38.

50.

50. *Volumnius, a Cornelio Coſſo occiſus in pugna anno mundi* 3529. *U. C.* 318. *regnavit ann.* 16. Mirum ſane, Annio tandem veniſſe in mentem, ut Reges legitimos nominaret.

51. *Eques Tuſcus, Tuſcorum vel Etruriæ Rex, obiit anno mundi* 3576. *U. C.* 364. *regnavit ann.* 46. Annius legerat apud poëtas, Propertium, & Martialem, Mæcenatem *Equitem Etruſcum* vocari; ideo ſtatim Eques Tuſcus Etruriæ Rex fuit.

52. *Livius Fidenas obiit anno mundi* 3624. *U. C.* 412. *regnavit ann.* 48.

53. *Elbius Cæſus a Q. Fabio Rutiliano anno mundi* 3656. *U. C.* 444. *regnavit ann.* 32.

54. *Tyrrhenus regnum Romanis dedit, & finem regno impoſuit anno mundi* 3682. *U. C* 470. *regnavit ann.* 26. Hæc quam ſint falsa, & ab Annio ſomniata, vel grammatiſtarum pueri norunt; neque enim Tyrrhenus quiſquam eo ſeculo Rex fuiſſe legitur Etruriæ, nec regnum Romanis, ut ille ait, dedit, neque regno ſuo ceſſit unquam Rex ullus Etruriæ; ſed ad Vadimonis lacum cruento certamine fuſus Q. Ælius Volturrenus, ſeu Volaterranus, regno pariter ac vita exutus eſt, ut Livius abunde deſcribit, & ego ſuo loco plene diſſerui. Subjungit deinde inſulſiſſimus idem Theatri Genealogici Auctor ex eos dem Joanne Annio ſex alios Reges ſcilicet.

55. *Titum.*

56. *Volturrenum.*

57. *Cecinnam Volturrenum.*

58. *Menippum.*

59. *Menodorum.*

60. *Mæcenatem.*

Ut ſemel dicam, e ſexaginta hiſce Regibus, veri & legitimi tantum octodecim: atque illi neque rebus, nec tempore, nec nomine, ut oportuit, ab illo deſcripti: ceteri omnes commentitii, & ſine ulla annalium aut hiſtoriarum auctoritate, ſuppoſiti: quidam etiam ex aliis longinquis gentibus ridicule tranſlati. Sed miſſa hæc facio.

Catalogus alter Etruſcorum Regum.

CAP. IX.

ALia Regum Tuſcorum nomenclaturam ſuppeditavit mihi, ex Hieronymi Bardi Florentini, viri pii & diligentis Chronico, Reverendiſſ. D. Raphaël Roncionius Archipresbyter Piſanus, patricia quidem gente illuſtris, ſed eruditione longe clarior. In eo itaque opere Reges Etruriæ triginta tres hoc ordine recenſentur:

1. Mezentius.
2. Tarcon.
3. Ocnus Bianor.
4. Pipinius.
5. Nicius. Is eſt Fæſulanus.
6. Piſeus.
7. Tuſcus Junior.
8. Amnus.
9. Felſinus.
10. Bonus.
11. Arrius. Puto, Atrius ſcribere voluit.
12. Marſyas.
13. Etalus.
14. Cœlius. Hic eſt Vibennus.
15. Galeritus Lucumo.
16. Cibitius.
17. Lucumo Cluſinus.
18. Rhætus.
19. Hiellus.
20. Porſena Cluſinus.
21. Tolumnus Vejentanus.
22. Æquus Tuſcus.
23. Lucius Fidenas
24. Turrenus.
25. Titus.
26. Voltorrenus.
27. Cæcinna.
28. Menippus.
29. Menodorus.
30. Mæcenas.
31. Sejanus.

32. Scen-

32. Scenninus.
33. Vitus Ferentinus.

Plerique ſane iſtorum vel ex Annio Viterbienſi deſumpti, vel non Reges fuerunt, ſed tantum optimates, Etruria oriundi, aut ut ſummum, a Regibus priſcis Etruriæ orti, ut ſuis locis dicetur.

Etruſcorum Regum ſecundum ſtemma: Coritus Rex, Filius Jovis, pater Jaſii & Dardani, qui Trojam in Aſia condidit: urbs & mons in Etruria eo nomine.

CAP. X.

Janigenarum Principum, quos ſubditorum amor inter Deos numeravit, quibuſque merita inſignia divinitatem pepererunt, ſucceſſores leguntur Coriti Reges, ut ex Catone obſervavit Petrus Gregorius Toloſas libr. 18. Syntagmat. Jur. cap. 2. num. 19. Horum etiam, non minus quam Janigenarum, obſcura geſta, & veluti longævæ antiquitatis ſubmerſa tenebris, ut potero, eruam.

1. Primus hujus ſtemmatis cenſetur *Coritus Rex*, de quo Servius in libr. 3. Æneid. pag. 275. *Jaſius & Dardanus fratres fuerunt, Jovis & Electræ filii: vel, ut quidam volunt, Dardanum de Jove, Jaſium de Corito procreatum, de cujus nomine & mons & oppidum nomen accepit: poſtea Jaſium dicitur Dardanus occidiſſe. Hi tamen fratres cum ex Etruria propoſuiſſent ſedes exteras petere, profecti, & Dardanus quidem contracta in Troja juventute Dardaniam urbem condidit, a quo Trojanorum origo crevit; Jaſius autem Samothraciam cœpit, & ibi liberum locum imperio tenuit. Alii dicunt, utrumque ex Corito Jovis filio procreatos, & ſicut dictum eſt, relicta Italia profectos, ſed Jaſium Samothraciam imperio tenuiſſe, Dardanum vero in Phrygiam perveniſſe, ibique auxilio fuiſſe Teucro Scamandri filio, qui tum finitimas gentes bello ſubigebat, filiamque ejus duxiſſe in matrimonium, & poſt mortem ſoceri regnum adeptum, Dardaniam Trojanam regionem ab ſuo nomine appellaſſe. Græci & Varro Humanarum Rerum, Dardanum non ex Italia, ſed ex Arcadia, urbe Pheneo, oriundum dicunt.* Locus egregius, in quo duo præclara ad tantæ gentis gloriam illuſtrandam: Coritum Regem Jovis filium habitum, quod de Alexandro Macedone & aliis notant hiſtorici, eximiæ nobilitatis & ſummæ prudentiæ fuiſſe argumentum: alterum, Dardanum Trojæ auctorem, Etruſci Regis filium, & Tuſcum fuiſſe; quo quid magnificentius excogitari poteſt? De eodem Corito idem

Servius Maurus ad libr. 3. Æneid. v. 170. *Quidam autem de Corito*, inquir, *hauc ſabulam tradunt. Dardanus cum equeſtri prœlio ab Aborigiuibus pulsus galeam perdidiſſet, propter quam reſiſteus, & in audaciam ſuos reducens, victoriam adeptus eſt; tum ob rem feliciter geſtam, oppidum, ubi galeam amiſerat, condidit, cui Corito nomen indidit, eo quod Græce Coris galea dicitur, vel Coritum montem, in quo Coritus Tuſciæ Rex ſepultus eſt.* Regum ſepulturas in montibus primis ſeculis ſolere dedicari, alibi hoc libro docui. Ipſe Virgil. loco laudato:

Surge age, & hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitauda refer, Coritum, terraſque require
Auſonias.

Idem doctiſſimus Grammaticus ad libr. 7. Æneid. pag. 458. *Jupiter cum Electra Atlantis filia, Coriti Regis Italiæ uxore, concubuit; ſed ex Jovis ſemiue natus eſt Dardanus, ex Coriti Jaſius: Dardanus profectus in Phrygiam, Ilium condidit: Jaſius vero Thraciam tenuit, ubi eſt Samos, quam hic Samothraciam nominavit.* Virgil. loco eodem v. 205. tanquam de re vetuſtiſſima ſub perſona Larini:

Atque equidem memini (fama eſt obſcurior annis)
Auruncos ita ferre ſenes, his ortus ut agris
Dardanus, Idæas Phrygiæ penetravit in urbes,
Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Coriti Tyrrhena a ſede profectum
Aurea nunc ſolio ſtellantis regia cœli
Accipit.

Denuo idem Servius Honoratus ad libr. 9. Æneid. pag. 534. in ipſo principio: *Coriti autem*, inquir, *montis Tuſciæ, quia, ut diximus, nomen accepit a Corito Rege, cum cujus uxore concubuit Jupiter, unde natus eſt Dardanus.* Ipſe Poëta ibidem loci v. 7. de Æneæ poſt fœdus cum Etruſcis ſacrum initum, in Tuſciam profectu:

Æneas urbe, & ſociis, & claſſe relicta
Sceptra Palatini, regnumque petivit Evandri,
Nec ſatis, extremas Coriti penetravit ad urbes,
Lydorumque manum collectos armat agreſtes.

Iterum Servius idem Honoratus ad libr. 10. Æneid. pag. 610. pulchre ſane: *Coritus eſt & Tuſciæ civitas, & mons, & Dardani pater Rex, unde ad quoſvis poteſt referri de finibus Coriti.* Dixerat Maro v. 718.

Venerat antiquis Coriti de finibus Acron
Grajus homo.

A Principe itaque mons, & civitas nomen duxit. Servio toties laudato, & ſæpius laudando teſte ad libr. 3. Æneid. pag. 270. *Dardanus Jovis filius, & Electræ, profectus de Corito civitate Tuſciæ, primus venit ad Trojam.* Idem eſt corruptus ad libr. 1. Æneid. pag. 196. nam cum Virgilius dixiſſet:

Italiam quæro patriam . . . .

Do-

doctiſſimi Grammatici ſunt hæc: *Hoc eſt Corinthum, Tuſciæ civitatem, unde Dardanus fuit*. Corrige manifeſto ſenſu, & ex dictis legere non dubita: *Hoc eſt Coritum, Tuſciæ civitatem*. Par error in eodem hæſit ad libr. 7. Æneid. pag. 458. *Coriti, oppidum & mons dicti a Rege Corinthi, ut putantur a quibusdam, patre Dardani bis ſepulto dicti*. Reſtitue facili negotio, & lege: *a Rege Coriti*. Sic poëtæ intelligendi. D. Juvenal. Sat. 8. v. 64. de monte, ubi equi generoſi naſcebantur, uti & Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 1. pag. 12.

At venale pecus Corithi poſteritas.

Ubi turpiter lapſus Vetus Scholiaſtes, qui in Achaja locum eum eſſe interpretatur, quem conſtat in Etruria poni. Rutil. Numatian. libr. 1. Itiner. ad finem.

Qualis nunc Decii Lucilli nobile pignus
Per Coriti populos arva beata regit.

Sil. Italic. libr. 4. Punicor.

Ergo agitur raptis præceps exercitus armis
Lydorum in populos, ſedemque ab origine priſci
Sacratam Coriti, junctoſque a ſanguine avorum
Mæonios Italis permixta ſtirpe colonos.

Idem libr. 5. Punicor.

An Corvine ſedet, clauſum ſe conſul inerti
Ut teneat vallo, Pœnus nunc occupet altos
Arreti muros, Corithi nunc diruat arcem,
Hinc Cluſina petat?

Pudet, pigetque adferre, quæ in Pſeudoberoſo leguntur libr. 5. Deflorat. Hiſtor. quam Annius pro magni Beroſi ſcriptis ſuppoſuit: *Priſci Reges eligebant ſibi ſucceſſores in regno, quos vocabant Coritos, hoc eſt Jones vel baſtatos, ita Sabatius Saga creatus Coritus a Jano, Hercules Tuſcum e Janigenis creavit ſibi Coritum, Morges filius Itali creavit Coritum ſibi cognatum ſuum Cambolaſſionem*. O quæ monſtra ſucceſſionum! De Coritis Regibus audiendus Joann. Tzetzes Hiſtor. Chiliad. 4. cap. 4.

Παῖς τῶν Κοριτῶν ὁ πάνσοφος ἐκεῖνος
Puer Coritorum ſapientiſſimus ille.

Cata-

Catalogus tertius Etruſcorum Regum, a duobus aliis paulo diverſus.

CAP. XI.

CUm hæc ſcriberem, incidi in hiſtoriam Bononienſem, Italice ſcriptam mediocri fide, & exacta diligentia a R. P. Cherubino Ghirardacchio Auguſtiniano Bononienſi: in ea ſtatim in limine Regum Tuſcorum ſeries quædam erat, quam non indignam hoc loco cenſui. Sic itaque verba ipſius ſonant Latine:

1. *Tiberinus, a quo nomen ſuum Tibris, prius amnis Albula, ſumpſit, incæpit regnare anno mundi* 2736. *ante natum aſſertorem humani generis annis* 1225. *regnavit ann.* 30.

2. *Ocnus Bianorus filius poſthumus Regis Tiberini*, hujus, quem Jani filium ſupra docui, *incæpit regnare anno mundi* 2785. *ante natum Chriſtum ann.* 1176. *obiit natus ann.* 99. *regnavit ann.* 70.

3. *Pipinus incæpit regnare anno mundi* 2855. *ante ſalutiferum partum ann.* 1106. *regnavit ann.* 56.

4. *Nicius incæpit regnare anno mundi* 2911. *ante partum Virginis ann.* 1050. *regnavit ann.* 37.

5. *Piſeus incæpit regnare anno mundi* 2948. *ante Salvatorem natum ann.* 1013. *regnavit ann.* 52.

6. *Tuſcus Junior incæpit regnare anno mundi* 3000. *ante Deiparæ partum ann.* 961. *regnavit ann.* 39.

7. *Amnus incæpit regnare anno mundi* 3039. *ante gratiam ann.* 922. *regnavit ann.* 25.

8. *Felſinus incæpit regnare anno mundi* 3064. *ante Verbum Incarnatum ann.* 897. *regnavit ann.* 33.

9. *Bonus incæpit regnare anno mundi* 3097. *ante ſalutem partam ann.* 864. *regnavit ann.* 28.

10. *Atrius incæpit regnare anno mundi* 3125. *ante Chriſti adventum ann.* 836. *regnavit ann.* 37.

11. *Marſyas incæpit regnare anno mundi* 3152. *priuſquam Chriſtus naſceretur ann.* 809. *regnavit ann.* 18.

12. *Etalus incæpit regnare anno mundi* 3170. *ante Virgineum partum ann.* 791. *regnavit ann.* 31.

13. *Cælius incæpit regnare anno mundi* 3200. *antequam Virgo pareret ann.* 761. *regnavit ann.* 21.

14. *Galeritus Lucumo incæpit regnare anno mundi* 3222. *ante Chriſti adventum ann.* 739. *regnavit ann.* 20.

15. *Lu-*

15. *Lucius Tuſcus incœpit regnare anno mundi* 3242. *ante Virginis partum* 719. *regnavit ann.* 25.

16. *Cibitius incœpit regnare anno mundi* 3267. *ante Virginem matrem factam ann.* 394. *regnavit ann.* 82.

17. *Lucumo Cluſinus incœpit regnum anno mundi* 3321. *ante datam ſalutem ann.* 360. *regnavit ann.* 38.

Hucuſque ille hiſtoriæ ſuæ convenienter recenſuit Etruriæ Reges, & nos ſuis locis exequemur.

Etruſcorum Regum ſtemma tertium: dicti illi Larthes, & Larthenianum Regia: iidem Claræ & Magni appellati: non a Laribus ſumptum nomen: qui Lares, & Lar, ſeu Lars primus ex ea familia: opima ſpolia a Cornelio Coſſo oblata.

CAP. XII.

HÆc tertia eſt vetuſtiſſimorum Etruriæ Regum linea, adeo ut pro quolibet Rege *Lar* dicatur, & horum Regia diu *Larthenianum* vocata reperitur, ut eſt dicendum libr. 5. hoc opere infra: cujus quidem civitatis, ut multarum aliarum, nullum veſtigium ſupereſt. Hoc nomen fuiſſe Regum plurium, inferius aperietur; nam & *Lars*, ſeu *Lar Porſena*, & *Lars* ſive *Lar Tolumnius*, ille Cluſinorum, hic Vejentum Rex; quin imo putavere quidam, *Lar* quemlibet Regem ſignificare. Hadrian. Turnebus libr. 18. Adverſar. cap. 1. *Lar, quod nomen ſæpenumero legimus, adeo ut in prænomen abierit, videtur Ducem ſignificare, vel Regem; nam Auſonius Viridomarum Gallorum Ducem, quem interfecit Marcellus, cuique opima ſpolia detraxit, Aremoricum Lartem, ideſt Gallicum ducem appellat, ab Aremoricis populis Galliæ, quos multi Aremoricos, quam Armoricos vocare malunt.* D. Auſonius in Monoſyllabis:

Tertia opima dedit ſuperatus Aremoricus Lars.

P. Ovidius in epigrammatis, quæ penitus perierunt, niſi Priapeja illa obſcæna, quæ circumferuntur incerto auctore, ejus ſint:

Larte ferox cæſo Coſſus opima tulit.

Priſcianus Cæſarienſis grammaticus libr. 5. *Lar ſi familiaris eſt, facit Laris, ſi Tolumnii Porſenæ, Lartis.* Sed locus eſt indubie corruptus; neque enim ullus Rex Tolumnius Porſena, ſed duo ſunt, octuaginta an-

annorum ſpatio ætatibus disjuncti, atque hic Cluſinis, ille Vejentibus imperans, ut dixi. Franciſcus Robortellus, reprehenſo gravius Carolo Sigonio, locum bene reſtituit libr. 1. Emendat. cap. 26. *Lar, ſi familiaris eſt, facit Laris, ſi Tolumnii & Porſenæ, Lartis*. Vult enim antiquus grammaticus, Regum Etruriæ hoc nomen fuiſſe, oſtendere & duos illos, magnis rebus cum populo Romano geſtis, claros, ex hac familia, ſeu verius appellatione iſta inſignitos; veluti in Francia Meringenæos, aut Meronæos, Capetos, Valeſios, ac Barbonios gentilitia Regum nomina ſcimus, in Scotia Comineos, Bruſeos, Stuartos loquuntur Annales, hæreditario jure imperia ſortitos; ita in veteri illa, nec unquam niſi obiter memorata Regum Etruſcorum ſucceſſione, quidam Janigenæ, quidam Coriti, nonnulli Lartes, ac demum alii Lucumones appellati. Ad incœptum de Larte ſermonem regredior.

Valer. Max. libr. 10. *Lar Lartis prænomen eſt, ſumptum a Laribus, Tuſcum autem creditum eſt prænomen eße, fuitque Conſul Lar Herminius cum T. Virginio Tricoſto*. Ex quo loco liquet & Romam hoc cognomen, ſive prænomen migraſſe, fuiſſeque apud Tuſcos magnæ dignationis vocabulum. Addam & Caroli Sigonii verba libr. de Nominibus Romanis: *Lartis prænomen, ut tradit Valerius, a Laribus ſumptum eſt; Tuſcum autem ante creditum eſt eſſe, fuitque Conſulis Herminii, idem fere Chariſius, & Priſcianus* (verba ſupra ſunt poſita) *& Servius in 6. Æneidos, Lar Tolumnius a Coſſo occiſus, a loco dictus eſt; flectitur autem Lar Lartis. Et Livius libr. 4. Daturos, quod Lar Tolumnius dediſſet. Et Cicero Philippica 9. Lar Tolumnius Vejentum Rex. De Larte Porſena Dionyſius libr. 5. Quod autem Herminii conſulis fuerit, ut ait Valerius, id ex Dione libr.* 6. (atqui triginta quatuor primi libri Dionis deſiderantur, malignitate, ut credo, Joannis Xiphilini, qui in Epitomen redegerat, ſed hoc eſt apud Halicarnaſſeum libr. 11. pag. 729.) *quoque cognoſcitur, a quo ita anno tercenteſimo tertio ſcribitur* λάρος Ἑρμίνιος, *& a Diodoro* λαρίνος Ἑρμίνιος. *Ex his autem intelligi poteſt, quam vere ſcripſerint quidam in libris de nominibus, ita poſtquam in Urbem migrarunt Sabini, duplicari nomina cœperunt, ut Numa Pompilius, Servius Tullius, Lares Porſena, quamvis hoc nomen Etruſcum fuerit, in quo prænomine, Lartes, ſciendum, veteres, eo veluti prænomine uſos. Servius interpres Virgilianus ab oppido dictum putat: itidem Plutarchus in Publicola exiſtimavit, qui tamen* λαΐρτης *ſcribit, ſed male. Hæc illi; quam autem vere, ipſi viderint, neque enim Lartes Porſena duobus tantum nominibus uſus eſt, cum ex Tolumnii gente fuerit, Chariſio, quem antea nominavi, auctore: nec Lartes in recto caſu dicitur, ſed Lar, quod ſuperioribus teſtimoniis comprobatum: nec Servius ab oppido Lartem dictum ait, ſed a loco: nec item Plutarchus ullo in libro, nedum in Publicola, ab oppido dictum ait; neque enim eſt in Plutarcho* λαΐρτης, *ſed* λάρος; *inquit enim* ἐκέλευσε, λάραν Πορσίναν, *cum ſit legendum ex Dionyſio* τὸν λάρον Πορσίναν. *Cur igitur hoc illi dixerunt? quia interpretem legerunt, qui ita* ver-

vertit; ſupplex ad Laërtem Porſenam confugit; illi vero in Græcis libris verſati, quicquid in Græco Codice eſſe deberet, intelligentes, illud, quod non erat, eſſe affirmarunt. Hæc Sigonius, qui alios reprehendit, ipſe jure potiori redarguendus; nam neque Porſena ex Tolumnii gente, cum corruptus ſit Codex Chariſii, ut & Priſciani, & copula interpoſita utriuſque grammatici verba legenda ſunt: & ſi verum ſit utrumque ex gente Tolumnia, tamen Tolumnius Vejentium Rex multis annis poſt Porſenam fuit; ideoque Tolumnius ex gente Porſenæ, non Porſena ex gente Tolumnii debere dici videretur. Et plura Porſenæ nomina fuerunt, ſcilicet *Magnus* & *Claras*. Plutarch. Publicola pag. 105. Et Joann. Tzetzes Chiliad. Hiſtoriar. 6. cap. 39.

Λάρτας Πορσῆνας Τυῤῥηνὸς, ἢ Κλάρας τε Πορσῆνας,

Lartes Porſenna Etruſcus, aut Claras Porſenna.

Utrumque itaque prænomen ei aſſignat, *Lartis* & *Claræ*. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 5. pag. 293. eundem *Magni* cognomento inſignitum comperio: & Rex Etruſcorum Porſena Magnus dictus. Silius Italicus libr. 8. Punicor.

. . . . . antiquus Romanis mænibus horror

Ciuſinum vulgus, cum Porſena MAGNE jubebas

Nequicquam pulſos Romæ imperitare Superbos.

Quis primus fuerit eo nomine, qui Regnum Etruriæ occupaverit, haud facile dixerim: antiquiorem Porſena liquet, quia ejus familiari ſeu gentilitio *Lartis* nomini adjecta alia duo, *Claras* & *Magnus*, ut ſcilicet ab aliis Lartibus diſtingueretur. Servius Honoratus ad libr. 6. Æneid. pag. 445. *Hic Lartem Tolumnium Tuſcorum Regem a loco dictum occidit, & ſecunda poſt Romulum opima ſpolia revocavit.* De quibus opimis ſpoliis abunde Tiraquellus in Alexandrum ab Alexandro libr. 1. Genial. Dier. cap. 14. & infra hoc libro ex profeſſo agetur.

Lartis nomen, quod Etruriæ Regum fuit, ante Porſenam, ſimplex fuit, dicebaturque LAR Rex Etruſcorum, a quo poſteri Lartes dicti. Errat Valerius Maximus, qui ſupra hoc capite *a Laribus* derivari putat, cum ſit vocabulum Etruſcum; tamen ne lector diligentiam noſtram deſiderare poſſit, de Laribus, in rudiorum tironum gratiam, pauca ſubjungam. *Lares* certe non Romani modo, ſed & Ægyptii habebant. Macrob. libr. 1. cap. 19. Saturn. Et domi quiſque ſuæ *Lararium* hædinis pellibus contectum, laneiſque coronis ornatum quotidie colebat. Æl. Lamprid. Alexandro Severo. Cujus origo inde profluxit, quod nulla alia parentibus ſepulchra filii deſignarent, quam ſub foco domi. Florens Tertullianus libr. de Reſurrect. Carn. *Scilicet quod apud majores olim homines in domibus ſuis ſepeliebantur.* Quod poſtea lege lata prohibitum narrat Iſidorus libr. 15. Etymologiar. cap. 11. *ne fœtore ipſo corpora viventium contacta inficerentur.* Servius Honoratus ad illud libr. 5. Æneid. pag. 364.

Præterea ſi nona diem mortalibus almum

annorum ſpatio ætatibus disjuncti, atque hic Cluſinis, ille Vejentibus imperans, ut dixi. Franciſcus Robortellus, reprehenſo gravius Carolo Sigonio, locum bene reſtituit libr. 1. Emendat. cap. 26. *Lar, ſi familiaris eſt, facit Laris, ſi Tolumnii & Porſenæ, Lartis.* Vult enim antiquus grammaticus, Regum Etruriæ hoc nomen fuiſſe, oſtendere & duos illos, magnis rebus cum populo Romano geſtis, claros, ex hac familia, ſeu verius appellatione iſta inſignitos; veluti in Francia Meringenæos, aut Meronæos, Capetos, Valeſios, ac Barbonios gentilitia Regum nomina ſcimus, in Scotia Comineos, Bruſeos, Stuartos loquuntur Annales, hæreditario jure imperia ſortitos; ita in veteri illa, nec unquam niſi obiter memorata Regum Etruſcorum ſucceſſione, quidam Janigenæ, quidam Coriti, nonnulli Lartes, ac demum alii Lucumones appellati. Ad incœptum de Larte ſermonem regredior.

Valer. Max. libr. 10. *Lar Lartis prænomen eſt, ſumptum a Laribus, Tuſcum autem creditum eſt prænomen eße, fuitque Conſul Lar Herminius cum T. Virginio Tricoſto.* Ex quo loco liquet & Romam hoc cognomen, ſive prænomen migraſſe, fuiſſeque apud Tuſcos magnæ dignationis vocabulum. Addam & Caroli Sigonii verba libr. de Nominibus Romanis: *Lartis prænomen, ut tradit Valerius, a Laribus ſumptum eſt; Tuſcum autem ante creditum eſt eſſe, fuitque Conſulis Herminii, idem fere Chariſius, & Priſcianus* (verba ſupra ſunt poſita) *& Servius in 6. Æneidos, Lar Tolumnius a Coſſo occiſus, a loco dictus eſt; flectitur autem Lar Lartis. Et Livius libr. 4. Daturos, quod Lar Tolumnius dediſſet. Et Cicero Philippica 9. Lar Tolumnius Vejentum Rex. De Larte Porſena Dionyſius libr. 5. Quod autem Herminii conſulis fuerit, ut ait Valerius, id ex Dione libr.* 6. (atqui triginta quatuor primi libri Dionis deſiderantur, malignitate, ut credo, Joannis Xiphilini, qui in Epitomen redegerat, ſed hoc eſt apud Halicarnaſſeum libr. 11. pag. 729.) *quoque cognoſcitur, a quo ita anno tercenteſimo tertio ſcribitur* λάρος Ἑρμίνιος, *& a Diodoro* λαρίνος Ἑρμίνιος. *Ex his autem intelligi poteſt, quam vere ſcripſerint quidam in libris de nominibus, ita poſtquam in Urbem migrarunt Sabini, duplicari nomina cœperunt, ut Numa Pompilius, Servius Tullius, Lares Porſena, quamvis hoc nomen Etruſcum fuerit, in quo prænomine, Lartes, ſciendum, veteres, eo veluti prænomine uſos. Servius interpres Virgilianus ab oppido dictum putat: itidem Plutarchus in Publicola exiſtimavit, qui tamen* λάρτης *ſcribit, ſed male. Hæc illi; quam autem vere, ipſi viderint, neque enim Lartes Porſena duobus tantum nominibus uſus eſt, cum ex Tolumnii gente fuerit, Chariſio, quem antea nominavi, auctore: nec Lartes in recto caſu dicitur, ſed Lar, quod ſuperioribus teſtimoniis comprobatum: nec Servius ab oppido Lartem dictum ait, ſed a loco: nec item Plutarchus ullo in libro, nedum in Publicola, ab oppido dictum ait; neque enim eſt in Plutarcho* λάρτης, *ſed* λάρος; *inquit enim* ἐκέλευσε, λάρον Πορσίναν, *cum ſit legendum ex Dionyſio* τὸν λάρον Πορσίναν. *Cur igitur hoc illi dixerunt? quia interpretem legerunt, qui ita*

ver-

Digitized by Google

vertit; ſupplex ad Laërtem Porſenam confugit; illi vero in Græcis libris verſati, quicquid in Græco Codice eſſe deberet, intelligentes, illud, quod non erat, eſſe affirmarunt. Hæc Sigonius, qui alios reprehendit, ipſe jure potiori redarguendus; nam neque Porſena ex Tolumnii gente, cum corruptus ſit Codex Chariſii, ut & Priſciani, & copula interpoſita utriuſque grammatici verba legenda ſunt: & ſi verum ſit utrumque ex gente Tolumnia, tamen Tolumnius Vejentium Rex multis annis poſt Porſenam fuit; ideoque Tolumnius ex gente Porſenæ, non Porſena ex gente Tolumnii debere dici videretur. Et plura Porſenæ nomina fuerunt, ſcilicet *Magnus* & *Claras*. Plutarch. Publicola pag. 105. Et Joann. Tzetzes Chiliad. Hiſtoriar. 6. cap. 39.

Λάρτας Πορσέννας Τυῤῥηνὸς, ἢ Κλάρας τε Πορσέννας,
Lartes Porſenna Etruſcus, aut Claras Porſenna.

Utrumque itaque prænomen ei aſſignat, *Lartis* & *Claræ*. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 5. pag. 293. eundem *Magni* cognomento inſignitum comperio: & Rex Etruſcorum Porſena Magnus dictus. Silius Italicus libr. 8. Punicor.

. . . . . antiquus Romanis mœnibus horror
Cluſinum vulgus, cum Porſena MAGNE jubebas
Nequicquam pulſos Romæ imperitare Superbos.

Quis primus fuerit eo nomine, qui Regnum Etruriæ occupaverit, haud facile dixerim: antiquiorem Porſena liquet, quia ejus familiari ſeu gentilitio *Lartis* nomini adjecta alia duo, *Claras* & *Magnus*, ut ſcilicet ab aliis Lartibus diſtingueretur. Servius Honoratus ad libr. 6. Æneid. pag. 445. *Hic Lartem Tolumnium Tuſcorum Regem a loco dictum occidit, & ſecunda poſt Romulum opima ſpolia revocavit.* De quibus opimis ſpoliis abunde Tiraquellus in Alexandrum ab Alexandro libr. 1. Genial. Dier. cap. 14. & infra hoc libro ex profeſſo agetur.

Lartis nomen, quod Etruriæ Regum fuit, ante Porſenam, ſimplex fuit, dicebaturque LAR Rex Etruſcorum, a quo poſteri Lartes dicti. Errat Valerius Maximus, qui ſupra hoc capite *a Laribus* derivari putat, cum ſit vocabulum Etruſcum; tamen ne lector diligentiam noſtram deſiderare poſſit, de Laribus, in rudiorum tironum gratiam, pauca ſubjungam. *Lares* certe non Romani modo, ſed & Ægyptii habebant. Macrob. libr. 1. cap. 19. Saturn. Et domi quiſque ſuæ *Lararium* hædinis pellibus contectum, laneiſque coronis ornatum quotidie colebat. Æl. Lamprid. Alexandro Severo. Cujus origo inde profluxit, quod nulla alia parentibus ſepulchra filii deſignarent, quam ſub foco domi. Florens Tertullianus libr. de Reſurrect. Carn. *Scilicet quod apud majores olim homines in domibus ſuis ſepeliebantur.* Quod poſtea lege lata prohibitum narrat Iſidorus libr. 15. Etymologiar. cap. 11. *ne fœtore ipſo corpora viventium contacta inficerentur.* Servius Honoratus ad illud libr. 5. Æneid. pag. 364.

Præterea ſi nona diem mortalibus almum

Digitized by Google

Aurora extulerit.

Et ad illud lib. 6. Æneid. pag. 408.

Sedibus hunc refer ante ſuis.

Apud majores (*ut ſupra diximus*) *omnes in ſuis domibus ſepeliebantur*; *Unde etiam umbras* larvas *vocamus*; *nam dii penates alii ſunt*. Unde ortum eſt, ut Lares colerentur in domibus. Ex hac conſuetudine derivatum eſt, ut domus pro ſepulchro ponatur. M. Valerius Probus libello de Notis. *D. M. Domus mortuorum*. L. 4. C. de ſepul. viol. Conſtantinus Aug. *qui ſepulchra violant*, *domos*, *ut ita dixeris*, *defunctorum*. Vetus marmoris fragmentum.

AETERNAS. SINE. FINE. DOMOS.
MORS. INCOLIT. ATRA.
PERPETUOSQUE. LENIS. POSSIDET. UMBRA. LARES.

Et *Lar familiæ pater* apud M. Plautum in prologo Aululariæ: dictuſque *Preſtes*, quod domui præeſſet. P. Ovid. libr. 5. Faſtor.

Præſtitibus Majæ Laribus venere Calendæ.

Illis Diis domeſticis, tanquam familiæ cuſtodibus, pueri puberes facti, ſumpta virili toga, bullas, quas nobilitatis & pueritiæ argumenta geſtabant, ſuſpendere ſolebant, Porphyrio. Vetus Grammaticus ad illud Horatii libr. 1. Sat. 5.

. . . . . . *donaſſet jamne catenam*
Ex voto Laribus . . .

Pſeudo-cornutus ad illud A. Perſii Satyr. 5.

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Milites poſt emerita ſtipendia & ipſi arma ſua illis dicabant. Ovid. libr. 4. Triſt. Eleg. 7.

Miles ut emeritis non eſt ſatis utilis armis,
Ponit ad antiquos quæ tulit arma Lares.

Denique quidquid carum videbatur, iis conſecrabatur. Liv. 4. Decad. libr. 4. *Pennarius Laribus ſuſpendit molles pilas*, *reticula*, *ſtrophia*. Haud dubie Livius eſt imitatus illud M. Varronis in Satyra Seſqui Ulyſſe apud Nonium:

Suſpendit Laribus marinas molles pilas
Reticula, *&* *ſtrophia*.

Sed quæ nam illæ marinæ pilæ? locum puto eſſe depravatum, legendumque:

Suſpendit Laribus myrrhinas, *molles pilas*.

Ara, inquam, illis focus erat. M. Cato de Re Ruſt. cap. 143. Helenius Acro ad Od. 2. Epodon Horatii. Atque hi vel privati erant, vel publici, privati ſive domeſtici. L. Apulejo ſignificantur libr. de Deo Socratis: *Qui pacato & quieto numine domum poſſident*. Sueton. Calig.

Calig. cap. 5. C. Saluſtius in Catilinaria. Tertullian. Apologet. cap. 13. Plutarch. Problemat. Roman. cap. 51. Publici vero, & urbani, & compitalitii, & viales dicti. Ovid. libr. 5. Faſtor.

Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus urbis.

M. Lucan. libr. 1. Pharſal. ad finem.

. . . . urbiſque labores
Teſtatos ſudore Lares.

Marial. libr. 3. Epigr. 31.

Urbanique tenent prædia culta Lares.

Hos Turnebus libr. 29. Adverſarior. cap. 13. putat *Hoſtilios* dici; quod hoſtes ſubmoveant, domumque ab incurſu hoſtili tueantur. Feſt. Pomp. libr. 8. Sext. Propert. libr. 3. Eleg. 2.

Hannibalemque Lares Romana ſede fugantes.

Uti domibus, urbibuſque præeſſe credebantur, ita & viis; unde *viales* illis nomen, & *compitales*. Plaut. in Mercatore Act. 5. Sc. 2.

Vos Lares viales, ut me bene juvetis.

Arnob. libr. 3. Contr. Gent C. Plin. libr. 36. cap. 27. M. Valer. Maxim. libr. 1. cap. 6. Fl. Eutrop. libr. 1. Hiſtor. Rom. L. Seneca libr. 3. Controv. 9. Aſcon. Pædian. in Piſonianam. Sueton. Auguſto cap. 31. M. Cicero libr. 7. ad Atticum Epiſt. 7. Junius Philargyrius ad libr. 2. Georgicon v. 381. D. Auſon. Eidyll. 25.

Et nunquam certis redeuntia feſta diebus,
Cum ſua per vicos compita quiſque colit.

P. Ovid. libr. 2. Faſtor.

. . . . geminoſque parit, qui compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares.

Nævius poëta antiquiſſimus in Tunicularia, apud Feſtum:

Theodotum compellas, qui aras compitalibus
Sedens in cella circumtectas tegetibus
Lares ludentes peni pinxit bubulo.

Sed ſatis. qui plura de his cupis, vide, præter criticos, Antiquitates meas Romanas, & maxime libr. 4. cap. 9. Ego ad Reges digredior.

 Etru-

Etruſcorum Regum quartum ſtemma, qui Lucumones dicti: illi dominabantur, cum Romani Etruria ſunt potiti: vini uſum Gallos docuerunt, jisdemque Italiam invadentibus duces fuerunt: per contumeliam Lucumo idem atque inſanus; pro quolibet tamen Principe dicebatur.

CAP. XIII.

QUartum iſtud eſt, atque ultimum Regum Etruſcorum ſtemma, qui Imperio exuti, regionem ſuam regnumque viderunt Romani juris factum. Hos enim patrio vocabulo *Lucumones* appellabant, hoc eſt Reges, ſive opulentia potentes, ut hæc T. Livii 1. Decad. libr. 1. verba innuere videntur: *Anco regnante, Lucumo vir impiger, ac divitiis potens, Romam commigravit, cupidine maxime, ac ſpe magni honoris, cujus adipiſcendi Tarquiniis, nam ibi quoque peregrina ſtirpe oriundus erat, facultas non fuerat. Damarati Corinthii filius erat, qui ob ſeditiones domo profugus cum Tarquiniis forte conſediſſet, uxore ibi ducta, duos filios genuit. Nomina his Lucumo, atque Aruns fuerunt: Lucumo ſuperfuit patri bonorum omnium hæres: Aruns prior quam pater moritur, uxore gravida relicta, nec diu manet ſuperſtes filio pater, qui cum ignorans nurum ventrem ferre, immemor in teſtando nepotis deceſſiſſet, puero poſt avi mortem in nullam ſortem bonorum nato, ab inopia Egerio nomen inditum, Lucumoni contra omnium hæredi bonorum, cum divitiæ jam animos facerent.* Ex quibus patet alienigenæ & peregrinæ ſtirpis homini, ſed tamen divitiis præpotenti, nomen *Lucumonis* fuiſſe conceſſum, quod haudquaquam privatum erat, ſed Regiæ, & tunc quidem dominantis, aut certe paulo poſt principatum adeptæ, familiæ nomen. Eodem ſane modo, quo in Gallis, Italia, Scotiaque contingere videmus, ut viris bello aliiſve artibus claris Reges ſuum ſtemma, & gentilitia inſignia in virtutis præmium geſtanda donent; ſic Gallorum lilia, Scotorum Leonem plerique nobiles ferendi jus habent; ita exulibus iis, & in Etruria ſedem figentibus, *Lucumonum* nomen eſt conceſſum, quod & ipſorum Regum ea tempeſtate fuit, uti paulo infra aperietur. Potentes etiam quique in Tuſcia, & optimates, regnique proceres ſic appellati. Cenſorinus libello de Die Natali cap. 4. in fine: *Nunc vero eo licentiæ poëticæ proceſſit libido, ut vix auditu ferenda confingat, poſt hominum memoriam progeneratis jam gentibus, & urbibus conditis, homines*

mines

mines a terra diverſis modis editos, ut in Attica fertur regione, Ericbthonius ex Vulcani ſemine homo ortus, & in Colchide vel Boetia conſitis anguis dentibus armati partus: e quibus mutuo inter ſe necatis pauci ſuperaſſe dicuntur, qui in conditu Thebarum Cadmo fuerunt adjumento: nec non in agro Tarquinienſi puer dicitur divinitus exortus, nomine Tages, qui diſciplinam cecinerit extiſpicii, quam Lucumones Etruriæ potentes excripſerunt. Servius Maurus, unus fide ac diligentia omnes criticos ac grammaticos longe ſuperans, ad illud P. Virg. libr. 2. Æneid.

> *Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima, muros*
> *Accepit patrios.*

Quia, ut Homerus dicit, in Hectorem extinctum omnes tela jecerunt, more majorum, unde eſt:

> . . . . . . *biſſex thoraca petitum,*
> *Perfoſſumque locis* . . . . . .

propter duodecim populos Tuſciæ, duodecim enim Lucumones, qui Reges ſunt lingua Tuſcorum, habebant. Et rurſus idem ad illud libr. 5. Æn. pag. 384.

> *Tres equitum numero turmæ.*

Rem Romanæ militiæ ſuo intulit carmini; nam conſtat primo tres partes fuiſſe populi Romani: unam Tatienſium a Tito Tatio duce Sabinorum, jam amico poſt fœdera: alteram Rhamnetum a Romulo: tertiam Lucerum, quorum, ſecundum Livium, & nomen, & cauſa in occulto ſunt. Varro tamen dicit, Romulum dimicantem contra Titum Tatium, a Lucumonibus, id eſt Tuſcis, auxilia poſtulaſſe; unde quidam venit cum exercitu, cui recepto jam Tatio, pars urbis eſt data, a quo in Urbe Tuſcus dictus eſt vicus. Horatius:

> . . . . . *ac Tuſci turba impia vici;*

Ergo a Lucumone Luceres dicti ſunt. Idem ad illud libr. 8. Æn. pag. 516.

> *Sed tibi ego ingentes populos, opulentaque regnis*
> *Jungere caſtra paro.*

Ingentes populos non ſine cauſa dixit; nam Tuſcia duodecim Lucumones habuit, ideſt Reges, quibus unus præerat. Laudat deinde verſum ex libr. 10. Æneid. a me paulo infra citandum. Denuo idem ad illud libr. 10. Æneid. pag. 585.

> *Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni.*

Mantua tres habuit populi tribus, quæ & in quaternas Curias dividebantur, & ſingulis ſinguli Lucumones imperabant, quos in tota Tuſcia duodecim fuiſſe manifeſtum eſt, ex quibus unus omnibus imperat; hi autem totius Tuſciæ diviſas habebant quaſi præfecturas, ſed omnium populorum principatum Mantua poſſidebat. Quod de Coloniis, trans Apenninum ductis, eſt intelligendum; ſiquidem quot Cis Apenninum erant civitates Etruriæ, tot trans eundem montem poſitæ erant, docui libr. 1. hoc opere cap. 9. Denique de Lucumonibus idem grammaticus ad illud libr. 11. Æneid. principio:

> *Telaque trunca viri, & biſſex thoraca petitum*
> *Perfoſſumque locis.*

(1) Horat. libr. 2. Sat. 3.

Duo-

Duodecim vulneribus appetitum, quia, ut ſupra diximus, totius Tuſciæ populus in duodecim partes fuit (deeſt aliquid, forte *diviſus*) *ut*

Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni,

qui ſingulis Lucumonibus parebant. Hi Græcis dicuntur Λουκούμωνας nomine, ut apud Plutarchum in Camillo pag. 135. & pag. 136. ubi narrat Lucumonem, qui illi ἀνὴρ ἐπιφανὴς, καὶ φύσει μὲν οὐ πονηρὸς Τυῤῥηνὸς. *clarus vir Tuſcus, neque ſua natura improbus*, vocatur, vini uſum Gallis primum oſtendiſſe, cum ex Etruria eo, Aruntis pupilli ſui corrupta uxore, confugiſſe, & iiſdem gentibus, Italiam invadentibus, ducem fuiſſe. Aliis Scriptoribus Græcis ſunt diverſa ratione dicti; nam non Λυκύμων, ſed Λοκόμων habetur apud Dionyſium Halicarnaſſeum libr. 2. pag. 104. & ſequenti. Et nos infra, ubi de Lucumone Galerito.

Hoc nomen Regium, magnitudine geſtorum inclitum, Romani hoſtiliter corrumpere nitentes, quod iis ſolemne non tam armis, quam contumeliis in gentes devictas ſævire, *Lucumones* interpretati ſunt *inſanos*. Feſt. Pomp. libr. 10. *Lucumones quidam homines ob inſaniam dicti, quod loca, ad quæ veniſſent, infeſta facerent*. Clare improbitatem & inſolentiam Romanorum indicat, qui Regum Etruſcorum nomine abuſi, quos bello ſuperare non poterant, ſiniſtra fama traducebant: & quia infeſta Romanorum loca armis faciebant, inſanos ideo eo nomine compellabant, quaſi virtus inſania eſſet. Sic fortunæ illi benignitate blandiori inſoleſcentes, Gallos & Cimbros carnifices, Getas ſervos, Libes pediſſequos, Samnites gladiatores dicebant. Certe tamen, ne Lucumo bonum & legitimum Regem ſignificaret, efficere non potuerunt. Sidonius Apollinar. libr. 5. Epiſt. *Temperat Lucumonem ſua Tanaquil.* Chilpericum non inſanum, ſed miræ bonitatis Regem ſignificat, ut eſt apud Gregorium Turonenſem libr. de Vit. Patr. cap. 1. Errat ergo Joſeph. Scal., qui libr. 2. Auſoniar. Lect. cap. 12. hoc ſolo loco Sidonii adductus, quem falſo interpretatur *tritum in ore vulgi vocabulum in homines inſanos & intractabiles;* quin imo Lucumonis & Tanaquillis nomine probiſſimos conjuges principes denotare voluit. Vide Jo: Savaronis in laudatum Sidonii locum notas. Ac ne bene Auſonii verſum Epiſt. 4. intelligunt vulgo. Hadrian. Turneb. libr. 2. Adverſar. cap. 23. non videtur in bonum Codicem incidiſſe, dum legit;

Stillito decies ſi cor purgeris aceto,
Antyciramque bibas Samii Lucumonis acumen.

Melius in aliis editionibus:

Anticipeſque tuum Samii Lucumonis acumen.

Vult enim principem virum ſedulo Pythagoreæ diſciplinæ vacare; nam Lucumonis nomine Regium ſtemma, Samii appellatione Pythagoricam philoſophiam indicat, ut recte cenſet Pierius Valerianus libr. 41. Hieroglyphicor. in principio. Purgari autem ſe ſolebant philoſophiæ incubituri, quo paratam ſapientiæ mentem corpus quoque deterſum non modo non moraretur, ſed impenſius adjuvaret. Vide exem-

exempla Carneadis & Zenonis apud Hadrianum Turnebum libr. 6. Adverſarior. cap. 17.

Denique pater Tarquinii Priſci Lucumo appellabatur, quod nomen peregrinum in Romanum fuit permutatum. Aurel. Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 6. ut nulli dubium eſſe poſſit, quin jam tum a condita Roma celebre id nomen fuerit.

Etruſcorum Rex Fontus, Jani filius, in Deos relatus.

CAP. XIV.

Poſt ſtemmatum diſcretionem, ad ipſos Reges revertor. Ac primum reperio Etruriæ Regem Fontum fuiſſe, & ipſum Jani filium, ut credibile videri cuilibet perſpicaci poſſit, Janum primum Regem: ſecundum ab eo Cameſen Jani ſororem, ac uxorem, ac deinceps in partem Imperii adſcitam, ut ſupra hoc libro cap. 4. docui: tertium ordine hunc Fontum paterni maternique regni hæredem ac ſucceſſorem: de quo Arnob. libr. 3. Cont. Gent. *Incipiamus ergo ſolemniter ab Jano & nos patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alii, Solem eſſe prodidere nonnulli. Quod ſi accipiemus, ut verum ſit, ſequitur, ut intelligi debeat, nullum unquam fuiſſe Janum, quem ferunt Cœlo atque Hecate procreatum, in Italia regnaſſe primum, Janiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generum, Juturnæ maritum.* Hic quoque, quod res ruſticas, & fontium per agros derivandorum rationem excogitavit, inter Deos receptus, diviniſque honoribus cultus creditur, vocatuſque Fontinalis Deus, ut ab erudito Turnebo libr. 16. Adverſarior. cap. 11. proditum eſt. M. Plaut. Sticho Sc. *Agite, ite foras:*

Quid iſtuc eſt provinciæ? St. utrum Fontali,
An Libero imperium te inhibere mavis?

Corruptum trochaicum verſum lege:

Quid iſtud eſt provinciæ. St. utrum Fontinali
An Libero . . . .

Sic locum iſtum e Mineo Felice Martiano Capella libr. 2. de Nupt. Merc. & Philolog. intelligo. *Impietas, ideſt Pluton, quem etiam Ditem Vejovemque dixere, ipſam quoque terram, quæ hominibus invia eſt, refercíunt longævorum chori, qui habitant ſilvas, nemora, lucos, fontes, ac fluvios, appellanturque Panes, Fauni, Fones, Satyri, Silvani, Nymphæ, Fatui, Fatuæque vel Fautuæ, vel etiam Fanæ, a quibus Fana dicta, quod ſoleant divinare; hi omnes poſt prolixum ævum moriuntur, ut homines,*

ſed

ſed tamen & præſciendi, & incurſandi, & nocendi habent præſentiſſimam poteſtatem. In ora Renati Fragrii editionis erat ſic aſteriſcis notatus locus, ut appareret facile eſſe corruptum; nam pro *Fones*, erat diſerte ſcriptum, *Foni*, unde lego *Fonti*, unico elemento inſerto. *Fantuam* vero Deam reperio apud Saxonem Grammaticum Hiſtor. Danicæ libr. 1.

Saltu librantur Furiæ, glomerantur iisdem
Larvæ, quas ſimis Fantua juncta premit.

Hinc apud Romanos, qui & Jano & Vortuno, ſive Vertumno divinos honores decreverant, Fontum quoque celebrantes, dies ſacra erat, quam *Fontinalia* dicebant. Vetus Calendarium III. Eid. Octobr. *FONT. N. P. Fontinalia, nefaſtus primo*. Meminere & grammatici. M. Varro libr. 4. de Ling. Lat. *Fontinalia a fonte, quod is dies feriæ ejus, ab eo autem tum & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant*. Sed quid, ſi Varro quoque librariorum incuria depravatus? & inducor, ut putem legendum: *Fontinalia a Fonto:* & probabilis eſt conjectura, quod peculiari cuidam Deo res omnes ſubeſſent, a cujus Dei nomine feriæ vocarentur, ut Vulcanalia, Conſualia, Vortumnalia, quæ a Vulcano, Conſo, & Vortumno appellationes ſortiebantur. Feſt. Pomp. libr. 6. ſimpliciter tantum: *Fontinalia fontium ſacra*.

Etruſcorum Rex Anius, raptorem filiæ perſequens, in Aniene demerſus: Anii fluvii duo: ab hoc Anniorum, ſeu Antoniorum genus: Latinus, Rex Latii, ejus nepos: & de raptu Virginum pauca.

CAP. XV.

VEtuſtiſſima hujus Etruriæ Regis eſt memoria, quem nonnulli *Amnium* imperite, & ipſi minime mali, ſed hominum ineptiſſimos, & ſcurriliter in bonis literis ludentes ſecuti, appellavere. Rem totam, lepidiſſimamque de Anio noſtro hiſtoriam narrant Ariſtides Mileſius, & Alexander Polyhiſtor. libr. 3. Italicorum apud Plutarch. in Parallelis pag. 315. [1] Α῎ννιος δὲ τύσκων βασιλεὺς ἔχων θυγάτερα εὔμορφον τοὔνομα Σαλίαν παρθένον ἐτήρει, Κάθητος δὲ ἐκ τῶν ἐπισήμων ἰδὼν τὴν παρθένον παίζουσαν, ἠράσθη, καὶ μὴ στέγων τὸν ἔρωτα, ἥρπασε, καὶ ἦγεν εἰς Ρ῾ώμην, ὁ δὲ πατὴρ ἐπιδιώξας, καὶ μὴ συλλαβὼν ἥλατο εἰς τὸν Παρεούσιον ποταμὸν, ὃς Α᾽νίων μετωνομάσθη, τῇ δὲ Σαλίᾳ συγγενόμενος Κάθητος, ἐποιήσατο Λατῖνον καὶ Σάλιον, ἀφ᾽ ὧν οἱ εὐγενέσατοι κατῆγον, τὸ γένος

ὡς Αρι-

[1] Editionis Lutetiæ Pariſior. 1624.

ὡς Ἀριστείδης Μιλήσιος καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν. *Annius Etruſcorum Rex, cum haberet filiam eleganti venuſtate, nomine Saliam, virginem eam cuſtodivit, Cathetus autem primi nominis homo, cum ludentem eam vidiſſet, amore captus atque victus rapuit, Romamque adduxit: pater inſecutus cum non aſſequeretur, in profluentem ſe ſaltu dedit* (ita interpres Guilielmus Xylander, male; nam oportebat ſic vertiſſe: *in profluentem Pareuſium fluvium*) *qui ab eo eſt dictus Anio: Cathetus ex Salia Latinum ac Salium procreavit, nobiliſſimarum auctores proſapiarum. Hæc Ariſtides Mileſius, & Alexander Polyhiſtor. libro tertio Italicorum.* Unicum eſt dolendum, tempus tam clari facti non eſſe expreſſum. Antiquiſſimum certe eſſe, vel ex eo conſtat, quod Annii nepos ex filia Salia Latinus fuerit, a quo Latium poſtmodo ſit nominatum. Iſidor. libr. 9. cap. 1. Quod autem dicat Romam profugiſſe, prolepſis eſt, hoc eſt locum, ubi poſtea Roma eſt ædificata: vel certe ex opinione Græculorum hæc ſunt a Græculis ſcripta, qui a Græcis, multis ante Romulum annis, volunt Romam eſſe conditam, ut facile ex Plutarchi Romulo in principio, & Feſto Pompejo libr. 16. in voce *Romam*.

Annius Rex itaque Pareuſii fluminis nomen mutavit, ut Anio vocaretur: meminerunt grammatici, Priſcianus Cæſarienſis, P. Conſentius, Soſipater Chariſius libr. 1. Martianus Capella libr. 3. de Nupt. & geographi, Strabo Amaſianus libr. 5. pag. 162. & pag. 164. Plinius libr. 3. cap. 5. Vibius ſequeſter libello de fluminibus. Alii etiam: Sidon. Apollinar. libr. 1. Epiſt. 5. *Anienis cærula*. Plinius junior libr. 8. Epiſt. 17. *Anio delicatiſſimus amnium*. Ad quem locum Maria Catanæus. Hiſtorici, Dionyſ. Halicarn. libr. 3. pag. 161. Ἀνίηνον ποταμὸν vocat, ejuſque curſum idem deſcribit libr. 5. pag. 305. Sed & poëtæ. M. Lucan. libr. 1. Pharſal. v. 582. fuit enim in ejus ripa Marii ſepulchrum:

Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas
Agricolæ fracto Marium fugere ſepulchro.

Horat. libr. 1. Od. 7.

Qua præceps Anio & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Silius Italic. libr. 1. Punicor.

Qua patet acceptis Anienis ditior undis
In pontum flavo deſcendit gurgite Tibris.

Et libr. 12. Punicor.

Sulfureus gelidus qua ſerpit leniter undis
Ad genitorem Anio labens ſine murmure Tibrim.

Papin. Stat. libr. 1. Silv. 5. v. 24.

Quas præceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo juvat.

Et eodem libr. Silv. 3. v. 71. Anienum vocat:

Illis ipſe antris Anienus, fonte relicto.

Niſi dicamus, ut Tibridis Tiberinus eſt Genius, ita & Anienis erit Anienus, quod & verum. Seſt. Propert. libr. 4. Eleg. 7.

Ramoſis Anio, qua pomifer incubat arvis.

Virgilius libr. 7. Æneid.

. . . gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt.

Flavius Blondus putat hodie *Teverone* vocari, ſed vix eſt, ut aſſentiar nam auctores laudati eum a ſaxoſis rupibus in ſubjectam planitiem cadentem deſcribunt, ideo hodie ab incolis *Caſcata* appellatur. Dirimit Sabinos a Latio, & Marſorum agros alluit, ut jure mihi dubium oriatur, quomodo Annius ex Etruria fugienrem Cathetum (cum ille Romam jam occupaſſet, nec poſſet ejus celeritarem æquare, qui ſequebatur) non aſſequens, in Anienem ſe præcipitaverit, qui ab altero, ex Etruria euntibus, Romæ eſt latere, ut videri poſſit, prius eum Romam, quam Anienem debuiſſe pervenire; ſed ego nunc primum doceo in Etruria alium eſſe Anienem, diverſum ab illo, qui in Latio. Pomponius Mela libr. 2. de ſitu orbis cap. 4. *Ardea, Laurentum, Oſtia, citra Tiberim, in hoc latere ſunt, ultra, Pyrgi, Anio, Caſtrum novum, Graviſcæ, Coſſa:* quod male feriari quidam ad Anienem in Latio traduxerunt; ſed faciunt, quod facere ſolent.

Ab hoc Annio Rege credibile eſt Anniorum Romanorum ſplendidiſſimam familiam originem ducere, cujus meminit Martialis libr. 7. Epigr. 47. quam demiror omiſſam a Richardo Streinnio Barone Schunarzenavii, maxime cum tot ex ea patricii, ut ſunt, *Annius Cornicula, Annius Fuſtus, Annius Libo, Annius Macer, Annius Severus*, ac demum *Annius Veriſſimus, & Annius Verus*, a quibus Imperatores *Antonini* utrumque ſtemma trahunt, ut fuſe Julius Capitolinus, & Æl. Spartianus deſcribunt.

Pauca de raptu virginum hac occaſione ſubjungam, non ignarus alteri operi convenire. Raptus itaque duplex, unus conſuetus formulariſque, atque omnibus nuptiis adhibitus, ab iſto facto fortaſſis initium ſumens, a Romuli exemplo manaſſe credunt, qui Sabinas rapuerat: alter eſt raptus, legibus prohibitus, de quo juriſconſulti paſſim. Raptus ille primus boni ominis gratia fiebat, ut ſcilicet ſponſus ex ſponſa rapta generaret liberos, quales Cathetus hic noſter ex Salia, vel quales primi Quirites ex Sabinis, quibus, ut neque molere, neque coquere cogerentur, conceſſum. Plutarch. in Quæſtionib. Roman. pag. 284. ſic enim raptas in omni honore & obſervantia habebant. Jacobus Rænardus Commentario in Leg. 12. Tabular. *Quo quidem tempore ea videtur fuiſſe matrimonii contrahendi ratio, ut uſu quiſque virginem ex gremio matris, aut ex proxima neceſſitudine vi ſimulata raptam, non aliter ſuam faceret, quam Romana pubes Sabinas olim virgines ſuas uſu fecerit, id omnino mihi viſus eſt voluiſſe Feſtus. Rapi ſimulatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea non eſt, ex proxima neceſ-*

neceſſitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo ceſſit. Formam hujus imaginarii raptus nuſquam melius ab alio, quam a L. Apulejo expreſſam reperies, cujus hæc ſunt libr. 4. Mileſiar. ubi ſic puella die ipſo nuptiarum rapta, abductaque a prædonibus: *Tunc ſuo me gremio mater infelix tolerans, mundo nuptiali decenter ornabat, mellitiſque ſuaviis celebriter ingeſtis, jam ſpe futura liberorum votis anxiis propagabat; cum in ruptionis ſubitæ gladiatorum impetus ad belli faciem ſæviens, nudis & incertis mucronibus coruſcans, non cædi, non rapinæ manus afferunt, ſed denſo conglobatoque cuneo cubiculum noſtrum invadunt protinus: nec ullo de familiaribus noſtris repugnante, ac ne tantillum quidem reſiſtente, me miſeram, exanimem, ſævo pavore trepidam, de medio matris gremio rapuere*. Addit deinde alium locum ex Tertulliano libr. de Spectaculis, quem vide, neque excribo. Atque ita virgo rapiebatur, ut ne limen quidem domus paternæ eam tangere paterentur. Servium conſule in Eclogam Virgilii 8. & Plutarchum Problemat. Roman. cap. 29. Hinc illud M. Lucani libr. 2. Pharſal. de Nuptiis Catonis:

Tralata vetuit contingere limina planta.

Hæc de antiqua ſolemnique virginum rapiendarum conſuetudine. Erat & alius raptus, qui legibus interdictus, de quo Edictum eſt Conſtantini Aug. legg. 1. 2. 3. C. Theodoſiano de Raptu Virginum, vel Viduarum, ubi ſic Anienus vetus Interpres: *Si cum parentibus puellæ nihil quiſquam ante definiat, ut eam ſuo conjugio debeat ſociare, & eam vel invitam rapuerit, vel volentem, ſi raptori puella conſentiat, pariter puniantur; ſi quis vero ex amicis, aut familia, aut fortaſſe nutrices puellæ conſilium raptus dederint, aut opportunitatem præbuerint rapiendi, liquefactum plumbum in ore & in faucibus ſuſcipiant, ut merito illa pars corporis concludatur, de qua hortamenta ſceleris miniſtrata noſcuntur; illæ vero, quæ rapiuntur invitæ, quæ non vocibus ſuis de rapto reclamaverint, ut vicinorum, vel parentum ſolatio adjutæ, liberari poſſint, parentum ſuorum ſucceſſio denegetur: raptori convicto appellare non liceat, ſed ſtatim inter ipſa diſcuſſionis initia, a judice puniatur: quod ſi fortaſſe raptor cum puellæ parentibus paciſcatur, & raptus ultio parentum ſilentio fuerit prætermiſſa, ſi ſervus iſta detulerit, Latinam percipiat civitatem: ſi Latinus fuerit, civis fiat Romanus: parentes vero, qui raptori in ea parte conſenſerint, exilio deputentur; qui vero raptori ſolatia præbuerint, ſive viri, ſive feminæ, ignibus concrementur*. Harmenopulus libr. 6. Eclog. 58. Leonis Aug. Novell. 35. & Nov. 143. Jul. Clarus ſententiar. §. 5. Eſtque *raptus crimen publicum*, ut definit Paulus J.C. L. 4. ff. nox alib. & Lex unica Juſtiniani C. de Raptu Virgin. Et diſquirit Petrus Gregorius Toloſas libr. 36. Syntagmat. Jur. cap. 9. ex Paulo Grillando, & Abbate Panormitano. Ubi de legibus diverſarum gentium Salica, Bojariorum, & Draconis. Et ego multa dixi ad illud Claudiani libr. 2. de Raptu.

. . . *crimenque feri raptoris acerbat.*
Et ad illud de Bello Gildonico:

Inſtat terribilis vivis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obſcænus adulter.

Etruſcorum Rex Deheberis, & ipſe Tiberi demerſus.

CAP. XVI.

HUnc etiam Principem, ut ſcimus Vejentibus, ideſt Etruriæ toti, cujus primis illis ſeculis amœniſſimi receſſus Veiis habebantur, imperaſſe, ita quid rerum bello paceque geſſerit, quamdiu regnaverit, ex qua ſerie Regum Etruſcorum fuerit, ac demum quo tempore floruerit, in incerto eſt; nam cum nullus dato ſtudio res Tuſcas ſcriptis conſignaverit, & Romani rebus eorum immorentur, quandiu cum ſuis conjunctæ ſint, relinquitur nuda tantum memoria, quæ diligentius eo recolenda eſt, quo fortiſſimus populus majori fortunæ acerbitati patuit. Igitur M Varro libr. 4. de Ling. Lat. *Tiberis. quod caput extra Latium, ſic inde quoque nomen effluit in Linguam noſtram, nihil Latium, ut quod oritur e Samnio Vulturnus, nihil ad Latinam Linguam; at quod proximum oppidum ſecundum mare ab eo Vulturnum, ad nos jam Latinum vocabulum, ut Tiberinus, nam & Colonia noſtra Vulturnum, & Deus Tiberinus. Sed de Tiberis nomine anceps eſt hiſtoria; nam & ſuum Etruria, & ſuum Latium credit. Fuerunt, qui a vicino regulo Vejentum Debebri dixerint, appellatum primum Debebrim. Sunt, qui Tiberis priſcum nomen Latinum Albulam vocatum literis tradunt, poſterius propter Tiberinum Regem Latinorum mutatum, quod ibi interierit, nam hoc ejus, ut tradunt, ſepulcbrum.* Magna ſane obſcuritas, altæque antiquitatis latebræ, quando & ipſe Varro tam vetuſtam Dehebris Regis memoriam teſtetur, ut nihil certi conſtitui poſſe videatur; tamen, ne non vero ſimilia adferret, primum hujus fluvii nomen ait eſſe *Albula*, ſecundum *Debebris*, tertium denique *Tibris*. Hic Rex etiam Deheberis in aliis codicibus eſt.

Etru-

Etruſcorum Rex Tiberis, qui ei fluvio tertium nomen dedit, vel Tiberinus Albanorum Rex.

CAP. XVII.

ET hic Etruriæ Rex reliquit id tantum poſteris ſuis certi, regnaſſe ſe; ſed quando, quomodo, & quamdiu, ne Oedipus quidem, aut Apollo divinarit. Meminit hujus Feſtus Pompejus libr. 18. *Tiberis fluvius dictus a Tiberino Rege Albanorum, quod in eo cecidiſſet: vel Tiberis a Tiberi, Rege Tuſcorum*. Accedit Servius Maurus ad illud libr. 8. Æneid. pag. 490.

Tuque, o Tibri, tuo genitor cum flumine ſancto
Accipite Æneam.

Tiberim vero alii a Rege Aboriginum dictum volunt (hoc eſt Etruſcorum, ut oſtendebam plene libr. 1. hujus operis cap. 7.) *qui juxta dimicans interemptus eſt: alii ab eo Rege, quem Glaucus Minois filius in Italia interemit: alii, inter quos & Livius, ab Albanorum Rege, qui in eum cecidit*. Idem rurſus ad illud eodem libro pag. 506.

Tum Reges, aſperque immani corpore Tybris,
A quo poſt Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus, amiſit verum vetus Albula nomen.

TYBRIS. *Hic Tuſcorum Rex fuit, qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit, & ei nomen impoſuit: vel altus, ut quidam volunt, a Glauco, Minois filio, occiſus eſt*. Licet igitur hunc diverſum Tiberim a Tybri facere, & quamvis pertinax grammaticorum opinio Tiberim potius, quam Tibrim dicendi invaluerit; tamen promiſcue hæc poſſunt uſurpari. Viſum eſt autem aliis, non a Tiberi Rege Etruriæ, ſed a Tiberino Albanorum Rege nomen fluvio huic datum, ut auctores ſupra proxime laudati aſſerunt, & T. Livius 1. Decad. libr. 1. ubi de ſucceſſione Regum Albanorum: *Pax ita convenerat, ut Etruſcis Latiniſque fluvius Albula, quem nunc Tiberim vocant, finis eſſet. Silvius deinde regnat Aſcanii filius, caſu quodam in ſilvis natus. Is Æneam Silvium creat: is deinde Latinum Silvium: ab eo coloniæ aliquot deductæ, priſci Latini appellati. Manſit Silvium poſtea omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt: Latino Alba ortus, Alba Atys, Atys Capys, Capy Capetus, Capeto Tiberinus, qui in trajectu Albulæ amnis ſubmerſus, celebre ad poſteros nomen flumini dedit*. Eadem P. Ovid. libr. 4. Faſtor. principio:

Cumque patris regnum poſt hunc Tiberinus haberet,
Dicitur in Tuſcæ gurgite merſus aquæ.

Etru-

Etruſcorum Rex Tybris, & ipſe flumini nomen indidit: ab Argonautis occiſus: varia ejus fluvii nomina.

CAP. XVIII.

JAni filium Tiberinum, ſive Thiberinum Etruriæ Regem imperaſſe ex Cap. 4. hujus libri ſupra patuit, a quo & nomen fluvio illi celeberrimo inditum nonnulli credidere. Dehebrim, ſive Deheberim alium ab illo Varro quoque ſupra fidem fecit, nec cum eo eundem Tiberim Regem fuiſſe eſt exiſtimandum. Atque ab iis quidem quartus hic, affini ſane aliis nomine, Etruriæ Rex diſtinctus videtur; quippe Servius Honoratus, ſuperiori capite laudatus: *Aut alius, ut quidam volunt, a Glauco Minois filio interemptus:* & ibidem loci: *alii volunt iſtum ipſum Regem latrocinatum eſſe circa hujus fluminis ripas, & tranſeuntibus crebras injurias intuliſſe; unde Tibris quaſi* ὕβρις *(contumelia) dictus eſt,* ἀπὸ τῆς ὕβρεως, *ideſt ab injuria, amabant majores, ubi aſpiratio erat* θ *ponere*. Idem ad illud libr. 3. Æneid. pag. 298.

Si quando Tybrim, vicinaque Tybridis arva
Intraro.

Tybrim fluvium, pro quo Regem ipſum poſuit Tybrim, qui in hunc cecidit fluvium, & ei nomen dedit, nam antea Albula dicebatur, ut oſtendit in ſeptimo Virgilius. Alii volunt non Tybrim cecidiſſe, ſed Tiberinum Regem Albanorum, a quo Tyberis dictus eſt. Ut autem Tybris dicatur, hæc ratio eſt. Quodam tempore Syracuſani, victores Athenienſium, cœperunt Syracuſis ingentem hoſtium multitudinem, & eam cæſis montibus fecerunt addere munimenta civitati; tunc auctis muris etiam foſſa intrinſecus facta eſt, quæ flumine admiſſo repleta, munitiorem redderet civitatem. Hanc igitur foſſam per hoſtium pœnam & injuriam factam, Ybrin vocaverunt ἀπὸ τῆς ὕβρεως *(a contumelia) poſtea profecti Siculi ad Italiam, eam tenuerunt partem, ubi nunc Roma eſt, uſque Rutulos & Ardeam, unde eſt,* (1) fines ſuper uſque Sicanos, *& Albulam fluvium ad imaginem foſſæ Syracuſanæ, Tybrin vocaverunt, quaſi* ὕβριν *(contumeliam) ut* (2) effigiem Xanthi Trojæque videtis. *Circa Syracuſas autem eſſe foſſam, nomine Ybrin, Theocritus meminit.* Nimia eſt hæc Servii diligentia, nomen Tybris a Syracuſanis, Latii incolis, derivantis: convenientius & rei majeſtati, & digniſſimorum ſcriptorum fidei aptius ad *Tybrin Etruriæ Regem* appellationem referri; raro quippe evenire videmus, ut peregrini locis

(1) Virgil. Æneid. libr. 11. v. 317. (2) Virg. idem Æn. libr. 3. v. 497.

locis celebrioribus nomina imponant, vel ſi victoris jure imponi ab iis ea contingat, ea indigenarum uſus in patria vocabula convertere ſolet.

Quando hic Tybris vixerit, objeritque, videor deprendiſſe, ante bella Thebana Trojanaque ejus regnum floruiſſe; nam Servius eum *a Glauco Minois filio occiſum* ſcribit proxime ſupra: & fuit hic ***Glaucus Argonauta***, naviſque fabricator, qui ſolus in navali cum Etruſcis prœlio ex Argonautis non fuit ſauciatus, ut Scriptor vetuſtiſſimus teſtatur Poſſis Magneſius libr. 3. Amazonidis, apud Athenæum libr. 7. Dipnoſophiſt. pag. 296. Ut Regis ipſius interitus, cladeſque ab Argonautis accepta indicio ſint manifeſto & Tuſcos veteres ante Romanos Græcoſque, adeoque ante bellum Trojanum rei navalis peritos: & maris dominos etiam a Græcis auctoribus celebrari, qui nihil unquam veris aliarum gentium laudibus addunt; ſed res clariſſimas vel maligne occultant, vel ut ſuam gloriam augeant, vero minores faciunt; quare minus mirum, ſi Sereniſſimi Magni Etruriæ Ducis triremes etiam hodie communis Chriſtiani nominis hoſtis Turca tantopere extimeſcat, quas & cauſa pia, & invictum Principis auſpicium, & fortiſſimorum equitum virtus incredibilis, ac denique hæreditarium mari imperandi jus, jam à duobus annorum millibus quingentiſque longa fortitudine confirmatum, formidabiles reddunt. Sed ſi plura de conflictu illo inter Etruſcos & Argonautas videre cupis, conſule libr. 1. hoc opere cap. 9.

Ad Tybrin redeo, cujus hæc nomina fuere: ***Albula***, ***Debebris***, ***Tiberinus***, ***Tiberis***, ***Tybris***, a Regibus Tuſciæ deſumpta: jam & arcana, & tantum in ſacris enuntianda: ***Rumon***, ***Edes***, ***Seces***, Lævinus Torrentius ad Horat. libr. 1. Od. 22. & iſta, ***Serra***, ***Tarentum***, aliaque de quibus libr. 4. infra hoc opere cap.

Etru-

Etruſcorum Rex Æolus, inſulis etiam vicinis imperans: filiam ad mortem compellit, quod a fratre ſuo gravida eſſet facta: ejus nepos Ulyſſes: habitabat in inſulis frequentius, unde ventorum Rex creditus: & an nuptiæ inter fratrem ſororemque apud alios, quam Perſas, validæ.

CAP. XIX.

Ridiculum foret hic de Æolo Poëtarum figmenta repetere, quæ paſſim legentibus occurrunt: nec mythologiam hic tractamus, contenti admonere, & lectorem docere, Æolum illum decantatiſſimum ventorum Regem Etruriæ imperaſſe: & quia multum navali præſidio ea ætate hæc Regio pollebat, ideo conſenſus omnium pæne Scriptorum inſularem facit, ut infra dicetur. Huic filii ſex, totidemque filiæ apud Homerum libr. 10. Odyſſ. in principio, quo ventorum potentia in duodecim anni menſes ſignificatur; nam agri, qui fruges produxerint abundanter, fœminæ ſunt, qui ſteriles, ventiſque depopulantibus inutiles manſerunt, virorum ſpeciem gerunt; ut eſt libello de Nat. Deor. Phornuti. Sed Plutarchi apponam verba ex libr. Parallelor. pag. 312. ex Soſtrato libr. 2. Rerum Etruſcarum: Αἴολος ὁ τῆς Τυῤῥηνίας καὶ τῶν κατὰ Τυῤῥηνίαν βασιλεὺς, ἔσχεν ἐξ Ἀμφιθέας θυγατέρας ἕξ, καὶ ἴσους ἄῤῥενας. Μακαρεὺς ὁ δὲ νεώτατος ἔρωτι ἔφθειρε μίαν, ἡ δὲ παιδίον ἐκύησεν, ἐμπεσοῦσα δὲ καὶ ξίφους πεμφθέντος ὑπὸ τοῦ πατρὸς, ἄνομον κρίνασα ἑαυτὴν διεχρήσατο, ὁμοίως δὲ καὶ ὁ Μακαρεύς. ὡς Σώστρατος ἐν δευτέρῳ Τυῤῥηνικῶν. *Æolus Etruriæ & vicinorum locorum Rex, ex Amphithea filias ſex totidemque filios ſuſtulit: horum natu minimus Macareus cum ſororum una corpus miſcuit: ea cum puerulum peperiſſet, miſſo a patre ad prolem necandam enſe, impium hoc rata, interfecit ſeipſam; idem fecit Macareus. Adductum ex Soſtrati libro rerum Etruſcarum ſecundo.* Teſtus ita ſe habet in libro cum MSS. collato, ab eruditiſſimo Henrico Schrimgero Scoto; at in vulgatis editionibus hæc verba καὶ τῶν κατὰ Τυῤῥηνίαν, *& locorum circa Etruriam*, deſiderantur: & tamen nihilominus interpres pleno ſenſu reddiderat, ac ſi nihil defuiſſet. In Codice Vulcobii erat Αἴολος τῶν κατὰ Τυῤῥηνίαν ὁ βασιλεύς: *Æolus Rex regionum circa Etruſcos.* Hic eſt ille Macareus, Æoli ventorum Regis filius, ad quem inter Heroidas Ovidianas Canace ſoror ſcribit Epiſt. 11.

Dextra

Dextra tenet calamum; ſtrictum tenet altera ferrum,
Et jacet in gremio charta ſoluta meo.
Hæc eſt Æolidos fratri ſcribentis imago,
Sic videor duro poſſe placere patri

Hunc eundem eſſe Æolum, quem Poëtæ ventorum dominum, promum, & Regem eſſe finxerint, idem Ovidius loco laudato innuit:

Imperat heu ventis, tumidæ non imperat iræ,
Poſſidet & vitiis regna minora ſuis.
Scilicet eſt aliquid cum ſævis vivere ventis,
Ingenio populi convenit ille ſui.
Ille Noto, Zephyroque, & Scitonio Aquiloni
Imperat, & pennis, Eure proterve, tuis.

Fuiſſe vero eundem Etruriæ Regem, atque inſulas illas, in quibus habitabat, Etruſcæ ditionis olim habitas, ſignificat Valerius Flaccus libr. 1. Argonaut.

Interea medio ſævus permiſſa profundo
Carbaſa, Pangæa Boreas ſpeculatus ab arce,
Continuo Æoliam, Tyrrhenaque tendit ad antra
Concitus.

Fabulæ originem, & licentiæ poëticæ occaſionem habes apud M. Varronem referente Servio Mauro ad libr. 1. Æneid. pag. 171.

Nimborum in patriam; loca fœta furentibus Auſtris,
Æoliam venit.

Novem autem inſulæ, quæ ſunt circa fretum Ciliciæ, vocantur Æoliæ, ab Æolo Rege; Hippotæ filio, licet propria nomina habeant, unde Virgilius ait Æoliam Liparem. Poëtæ quidem fingunt, hunc eſſe Regem ventorum; ſed, ut Varro dixit, Rex fuit inſularum, ex quarum nebulis & fumo Vulcaniæ inſulæ prædicens futura flabra ventorum, ab imperitis viſus eſt ventos in ſua poteſtate retinere. Locus eſt valde corruptus, ſed tamen facilis eſt reſtitutio; quid enim Æolo Regi Etruriæ cum Cilicia, quæ in Aſia? Lege itaque *novem inſulæ, quæ ſunt circa fretum Siciliæ;* quod & Geographi teſtantur. Pomponius Mela libr. 2. cap. ult. C. Jul. Solinus Polyhiſt. cap. 12. *Numero ſeptem ſunt* (inſulæ Æoliæ) *Liparæ nomen dedit Rex Liparus, qui eam ante Æolum rexit: alteram Hieram vocaverunt, ea præcipue Vulcano ſacrata eſt, & plurimum colle eminentiſſimo noctu ardet: Strongyle tertia, Æoli domus, vergit ad Solis exortum, minime anguloſa, quæ flammis liquidioribus differt a ceteris: hæc cauſa efficit, quod ex ejus fumo potiſſimum incolæ præſentiſcunt, qui nam flatus in triduo portendantur, quo factum, ut Æolus Rex ventorum crederetur.* Et diligenter hoc eſt adnotandum, Æoli Regiam Strongylem eſſe, quæ ſcilicet & major, & portuoſior habeatur. Eadem, quæ illi, repetit Strabo Amaſianus, & ad hiſtoricam fidem Æolique Regnum fabulas poëticas revocat libr. 1. Geograph. pag. 14. & pag. 16. ex Polybio, ubi Αἴολον ταμίαν τῶν ἀνέμων appellat, *Æolum promum*

ventorum. Quin imo primus ille certam de ventorum origine ac differentiis doctrinam condidit. C. Plin. libr. 7. cap. 56. *Ventorum rationem Æolus Hellenis filius* condidit: & libr. 3. cap. 9. idem: *Tertia Strongyle, a Lipara mille paſs. ad exortum Solis vergens, in qua regnavit Æolus, quæ a Lipara liquidiore flamma tantum differt: a cujus fumo, qui nam flaturi ſint venti, in triduum prædicere incolæ traduntur; unde ventos Æolo paruiſſe exiſtimatum*. De hac Æoli Regia Strongyle Corn. Sever. libr. de Ætna:

Inſula, cui nomen facies dedit ipſa rotunda.

Eodem plane modo, quo Phaliſcorum, Volaterrarum, Vejentum, Cluſinorum, Fidenatium, aliarumque urbium Reges dicebantur, qui revera totius Etruriæ populis imperarent; ita inſularum Rex dicitur a quibusdam Æolus, quod in inſulis frequentius, quam in continenti ſedem haberet, uti nonnullos Reges Veiis, alios Volaterris Regiam ſibi ſtatuiſſe compertum eſt; cum tamen non illi tantum civitati, cui præeſſent, & a qua nomen ſumerent, imperarent, ſed omnibus aliis Tuſciæ civitatibus, & populis.

Delectatum certe Æolum inſularum potius amœnitate, quam continentis, ipſa illa inſulis novem, quas dixi, nomina impoſita teſtantur, quas creberrime hiſtorici laudant. Plutarchus in Camillo pag: 133. τὰς Αἰόλου νήσους, *Æoli inſulas* refert. Et in libro de Exilio pag. 603. Καὶ τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν νήσους οἰκεῖν φασὶ τὸν θεοφιλέστατον Αἴολον, τὸν σοφώτατον Ὀδυσσέα, τὸν ἀνδρειότατον Αἴαντα, τὸν φιλοξενώτατον Ἀλκίνουν. *Ac de illuſtribus viris habitaſſe in inſulis ajunt, diis chariſſimum Æolum, ſapientiſſimum Ulyſſem, fortiſſimum Ajacem, hoſpitalitatis laude clariſſimum Alcinoum.* Has inſulas, Æolo parentes, Geographi novem faciunt nonnulli, at ſeptem tantum alii, inter quos Serv. Honor. ad libr. 8. Æneid. pag. 515.

Hac pater Æoliis properat dum Lemnius oris.

Vulcania una eſt de ſeptem Æoliis, in quibus Æolus regnavit. Strabo libr. 2. pag. 84. Et libr. 6. pag. 177.

Sed & duo Æoli ævo heroico celebrati, & poëtæ confundunt: unus *Hippotæ* filius, & ipſe eam ob cauſam *Hippotades* appellatus: alter *Hellenis* filius, ut ex Plinii libr. 7. cap. 56. docebam ſuperius. Uter Rex Etruriæ fuerit, incertum; niſi dicamus, quod non eſt incredibile, utrumque Etruriæ, inſuliſque finitimis imperaſſe. Et de inſulis iis Etruſcæ ditionis agam libr. 4. infra hoc opere.

Æoli hujus ſex filii fuere, quorum natu minimus, ut jam ſupra indicatum, Macareus dicebatur: alii obſcuriores, præter *Siſyphum*, & ipſum carminibus poëtarum nobilitatum. De pœna ejus apud inferos, vide mythologos: mihi ſatis erit oſtendiſſe eum Æoli filium, Ulyſſiſque patrem fuiſſe, ut Ulyſſes ille, Sapientiæ typus ab Homero propoſitus, ſit nepos ex filio Regis Etruriæ. Servius Honoratus ad libr. 6. Æneid. pag. 427.

Hortator ſcelerum Æolides.

ÆOLIDES. *Ulyſſes, quia ubique talis inducitur, nam Anticliæ filius eſt, quæ ante*

Digitized by Google

ante Laërtæ nuptias clam cum Siſypho, Æoli filio concubuit, unde Ulyſſes natus eſt. Quam ſpurii generis ignobilitatem eidem obiicit Ulyſſi Ajax apud Ovidium libr. 13. Metamorph. fab. 1.

Frater erat, fraterna peto, quid ſanguine cretus
Siſyphio, furtoque & fraude ſimillimus illi
Inſeris Æacides alienæ nomina gentis?

Canacæ filiæ ſuæ Æolus præcepit, filium ſibi a fratre ſuo Macareo genitum interimeret, quod re vera illicitus eſſet, & veluti naturæ repugnans fratris cum ſorore concubitus; unde illa Canaces apud eundem Ovidium verba:

Cur unquam plus me frater, quam frater amaſti,
Et tibi non debet quod ſoror eſſe, fui?

Et licet Homerus loco laudato velit duodecim Æoli filios ſuis totidem filiabus matrimonio junctos; tamen falſo accuſat Ovidium erroris Domitius Calderinus, eum enim Soſtratus apud Plutarchum ſupra laudatus excuſat, ac tuetur. Certe ergo quarundam gentium hic mos, ut pater filiam, matrem vero filius impleret. Minucius Felix in Octavio: *Jus eſt apud Perſas miſceri cum matribus: Ægyptiis & Athenis legitima ſororum connubia.* Quam legem Semiramis tuliſſe fertur, Paul. Oroſ. libr. 1. cap. 4. Id quoque Thebis invaluerat Oedipi exemplo, nataque inde bella, clades, internecionemque civium & principum narrat ſua Thebaide Statius ac Homerus libr. 11. Odyſſ. v. 264. & ſequentibus. Et plurima exempla miſeriarum, quas pertulere temeratores pudicitiæ ſororum ſuarum, aut matrum, de Teleo & Harpalyce, Parthenius elegantiſſimus Scriptor Eroticῶn cap. 13. de Periandro & matre ab eo corrupta: idem cap. 17. de Baſſiano Caracalla & Julia matre Spartian. in eo. De Nerone & Othone Auguſtis Joann. Xiphilin. Epitome. His mos fuit Ægyptiorum, & Perſarum, ut dicebam, Strabo libr. 15. non uno loco. M. Junianus Juſtinus libr. 41. D. Clemens Recognition. 9. Bardaſanes libr. de Fato, & ex eo Euſebius libr. 6. Præparat. Evang. cap. 8. M. Lucan. libr. 4.

Naſcitur Arſacides, cui fas implere parentem.

Et Athenienſium id eſſe inſtitutum, jam dicam, ſi prius Catulli Epigramma poſuero 88.

Naſcatur Magus ex Gelli, matriſque nefando
Concubitu, & diſcat Perſicum aruſpicium;
Nam Magus ex matre & gnato naſcatur, oportet,
Si vera eſt Perſarum impia Religio.

Jam vero *morem eſſe Athenienſium, ut ſorores uxores ducant*, Æmilius Probus, ſeu Cornelius Nepos in præfatione Vitarum, & in vita Cimonis ſcribit, falso haud dubie; nam ut verum eſt, Cimonem Elpinicen in uxorem duxiſſe, ita nec illud negari poteſt, eo ſolo crimine in exilium actum. Suid. in voce *Cimon*, & in verbo ὄστρακος. cui adſtipulatur Andocides Orat. Alcibiad. Sed hæc ſane probabilior eſt opinio, Phocilides:

Μηδὲ κασιγνήτης ἀπὸ τρόπων ἔλθε μὲν εὐνήν.
Ne ſtratum vetitum genitale ſororis inito.

Et ratio hæc a J. C. elegans aſſignatur, ne gradus cognationis intereant, & nomina affinitatum confundantur, quibus vel maxime Reſpublica ſtat. Vide Paulum Lancellotum. P. Ovid. libr. 10. fab. 9.

Ultra autem ſperare aliquid potes impia virgo?
Nec quod confundas & jura & nomina ſentis?
Tune eris & matris pellex, & adultera patris,
Tune ſoror nati, genitrixque vocabere fratris?

Sibi tamen eadem ex legibus Perſarum, & Ægyptiorum, ſuæque libidini patrocinatur:

Felices, quibus iſta licent, humana malignas
Cura dedit leges, & quod natura remittit,
Invida jura negant; gentes tamen eſſe feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur, & pietas geminato creſcit amore.

Non ſum ignarus, licet ante bellum Trojanum Etruſci Reges ſororis fratriſque mixtionem prohibuerint, atque adeo lex divina humanaque id ipſum præſcribant, licuiſſe tamen imo neceſſum fuiſſe proximas ducere. Fortunatian. libr. 1. Rhetoric. *Lex eſt, orba proximo nubat, vel ſi eam noluerit in matrimonium ducere, det decem millia.* Quæ lex ab Athenienſibus ortum habet. Ulpianus Sophiſta in Demoſthenem non uno loco, & Jul. Pollux libr. 6. Onomaſt. cap. 3. Terentius in Phormione:

Lex eſt orbæ. qui ſint genere proximi
Eis nubat, & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Idem in Adelphis:

. . . hæc virgo orba eſt patre,
Hic meus amicus illi genere eſt proximus,
Hinc leges cogunt nubere hanc.

Etruſcorum Rex Liparus, Æoli deceſſor, ſucceſſorve: & ipſe inſulis delectatus.

CAP. XX.

ÆOlum Etruſcorum Regem Liparus anteceſſit, vel ei ſucceſſit; quare ſi illum ponimus, ut eſt ponendus, in Regum Tuſcorum nomenclatura, hunc excludere non poſſumus, cum eidem Regno uterque præfuerit. C. Plin. libr. 3. cap. 9. *Lipara cum civium Romanorum oppido, dicta a Liparo Rege, qui ſucceſſit Æolo, antea Melogonis, vel Meligunis vocitata, abeſt*

duo-

duodecim millibus paſſuum ab Italia, ipſa circuitu paulo minori. Ergo Plinius Liparum Regem Æoli ſucceſſorem diſerte facit; alii vero Æolum poſt Liparum regnaſſe contendunt, inter quos Julius Solinus Polyhiſtor. cap. 12. ***Lipare nomen dedit Rex Liparus, qui eam ante Æolum rexit.*** Hanc ditionis fuiſſe, etiam heroico ævo, Etruſcæ, probant hæc Strabonis libr. 6. Geograph. Εἰσὶ δὲ ἑπ͂ὰ μὲν τὸν ἀριθμὸν, μεγίϛη δὲ ἡ Λιπάρα Κνιδίων ἄποικος, ἐγγυτάτω τῆς Σικελίας κειμένη, μετά γε τὴν Θέρμισσαν. ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Μελιγουνίς. ἡγήσατο δὲ καὶ ϛόλῳ καὶ πρὸς τὰς τῶν Τυῤῥηνῶν ἐπιδρομὰς, πολὺν χρόνον ἀντέσχεν, ὑπηκόους ἔχουσα τὰς νῦν λεγομένας Λιπαραίων νήσους. *Septem ſunt numero Inſulæ* Æoliæ *quarum maxima eſt Lipara, Cnidiorum colonia, Siciliæ proxima, ſecundum Thermiſſam, antiquitus Meligunis dicta. Hæc & claſſem duxit, & longo tempore Tyrrhenorum incurſionibus reſtitit, ſub ſe habens reliquas Liparæorum.* Si diu reſtitit, at tandem domita jugum accepit, fuitque horum duorum Regum ſedes, & non dubito quin & aliorum; ſed iniquitate vetuſtatis plura ſcire, cum etiam quæ certiſſima eo ævo habentur, fabulas admixtas habeant, prohibemur. Callimachus ait in hymno Vulcani, famulos ejus in ea eſſe, & officinam. Fuit autem hic *Liparus Auſonis filius*, ut Euſtathius ſcripſit. Callias item libr. 10. de rebus Agatoclis. De hujus inſulæ ſitu, rebus geſtis, feracitate, dicam libr. 4. infra hoc Opere.

Etruſcorum Rex, aut verius Imperator Meleus, toti Italiæ imperabat.

CAP. XXI.

Admonuit horum duorum Regum Æoli ac Lipari mentio, ut non tam continentes Italiæ terras huic Regno diceremus ſubjectas, ſed & inſulas quoque adjacentes ab utroque latere, mari ſupero inferoque, ut jam non tam Regis nomen, quam Imperatoris tantæ magnitudini conveniret; ſiquidem tota Italia ditioni & principatui Etruſcorum ſubjacebat, ut libr. 1. hoc opere ſupra cap. 9. abunde eſt dictum: itaque rerum geſtarum magnitudini parem honorem metientes, ſub hæc eadem, ut eſt credibile, Trojana tempora pro Rege, cujus nomen a Jano, uſque in diem manſerat, Imperatorem creaverunt Meleum. Luctatius Placidius vetuſtiſſimus Papini Statii interpres, idemque doctiſſimus grammaticus ad libr. 6. Thebaid. v. 402. ***Tubam ſignificat, quam Meleus Tyrrhenorum Imperator primus invenit, a qua opinione nec Virgilius diſcrepat, cum dicit:***

Tyrrhenuſque tubæ mugire per æthera clangor.

Nec plura de eo alibi comperta mihi. At de inventione tubæ, vide quæ diſquiro libr. 3. hoc opere, infra cap. 67.

Etru-

Etruſcorum Rex Rhætus, coloniam in Germaniam trans Alpes duxit: Vina Rhætica.

CAP. XXII.

EJusdem potentiæ judices & teſtes ſunt non populi modo propinqui domiti, urbes vicinæ in ſocietatem acceptæ, aut jugo ſubjectæ, verum etiam & coloniæ ab iiſdem hiſce Etruſcis extra Italiam deductæ, qualis eſt iſta, cujus auctor eſt Rhætus Rex. M. Juvian. Juſtin. libr. 20. *Iis autem Gallis cauſa in Italiam veniendi, ſedeſque novas quærendi, inteſtina diſcordia, & aſſiduæ domi offenſiones fuere, quarum tædio, cum in Italiam veniſſent, ſedibus Tuſcos expulerunt*, (paulo poſt & ipſi expulſi, aut extincti, ad unum omnes regione, quam injuria occupaſſent, ſuis vetuſtis poſſeſſoribus ceſſere, ut alibi hoc opere docetur) *& Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam condiderunt: Tuſci quoque, Duce Rhæto, avitis ſedibus omiſſis, Alpes occupavere, & nomine Ducis, gentem Rhæticorum condiderunt*. Quis ergo ferat ſupinitatem Iſidori libr. 14. cap. 4. *Rhetia, quod ſit juxta Rhenum*. Diſce ſapere, & noli in re tam clara cæcutire. Eandem hanc deductionem perſtringit tacito Rhæti nomine T. Livius 1. Decad. libr. 5. ut libr. 1. ſupra cap. 9. oſtendunt poſita ejus verba. C. Plin. libr. 3. cap. 20. *Incolæ Alpium multi populi, ſed illuſtres a Pola ad Tergeſtis regionem, Secuſſes, Subocrini, Atali, Menocaleni, juxtaque Carnos quondam Tauriſci appellati, nunc Norici: his contermini Rhæti & Vindelici, omnes in multas civitates diviſi. Rhætos Tuſcorum prolem arbitrantur, a Gallis pulſos, duce Rhæto.* Neque quiſquam terreat, quod Juſtinus & Plinius *Ducem*, non vero *Regem*, appellent *Rhætum*; mos enim ille receptus, ut in deducendis coloniis, copiiſque in hoſtem ducendis, non Regum, ſed ducum valeat appellatio. Sic Homero Reges Græci raro aliter, quam ἡγεμόνες, *Duces*, vocantur: & Agamennon ipſe ἡγέμων, *Dux*, ea ratione, audit apud eundem. Regem fuiſſe certum eſt. Ivo Carnotenſis MS. libr. de undecim Regionibus. *Rhæti in ipſis Alpium faucibus ſiti, medii ſunt inter Germanos & Italos, moribus & lingua Italis propiores: originem ſuam, ad hunc uſque diem, ad potentiſſimos Italiæ Etruſcos referentes, a quorum Rege Rhæto, Gallorum viribus ex Apennini vallibus fugato, nomen habere gloriantur*. Manent etiamnum hodie quædam tam vetuſtæ originis veſtigia; nam Rætzuus arcem quandam antiquiſſimam dicunt, ut notat Joannes Camers in Solini cap. 34. de qua re latius Ægidius Tſchudius, & Sebaſtianus Munſterus.

Sunt qui æſtimarent, omnes Alpinas gentes uno nomine Rhetos dictos,

dictos, nam Acro Helenius, & Porphyrio, maximi nominis grammatici, *Rhæti Vindelici* legunt conjunctim: & Goropius Becanus libr. 9. Originum id inſinuat: & Servii Mauri verba confirmant ad illud Virgilii libr. 1. Æneid. pag. 186.

> *Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus*
> *Regna Liburnorum.*

Ideo tutus, quia Rhætii Vindelici ipſi ſunt Liburni, ſæviſſimi admodum populi, contra quos miſſus eſt Druſus. Errat deinde idem auctor, cum contra omnes geographos ab Amazonibus ejus gentis originem repetit; quin & in probatiſſimis Horatii codicibus ita legitur libr. 4. Od. 4.

> *Videre Rhæti bella ſub Alpibus*
> *Druſum gerentem Vindelici....*

Iſti ſui juris uſque ad Auguſti tempora manſerunt, a quibus bello petiti, ut narrat L. Florus libr. 4. cap. 12. & auſpicio ejus quidem, ſed ductu Druſi & Tiberii privignorum ſuorum ſubegit. Dio Coccejan. libr. 54. pag. 614. Albinovanus Pedo Conſolat. ad Liviam:

> *Rhenus & Alpinæ valles, &c.*

Horat. libr. 4. Od. 14.

> *Major Neronum mox grave prælium*
> *Commiſit, immaneſque Rhætos*
> *Auſpiciis pepulit ſecundis.*

Quare reperitur *Fulvius Bojus Dux Rhætici limitis*, apud Fl. Vopiſcum in Aureliano pag. 314. & Bonoſus *Dux* etiam *Rhætici limitis* ab eodem dicitur pag. 364. Plura dico ad illud Claudiani libr. de Bello Getico.

> *Prominet Hercinia confinis Rhætia ſilva.*

Et ad illud de 4. Hon. Conſul.

> *Aſpera nubiferas qua Rhætia porrigit Alpes*
> *Pergit.*

Vinum hic laudatiſſimum, ea præcipue naſcens parte, qua Italiam reſpicit. Strabo Amaſianus libr. 4. pag. 142. Καὶ ὅγε Ῥαιτικὸς οἶνος τῶν ἐν τοῖς Ἰταλικοῖς ἐπαινουμένων οὐκ ἀπολείπεσθαι δοκῶν, ἐν ταῖς τούτων ὑπωρείαις γίνεται. *Vinum Rheticum naſcitur, quod laudatis Italiæ vinis non videtur cedere.* Meminit Plin. libr. 14. cap. 2. cap. 3. cap. 6. & Jun. Moderat. Columella libr. 3. Rei Ruſt. cap. 2. ubi *Reticam* ſine dipthongo & aſpiratione ſcribit, quod & lapides veteres agnoſcunt, varia peregrini nominis etymologia. Hoc vinum Cato immodice laudat in libris, quos ſcripſit ad filium: contra impenſius Catullus vituperat, ut a Servio Honorato eſt obſervatum ad illud Virgil. libr. 2. Georg. pag. 100. quo Poëta nec Catoni adverſari vult, nec fidem Catullo adimere; ideo:

> *....... quo te carmine dicam*
> *Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.*

Martial. libr. 14. Epigr. 100.

> *Potaſti teſta Rhætica vina mea.*

Etru-

Etruſcorum Rex Malæottus, prope Volaterras habebat Regiam: in Græcia obiit, incertum quo exitu.

CAP. XXIII.

HUnc etiam, ut pleroſque alios Reges, mihi debet Etruria, incredibili ſeu Romanorum Scriptorum odio, ſeu novercantis fati acerbitate infeliciter vexata, ut cum nulla gens clarior fuerit factis, nulla minorem ſui gloriam literarum monimentis conſignatam oſtendere poſſit. De eo Strabo Amaſianus libr. 5. pag. 156. Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τόπος ἐςὶ καλούμενος Ῥηγισούιλλα. ἱςορεῖται δὲ γενέσθαι τοῦτο βασίλειον Μαλαιώτου Πελασγοῦ, ὅν φασὶ δυναςεύσαντα ἐν τοῖς τόποις μετὰ τῶν συνοίκων Πελασγῶν, ἀπελθεῖν ἐνθένδε εἰς Ἀθήνας. *Inter hæc* (prope Volaterras, ut docet ipſa ſequela & contextus locorum) *eſt locus vocatus Regis-Villa, quam narrant olim Hiſtorica veritate fuiſſe Regiam Malæoti Pelaſgi, quem dicunt iis in locis* (ſcilicet Coſſa, Graviſcis, Volaterris, Populonio) *cum accolentibus deductiſque a ſe Pelaſgis ſupremo principatu functum, inde Athenas migraſſe*. Ita locum verti, nam vulgata verſio & manca eſt, & in nonnullis indoctiſſime falsa; ut cum omittit τόπος ἐςὶ, *eſt locus*: & cum vertit δυναςεύσαντα *qui habitavit*, inſcitiam ſuam prodidit; eſt enim ἀπὸ δυναςεύω, quod eſt *Regia potentia impero*. Malæottum hunc, ſive Malæotum (ita enim codices variant) quæ cauſa Italia Etruriaque ſua excedere compulerit, non comperi, ſive ſeditione ſuorum pulſus, ſive coloniarum in Græcia deducendarum dux, aliis diſcutiendum relinquo: ſatis habens admonuiſſe & antiquiſſimo ſeculo Etruriæ imperaſſe, & unum ex alienigenis Regibus habendum, ſi non primum, ſaltem non longe a primo. De adventu Pelaſgorum in Etruriam dixi libr. 1. ſupra hoc opere cap. 5.

Etru-

Etruſcorum Rex Etruſcus, filius Herculis, genti nomen dedit.

CAP. XXIV.

HUnc, ut certum eſt, Regio titulo præfuiſſe toti genti, ita perplexum eſt & anxium, advena ne, an indigena: quo ævo imperaverit: quandiu, & quibus moribus rexerit Etruſcos: ac denique quando & ubi obierit: quæ vel ætatis longiſſime incuria ſcire negavit, vel majorum negligentia ad nos deferri prohibuit. Hoc unum modo conſtat, ab eo Etruriam appellatam. Iſidor. libr. 14. cap. 4. Etymologiar. *Alii Etruriam ab Etruſco principe dictam putant*. Servius Maurus ad libr. 10. Æneid. v. 164.

Quæ manus interea Tuſcis comitetur ab oris
Æneam.

Sed Etruria dicenda eſt ab Etruſco principe. Ivo Carnotenſis MS. libr. de undecim Europæ provinciis: *Etruſci populi indigenæ, in bello fortes, in pace pietati deditiſſimi, ab Etruſco Herculis filio nominati, qui cum patre ex Hiſpania in Italiam trajiciens, genti illi præfuit, Regiſque munus glorioſe obivit. quod nomen antea habuerit, ignoratur, ea provincia*. Indigenas certe eos habitos probant hæc Dionyſii Halicarnaſſei libr. 1. pag. 24. Κινδυνεύουσι γὰρ τοῖς ἀληθέσι μᾶλλον ἐοικότα λέγειν, μηδαμόθεν ἀφιγμένον, ἀλλ' ἐπιχώριον τὸ ἔθνος ἀποφαίνοντες. *Quare vereor, ne veriſimilior ſit eorum oratio, qui non advenam eſſe, ſed indigenam hanc gentem aſſeverant.*

Jam vero illud de Hercule, ejuſquè filio, neſcio unde ille haurire potuerit, niſi forte, quia vulgaverat fabula, Herculem, Geryonis bobus ereptis, in Italiam veniſſe, & fortem quamlibet gentem vetuſtas Hercule credi voluit ortam, quaſi plane omnis ab illo Deo fortitudo eſſet. Nam quod Hieronymus Henningius fingit Theatri Genealogi Tom. 1. pag. 652. ſomnio non multum abſimile eſt. Et quid de tam inutilium nugarum auctore Annio Viterbienſi dicendum? qui cum rudiores ſuæ nugacitati credere poſſe exiſtimaſſet, doctiores etiam decipere tentavit. Illi ergo, ſi Diis placet, *Hercol* quaſi *totum pellitum* dici volunt, & *Loabim*, ideſt *flammigerum*, & *Arino*, ſive *Arno*, quod ſignificat Aramæo idiomate *Leonem celebrem*. Et quaſi inſaniæ non eſſet ſatis, de ejus uxore Echidna præclara oſtentant, ac ab iis, quæ initio attulerant, cognominibus reſilientes, *Libycum* vocant *Herculem*, qui & Colonias in Etruria deduxerit, & vallem Arni ſtagnantem aquis ſiccaverit; cum tamen ego oſtendam

libr. 4. hujus operis, tempore belli Punici ſecundi ſtagnaſſe eam nondum ſiccatam. Sed hanc fabulam refellit Vincentius Borghinus libr. de Origine Florentiæ pag. 14.

Etruſcorum Rex Tuſcus, & ipſe nomen genti indidit.

CAP. XXV.

UTi de Etruſco Etruriaque actum a me abunde libr. 1. ſupra cap. 1. hoc opere; ita de Thuſco & Thuſcia, ſive Tuſco & Tuſcia capite ſequenti tractatum. Servius Maurus ad libr. 1. Æneid. v. 71. *A Tyrrheno quodam, qui ſubmerſus fuit in mari, quod Tuſciam alluit, cujus filius Tuſcus, a quo fuit Tuſcia*. Feſt. Pompejus libr. 18. *Tuſci a Tuſco Rege, filio Herculis, ſunt dicti*. Ivo Carnotenſis MS. libr. de undecim provinciis Europæ: *Thuſci vel a thure, vel etiam a Rege Tuſco nominati videntur*. In hoc quoque debacchatur Joannes Annius, & poſt ipſum Hieronymus Henningius pag. 654. eum a Tanaide a patre revocatum, Janigenis Coritum creatum, filium ſuum Galatheum, ex Gallis traductum cum colonis, in Siciliam miſiſſe, ſine ullo auctore comminiſcitur. Sed ego pergo.

Hunc *Tuſcum*, ut ego probabiliter exiſtimo Laberius Mimographus opere celebravit; nam apud Nonium in voce *mæſtas* Laberius in Tuſco laudatur, eademque vox corrupta in voce *luculentitatem* cap. 2. num. 510. *Laberius in Tucca*, ſed reſcribe in *Tuſco*. Et eodem capite num. 93. Laberii in Tuſco hæc ſunt:

Bipedem, bliteam, belluam.

Etru-

Etruſcorum Rex Tyrrhenus, ſive Toræbus: ex Lydia, ſive Mæonia in Italiam trajiciens: Tyrrheniam regionem nominavit.

CAP. XXVI.

AB Etruſco Rege Etruria dicta eſt, a Tuſco Rege Tuſcia, ac tertio a Tyrrheno etiam Rege appellationem tota provincia ſortita eſt, ut libr. 1. hoc opere ſupra cap. 3. dicebam. Verrius Flaccus apud Feſtum Pompejum libr. 18. *Turrhenos Etruſcos appellari ſolitos, ait Verrius, a potente duce Lydorum Turrheno*. Servius Honorat. ad libr. 1. Æneid. v. 71. *Forte autem receſſit Tyrrhenus a fratre ſuo Lydo*. Vide locum, & ad libr. 2. Æneid. v. 781. & ad libr. 8. Æneid. v. 478. C. Plin. libr. 3. cap. 5. Strabo Amaſianus libr. 5. Geograph. pag. 151. ubi Hercule & Omphale progenitum Tyrrhenum docet, quorum omnium verba reperies loco laudato poſita. Jul. Solinus cap. 8. Polyhiſtoris corrigendus: *Quis ignorat Tyrrhenos a Tyrrheno Lydiæ Rege dictos*? Ille non erat Lydiæ Rex, ſed Lydiæ Regis filius, ut ex coſmographis, hiſtoricisſque ſatis liquido conſtat; itaque legendum cenſerem: *a Tyrrheno Lydo, Rege dictos*, ut ſit verum, Regem illum Etruriæ factum, verum non indigenam fuiſſe, ſed Lydum & advenam. Fanucius Campanus MS. libr. 2. de Illuſtribus Italiæ Familiis cap. 2. *Tyrrheni a Tyrrheno quodam Atyos filio, qui relicta Mæonia in Italiam ſe contulit, & in ora maris inferi conſedit, ac horum municipium fuit civitas Cariara*. Hæc ultima ab indocto ævo deſumpſit vir alioquin non indiligens; neque enim Cariaram ullam civitatem nominant Geographi, ut indoctum commentum jure videri poſſit. Dionyſ. Halicarnaſſeus libr. 1. non uno loco, ſed quod huc facit, præcipue pag. 24. Tyrrhenos inquit, Ὀνομασθῆναι δ' ὑφ' Ἑλλήνων αὐτὸ τῇ προσηγορίᾳ ταύτῃ οὐδὲν κωλύει, καὶ διὰ τὰς ἐν τύρσεσιν οἰκήσεις, ϗ ἀπ' ἀνδρὸς δυνάστου. *Hoc autem nomine a Græcis eſſe appellatos nihil vetat, vel propter domicilia turrita, vel ab aliquo præpotenti principe*. Hunc Regem Antiphanes Poëta celebravit, fabulamque ab ejus nomine *Tyrrhenum* ſive Τύῤῥηνον vocavit, e qua quædam laudat Athenæus libr. 6. Dipnoſoph. pag. 240. & libr. 7. pag. 329. Et Axionicus Comicus ἐν Τυῤῥηνικῷ citatur *in Tyrrhenico*, quæ fabula, ut probabiliter judicari poteſt, Etruſcam rem referebat: verſus ex ea reperies apud eundem Athenæum libr. 6. pag. 244. Hunc Regem & *Turrhenum*, & *Tyrrhenum*, & *Toræbum*, & *Torybum* appellavere, auctore vetuſtiſſimo ſcriptore Xantho Lydo Hiſtorico, referente Halicarnaſſeo loco laudato.

Etruſcorum Rex Raſena, & ipſe advena, oriundus Mæonia.

CAP. XXVII.

HIc eſt unus ex Græcis principibus & advenis Pelaſgis, qui huic regno incolis admixti præfuerunt. Ejus mentio apud Dionyſium Halicarnaſſ. libr. 1. pag. 24. Αὐτοὶ μέντοι σφᾶς αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἡγεμόνων τινὸς Ῥασένα, τὸν αὐτὸν ἐκείνῳ τρόπον ὀνομάζουσι. *Ipſi vero ſe a ducum quodam Raſena, eodem quo ille modo nominant*. Ex quo loco, niſi ſit corruptus, colligendum videtur, Etruſcos olim quoque *Raſenas* vocatos a Rege Raſena, quem ille more militantium ἡγεμόνα *Ducem* appellat, more probis ſcriptoribus recepto: monebam ſupra. Ovidius de Auguſtis:

Quæ nunc ſub Phœbo ducibuſque palatia fulgent.

Fridericus Sylburgius putat ab iſto, Ravennam urbem conditam, ab eoque tracto nomine, dictam *Ravennam*, quaſi *Raſenam:* quod commentum, quia probis caret auctoribus, ridendum verius, quam ſequendum. Quam autem a vero etiam aberrat Joannes Annius, dum Tuſcos *Raſenos*, & *Razenos*, & *Razennos* nominat, omnia ad Aramæam linguam referens, quaſi Pelaſgi, quorum e numero unus Raſena erat, non ſua, ſive Græca lingua, ſed Anniana, hoc eſt Aramæa, fuiſſent uſi, & quod mirandum magis, invenit ſequaces!

Etruſcorum Rex Nicius Fæſulanus, qui vel ei civitati nomen dedit, vel ab ea nomen ſuum accepit.

CAP. XXVIII.

SEquentes Reges indubie tempora Heroica, & adventum in Italiam Æneæ præceſſerunt. Quos, quia eorum nonnullos parum idoneis ſcriptoribus regnaſſe comperi, leviter perſtringam. Hieronymus Rubeus libr. 1. Hiſtoriæ Ravennat. pag. 5. *Nam quod ad ducis nomen ſpectat, id Mantuæ aliquot poſt annis accidit, ab Ocno Bianoro, cognomento Mantua, Fæſulis a Nicio Fæſulano, Piſis a Piſeo, Bononiæ a Bono, Hadriæ ab Hadrio, qui cum Tuſcorum Reges eſſent, eas urbes condiderunt, & de ſuo nomine vocarunt, ut Manethon, & re-*

& reliqui veteres auctores memoriæ prodiderunt. Niſi auctorem laudaſſet Manethonem, cetera probabilia viris doctis videri potuiſſent; ſed omnem fidem elevat ſpurii illius, & ab Annio ſuppoſiti fragmenti nomen. Hoc ſane non gravate admitto, Reges Etruriæ potuiſſe vel urbes condere, vel conditis mutare nomina, in iiſque ſedem Principatus figere: hinc *Ælium Volaterranum*, *Lucium Fidenatem*, *Porſennam Cluſinum*, *Tolumnium Vejentem* apud probatiſſimos ſcriptores reperimus ſic appellatos ab urbibus, in quibus totius Regni ſedem ſtabilierant. Sic itaque Nicius hic cognomentum Fæſulani obtinuerit, quod Fæſulis potiſſimum oblectaretur; neque enim refert, an ille a civitate inclyta, an civitas ab eo appellationem ſortiatur. Hujus Regis nullus inter antiquos, quod ſciam, meminit, ideoque mihi ſuſpectus: inter recentiores plerique, licet obſcuri omnes, & Hieronymus Henningius, Theatro Genealogico Tom. 1. loco toties laudato: Joannes Lucidus Samotheus libr. 6. de Emendat. tempor. cap. 8. dignus mehercule doctore Annio diſcipulus: Hieronymus Bardus, vir probus & Religioſus, ſed incautus, qui in ſua Chronologia & hunc Regem, & pleraque alia ab Annio mutuatus: Cherubinus Gherardaccius Bononienſis, cetera diligens, niſi frontem hiſtoriæ patriæ his commentis inquinaſſet; quin, quod magis mirum, addunt iſti, Nicium regnaſſe annis 21.

Etruſcorum Rex Piſeus, originis & ipſe Græcanicæ, tubæ æneæ inventor: a celeberrima civitate Piſis nomen habet.

CAP. XXIX.

Sed & hic primis ſeculis, cum adhuc agreſti eſſent nudique ingenio Etruſci, in Italiam adpulit, eamque inferi maris oram occupavit, quæ tunc erat fertiliſſima, poſtea rerum geſtarum gloria toto orbe celebratiſſima eſt habita. Meminere ejus iidem moderni Scriptores, quos ſuperiori capite advocavi: & præterea inter veteres, cujus in his rebus maxima merito fides eſt, C. Plinius libr. 7. Natural. Hiſtor. cap. 56. Inveniſſe inquit, *Æneam tubam Piſeum Tyrrhenum* volunt, & tamen nos & hoc libro, & libr. 3. cap. 67. infra hoc opere docemus, Meleum imperatorem Etruſcorum inveniſſe tubam; ut ſit frivolum & temerarium duobus principibus aſſignare, quod uni tantum convenit; ſed reſponderi poteſt, tubam quidem Meleum excogitaſſe, ſed non æream, quæ ſoli Piſeo Etruſco debetur. Quod autem eum Tyrrhenum appellat Plinius, puto de principa-

ciparu intelligendum; nam gente & domo Tuſcum fuiſſe non comperi.

Eundem hunc idem Plinius capite laudato ad finem celebrat, ſed corruptus: *Antea ex prora tantum, & puppi pugnabatur, roſtra addidit Piſeus, Tyrrheni anchoram.* Verum corrigendus locus, & cum hac diſtinctione legendus: *roſtra addidit Piſeus Tyrrhenus & anchoram.* De qua re etiam libr. 3. hoc opere infra.

Idem hic Princeps eſt clariſſimus venationis artibus; nam proditum eſt, ait Plinius eodem capite, *Piſeum venabula* inveniſſe.

Sive itaque a Piſis Eliacis nomen habuerit, ſive a Piſis Etruſcorum, celeberrima & maxima Etruriæ urbe, ut eſt apud Polybium libr. 2. pag. 104. ſive eidem civitati nomen dederit; parum intereſt; hunc modo conſtet, ante Æneæ in Italiam adventum Tuſcis imperaſſe, idque ſeculis multis, quod libr. 5. cap. 1. dicetur.

Licet Plinius eum Tyrrhenum dicat, tamen Græcanicæ ſtirpis, ſaltem peregrinæ credibilius reor. Servii Honorari monet auctoritas, qui ad libr. 10. Æneid. pag. 583. *Alii Piſum Celtarum Regem fuiſſe, Apollinis Hyperborei filium, & cum Samnitibus bellum geſſiſſe, a quorum Regina, quæ poſt conjugis mortem in regnum ſucceſſerat, receptum in Etruria oppidum ſuo nomine condidiſſe.* Sic igitur Piſeus hic noſter, more aliorum Principum, fiet filius Apollinis, Rex Celtarum, ſive Gallorum, Rex Samnitium, & Rex Etruſcorum. Per eundem etiam Principem volunt in dirionem Corſicam Inſulam acceptam, piratis graſſanribus mare liberatum: quod neque omnino improbabile, quia res ipſa videtur ſuffragari: neque penitus aſſentiendum, quod probatis auctoribus res careat. Æneas Gallettus libr. 5. Hiſtor. Univerſal.

. . . . Tyrrhena pondera Piſeus
Excipit, huic Cyrnos Phocenſibus inſula pulſis
Subditur, hic pelagi piratis verberat undas,
Tuſcaque vexabat proceres diſcordia Regna
Enervans.

Etru-

Etruſcorum Rex Alæſus, ſive Aleſus, ſive Haleſus, Græcus & ipſe.

CAP. XXX.

HUnc Regem etiam vetuſtiſſimum ipſæ de eo fabulæ, & ſuperans hiſtoriarum memoriam fama divulgat; ſed nec nomen omnes eodem ſcribunt modo: quibuſdam eſt dictus *Alæſus*, aliis *Haleſus*, non nullis placet *Aleſus*, ſed parvo diſcrimine, & puto diverſos. Servius Honoratus ad libr. 8. Æneid. pag. 503. *Quidam etiam dicunt Salios a Morrio Rege Vejentanorum inſtitutos, ut Aleſus Neptuni filius eorum carmine laudaretur, qui ejusdem Regis familiæ auctæ ultimus fuit*. Ex quo loco, quam vetuſto ſeculo hic imperaverit, dijudicari facile poteſt, cum in ejus honorem Saliorum ſacra ſint excogitata, quæ diu ante Trojam everſam, & appulſum Æneæ in Italiam celebrari ſolita conſtat. Ejus meminit Fr. Leander Alberti in Italiæ ſua deſcriptione pag. 418. Illum Neptuni filium facit, more rudioris illius ævi, quo præclaros quoſque principes Deo natos aliquo, aut in Deum verſos credula gentilitas ſibi perſuadebat.

Eum Vejentum Regem fuiſſe, Servii verba ſupra poſita evincunt, qui ait Morrium ultimum Regis illius Aleſi familiæ habitum, de quo nihil, quod addam præterea, inpræſentiarum habeo.

Etruſcorum Rex Haleſus gente Argivus, Faliſcos, & Alſium, civitates condidit, & a ſuo nomine vocavit.

CAP. XXXI.

HAleſum hunc ab Aleſo ſuperiori diverſum, vel ex eo eſſe liquet, quod ille Neptuni filius, antequam Salii, Herculis Martiſque Sacerdotes eſſent inventi, Vejentibus præfuit: hic Agamemnonis filius, cæſo patre matris ſcelere, in Italiam trajecit, & non Vejos incoluit, ſed Faliſcos Alſiumque civitates poſtea clariſſimas condidit: eique forte nomen a *flumine Haleſo*, cujus celebre in Græcia nomen, Colophonem alluentis, ut meminit Pauſanias, & ante illum C. Plinius libr. 5. cap. 29. Servius ad libr. 7. Æneid.

Æneid. pag. 479. *Æquos, Faliſcos Haleſus condidit. Hi autem immutato H. in F. Faliſci dicti ſunt, ſicut, febris nunc dicitur, que ante bebris dicebatur*. Virgil. libr. eodem pag. 480.

Hic Agamennonius Trojani nominis hoſtis
Curru jungit Haleſus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos.

Ubi Servius eum vel Agamennonis comitem, vel filium aſſerit. Fortem ille operam contra Trojanos Æneamque navavit. Idem Poëta libr. 10. Æneid.

. . . . . . occurrit Haleſus
Auruncæque manus.

Et paucis interjectis ibidem:

. . . . ſed bellis acer Haleſus
Tendit in adverſos, ſeque in ſua colligit arma.

Atque ille a Pallante, Evandri filio, peremptus, interiit, ut ſequentibus deſcribitur ibidem loci verſibus. Faliſcorum ille conditor., P. Ovid. libr. 3. Amorum Eleg. 13.

Argiva eſt pompæ facies, Agamennone cæſo
Et ſcelus & patrias fugit Haleſus opes.
Jamque pererratis profugus terraque marique
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille ſuos docuit Junonia ſacra Faliſcos
Sint mihi, ſint populo ſemper amica ſuo.

Ab eo itaque & nomen Coloniæ impoſitum, quod video adnotaſſe Hadrianum Turnebum libr. 22. cap. 3. & Raphaëlem Volaterranum libr. 33. Commentarior. pag. 1030. & ſimul ſacra Junonis ex Græcia in Etruriam intulit; quare ſumma veneratione Juno a Vejentibus, & Faliſcis colebatur, ut adnotabam libr. 1. hoc opere ſupra cap. 17.

Ab eodem etiam Rege Alſium, validam & bellicoſam civitatem, conditam volunt. Petrus Marſus obſervavit. Sil. Italic. libr. 8. Punicor.

Nec non Argolico dilectum nomen Haleſo
Alſium.

Etru-

Digitized by Google

Etruſcorum Rex Tarcon, Græcus ex Mæonia, primo præfectus Tyrrheni tantum, mox ipſe Rex factus: frater Tyrrheni vel filius: civitates duodecim ſtruxit: nomen ſuum Tarquiniis indidit: Cortonæ habitavit.

CAP. XXXII.

Gente & domo hic Græcus, Tyrrheni Regis ex Lydia ſive Mæonia in Etrutiam adpellentis comes, & expeditionis ſocius, operibuſque publicis ab eodem Principe præfectus, quo paulo poſt extincto, ipſe Regni faſtigio admotus, Etruriam ſtructis civitatibus impenſius exornavit, a quo duodecim urbium, ſive populorum Etruſcorum initia defluxere, quæ tam celebri claroque apud poſteros nomine vel virtus fovit, vel fortuna protexit. Raphaël Mapphæus Volaterranus libr. 5. Commentarior. pag. 124. Strabo Amaſian. libr. 5. pag. 151. Οἱ Τυῤῥηνοὶ τοίνυν παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις Ἐτροῦσκοι καὶ Τοῦσκοι προσαγορεύονται, οἱ δ' Ἕλληνες οὕτως ὠνόμασαν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ Τυῤῥηνοῦ τοῦ Ἄτυος, ὥς φασι, τοῦ στείλαντος ἐκ Λυδίας ἀποίκους δεῦρο, ἀπὸ γὰρ λιμοῦ καὶ ἀφορίας ὁ Ἄτυς εἷς τῶν ἀπογόνων Ἡρακλέους καὶ Ὀμφάλης δυοῖν παίδων ὄντων κλήρῳ Λυδὸν μὲν κατέσχε, τὸν δὲ Τυῤῥηνὸν τὸν πλέω συστείλας λαὸν, ἐξέστειλεν. ἐλθὼν δὲ τὴν χώραν ἀφ' ἑαυτοῦ Τυῤῥηνίαν ἐκάλεσε, καὶ δώδεκα πόλεις ἔκτισεν, οἰκιστὴν ἐπιστήσας Τάρκωνα, ἀφ' οὗ Ταρκυνία ἡ πόλις, ὃ διὰ τὴν ἐκ παίδων σύνεσιν πολιὸν γεγενῆσθαι μυθεύουσι. Latine ſic ſonant: *Tyrrheni ergo a Romanis Etruſci & Tuſci nominantur, Græce ſic appellantur a Tyrrheno Atyos filio, qui eo coloniam ex Lydia duxerit; fame enim & ſterilitate coactus Atys, unus ex Hercule & Omphale prognatis, de duobus filiis, alterum nomine Lydum detinuit ſorte, alterum Tyrrhenum cum majore populi parte amandavit. Is, cum in Italiam veniſſet, regionem a ſuo nomine Tyrrheniam nuncupavit, & duodecim urbes condidit, præfecto rei Tarconte, a quo Tarquiniis urbi nomen eſt. Hunc, quod a puero ſaperet, canum natum fabulantur.* De ejus canitie plene Euſtathius ad Homerum libr. 2. Iliad. quo figmento nihil aliud ſignificare voluerunt, quam illum inſigni rerum politicarum induſtria experientiaque eruditum, optimum Etruriæ ſtatum legibus ordinaſſe, quas quidem & Romani ab iis, quibus eas Tarcon tradiderat, populis poſt multa ſecula petierunt; ut ad finem libr. 3. hoc opere infra doceo. Meminit non uno loco hujus Servius Maurus ad libr. 6. Æneid. pag. 403. *Graja ab urbe, propter Evandrum, qui eum in Tuſciam miſſurus ad Tarchontem eſt.*

Iſtum hactenus exiſtimarunt privatæ ſortis hominem a Tyrrheno duo-

duodecim civitatum condendarum in Tuſcia præfectum tantum fuiſſe; ſed ego eum Tarchonem, ſeu Tarconem more Græco, Tyrrheni filium, probo eſſe ex iſtis Servii ejusdem ad libr. 10. Æneid. pag. 583. ex Catone in Originibus. *Cato Originum, qui Piſas tenuerint, ante adventum Etruſcorum negat ſibi compertum, ſed inveniri Trachonem Tyrrheno oriundum, poſtquam eorundem ſermonum........cæperit Piſas condidiſſe, cum ante regionem eandem Teutones quidam Græce loquentes poſſederunt*. Locum eſſe corruptum certo conſtat, vel ex illis, *Cato Originum*, deeſt ſcilicet, vel *primo*, vel *ſecundo*, vel aliquid ſimile; deinde lege: *inveniri Tarchonem Tyrrheno oriundum*. Idem certe probatiſſimus grammaticus, ut in re parum ſibi comperta, variat ad illud eod. libr. pag. 585.

Fatidicæ Mantus & Tuſci filius amnis.

Alii a Tarchone Tyrrheni fratre conditam (Mantuam) *dicunt*. Ut duodecim itaque celebratas Etruriæ civitates Tyrrheni Regis vel frater, vel filius Tarchon condidit, ita & Mantuæ ortum ad eundem antiquitas traxit. Hujus Regnum in Pici Latinorum Regis tempora rejiciunt ſcioli, ſed impudenter, nam antiquior longe Picus. Æneas Gallettus tamen libr. 4. Hiſtor. Univerſal.

Inde tenet Picus Latiæ faſtigia ſedis
Sole viam quarto metiente per æthera, Tarcon
Siſtitur Etruſco ſolio.

Sed verius eſt, illum regnaſſe, cum in Italiam quadringentis pene annis ante Romam conditam veniſſet Æneas, frequens ejus quippe apud Maronem mentio, niſi alius ſit Rex eodem nomine, quod non eſt omnino improbabile. Igitur libr. 8. Æneid.

Haud procul hinc Tarco & Tyrrheni tuta tenebant
Caſtra locis.

Et libr. 10. Æneid.

Admonet, admiſcetque preces, haud ſit mora, Tarcon
Jungit opes.

Et ſæpius eodem libro:

.... ſpeculatus litora Tarcon

Et libr. 11. Æneid. Æneæ æqualem eum facit, ubi in funere Pallantis:

Jam pater Æneas, jam curvo in litore Tarcon
Conſtituere pyras.

Memorabilem vero ejus virtutem deſcribit ibidem loci Poëta paulo poſt:

Tyrrhenum genitor Tarcontem in prælia ſæva
Suſcitat, & ſtimulis haud mollibus incitat iras.
Ergo inter cædes, cedentiaque agmina Tarcon
Fertur equo.

Et paucis interjectis:

Tollitur in cælum clamor, cunctique Latini

Con-

Convertere oculos, volat igneus æquore Tarcon
Arma virumque ferens, tum ſumma ipſius ab haſta
Defringit ferrum, & partes rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat.

Denique luctuoſam pugnam Latinis ex felici certaminis eventu colligit ibidem poſt pauca:

Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarcon
Portat ovans, ducis exemplum, eventumque ſecuti
Mæonidæ incurrunt.

Ac ne eum quis præfectum tantum, non etiam Regem dicere poſſit, clare Virgilius libr. 8. Æneid.

Ipſe oratores ad me, regnique coronam
Cum ſceptro miſit, mandatque inſignia Tarcon,
Succedam caſtris, Tyrrhenaque Regna capeſſam,

Regia ejus fuit Cortonæ. Sil. Italic. libr. 8. Punic.

Lectos Cære viros, lectos Cortona ſuperbi
Tarcontis domus.

Etruſcorum Rex Felſinus, a quo Bononia ſtructa Felſina eſt appellata.

CAP. XXXIII.

Hunc non poſuiſſem inter Etruriæ Reges, niſi me Plinii auctoritas permoviſſet; nam quicquid Joannes ille Annius, eumque ſecuti Hieronymus Henningius Tom. 1. Theatri Genealogi, Joannes Lucidus Samotheus libr. 6. de Emendar. tempor. cap. 8. Cherubinus Gherardacchius in hiſtoriæ Bononienſis initio, Hieronymus Bardius Florentinus in Chronologia, aliique pro vera hiſtoria obtrudunt, ego quiſquilias meraſque burras duco. Leander Alberti in deſcriptione Italiæ pag. 323. & multis ſequentibus: & nos obiter quædam libr. 1. hoc opere cap. 9. & Servii Mauri ad libr. 10. Æneid. pag. 585. corrupta in hanc rem, quæ infra corrigentur hoc libr. cap. 36. ubi pro *Felſina*, *Celſina*, & pro *Bononia*, *Bona* leguntur. C. Plin. libr. 3. cap. 15. in deſcriptione octavæ regionis: *Intus Coloniæ, Bononia, Felſina vocitata; cum princeps Etruriæ eſſet.* Locum eſſe depravatum liquido conſtat, tantum enim abeſt, ut caput ſeu princeps Etruriæ eſſet Bononia, quin ne in Etruria quidem dici poterat, quippe extra Apenninum & Macram fluvium latiſſimæ Etruriæ terminos ſita. Corrigo igitur locum: *Bononia, Felſina vocitata, cum Principis Etruriæ eſſet Regia*; ut ſit verum coloniam eam eſſe Etruſco-

rum, & Principes in ea, tamquam amœniſſima ſtatione, degere ſolitos; niſi forte dicamus duplicem Etruriam, ante Romana in eam provinciam illata arma: unam trans Apenninum, Macra & Tiberi fluminibus clauſam: aliam cis Apenninum, cujus princeps haud gravate potuerit eſſe Bononia: & nunc ex duodecim illis urbibus, a Tuſcis in Gallia Ciſalpina ductis, ſola ea ſupereſt, tantæ potentiæ, tantarumque virtutum ſeu monimentum, ſeu trophæum.

Etruſcorum Rex Bonus, ſive Bon, fabuloſus: nomen Bononiæ, non ab eo, ſed a Boiis deſumptum.

CAP. XXXIV.

Iſte non ideo huic nomenclaturæ inſeritur, quod putem, eum revera unquam fuiſſe, ſed ut inſcitia Annii Viterbienſis, & ſequentium, qui cum nunquam vel limine tenus bonarum artium ſtudia attigiſſent, tamen ex Aramæa illa ſua lingua, & ſuppoſitiis Metaſthene, Beroſo, Catone, Manethone, Xenophonte, ac Sempronio, videri volebant omnium diſertiſſimi, atque adeo talibus nugis bene de patria ſe meritos credebant, cum nobilitati ejus frivolis ſuis commentis non parum offeciſſent. Illi itaque Felſino Regi Bonum, ſive Bon ſucceſſiſſe docent, & nomen civitatis mutaſſe, dixiſſeque Bononiam: & quod magis mihi mirum, annum addunt, quo regnaverit, ſcilicet a mundo condito 3097. ante partum ſalutiferum annis 864. Hujus Regnum, ut aliorum ab Annio confictorum, celebrat Æneas Gallettus libr. 5. Hiſtor. Univerſal.

Inde novæ Bonus ætatis primordia Tuſcæ
Illuſtrat, Janique lares ſplendore tiaræ.

Errant iſti literiones improbi, qui Bononiam a Bono Etruriæ Rege dictam credi volunt, cum ſit a Boiis, qui eum tractum Galliæ Ciſalpinæ diu tenuerunt, teſtibus Livio & Polybio, primum *Bojonia* & poſtea *Bononia* appellata, paulum nomine, ut fieri ſolet, immutato: quod exequitur in Annalibus Bojorum Joannes Aventinus, & indicat Raphaël Mapphæus Volaterranus libr. 4. Commentarior. pag. 118. Hadrianus S. R. E. Cardinalis S. Chryſogoni in Itinere Pontificis Julii 2. ubi ſic:

Urbs antiqua, ingens, Etruſcis Regia quondam
Felſina, tum Boiis fato irrumpentibus impar
Accepiſſe novum fertur Bojonia nomen;
Verum ubi ſunt Boii Romano milite pulſi,
Barbariem excuſſit, cœpitque Bononia dici.

Etru-

Etruſcorum Rex Hadrius, Civitati Hadriæ, ſive Atriæ aut Adriæ nomen dedit.

CAP. XXXV.

HUnc, non ii modo, quos toties vituperavi, nomenclaturæ Regum Tuſcorum inſerunt, ſed & probabilis ſuadet ratio, hunc & Etruſcis imperaſſe, & nomen urbi illi celeberrimæ Adriæ, ſive Atriæ impoſuiſſe, ut libr. 4. hoc opere infra dicam. Hieronym. Rubeus Hiſt. Ravennat. libr. 1. *Nam quod ad ducis nomen ſpectat, id Mantuæ aliquot poſt annis accidit, ab Ocno Bianoro, cognomento Mantua, Fæſulis a Nicio Fæſulano, Piſis a Piſæo, Bononiæ a Bono, Hadriæ ab Hadrio, qui cum Tuſcorum Reges eſſent, eas urbes condiderunt, & de ſuo nomine vocarunt.* Hic dictus fuit, ſicut urbs ea præclara & antiquiſſima, ſive Atrius, ſive Adrius, ſeu Hadrius: unde & Hadriani Auguſti familia & nomen, quod aliis poſt eum Antoninis familiare ac veluti gentilitium fuiſſe lapides demonſtrant & marmora vetuſta: variat quoque ea ſcriptura apud Strabonem, Antonini Itinerarium, ſeu verius Scoti, uti ſuo loco expedietur. Æneas Gallettus libr. 5. pag. 122.

Atrius inde gerit Tuſci veſtigia regni.

Etruſcorum Rex Ocnus, ſive Hocnus, Anenus Bianor, Mantuæ conditor, cujus ſepulchrum non longe urbe erat.

CAP. XXXVI.

VErum hunc, & ſine dubio legitimum Etruriæ Regem fingunt illa literarum propudia cognomento fuiſſe *Mantuam* dictum, quod inter reliqua eorum deliria ponendum. Certe eum, ut Regem Æneæ tempore Etruriæ, fortem Trojanis navaſſe operam & Virgilius ſcribit, & commemorat Aurelius Macrobius libr. 5. Saturnal. cap. 15. Servius Honoratus ad Eclog. 9. in fine: BIANORIS *hic eſt, qui & Hocnus dictus eſt, de quo ait in decimo;* laudat deinde verſum infra citandum. *Conditor Mantuæ dictus Bianor autem eſt, quaſi animo, & corpore fortiſſimus,* ἀπὸ τῆς βίας ϗ ἀνορέης.

plus. Apparet autem ex ſermone paſtorum eo loci, extra urbem Bianoris conditoris ſepulchrum fuiſſe; ita enim:

> *Hinc adeo media eſt nobis via, namque ſepulchrum*
> *Incipit apparere Bianoris: hic, ubi denſas*
> *Agricolæ ſtringunt frondes*.

Ejusdem grammatici verba doctiſſima, & ab alto vetuſtatis eruta ſitu adponam in libr. 10. Æneid. pag. 585. OCNUS. *Iſte eſt Avenus, quem in Bucolicis Bianorem dicit*........*hic Mantuam dicitur condidiſſe, quam a matris nomine appellavit, nam fuit filius Tyberis & Mantus Tyreſiæ Thebani vatis filiæ, quæ ad Italiam poſt parentis venit interitum. Alii Mantos filiam Herculis vatem fuiſſe dicunt: Hunc Ocnum alii Auleſtis filium, alii fratrem, qui Peruſiam condidit, referunt: & ne cum fratre contenderet, in agro Gallico Celſenam, quæ nunc Bona dicitur, condidiſſe, permiſiſſe autem exercitui ſuo, ut caſtella munirent, in quorum numero Mantua fuit. Alii a Tarchone Tyrrheni fratre conditam dicunt; Mantuam autem ideo nominatam, quod Etruſca lingua Mantum Ditem patrem appellant, cui etiam cum ceteris urbibus & hanc conſecravit*. Et paucis interjectis ibidem loci: DIVES AVIS. *Majoribus præpotens, & bene dives avis, quia non ab Ocno, ſed ab aliis quoque condita ſit; primum namque a Thebanis, deinde a Tuſcis, noviſſime a Gallis, vel (ut alii dicunt) a Sarſinatibus, qui Peruſiæ conſederant*. Depravatus inſigniter locus; nam neque civitas in Italia ulla, quæ Celſina primum, Bona deinde vocaretur, neque ſi qua fuiſſet, altum adeo inter Geographos ſilentium foret. Reſtituendus itaque nitori ſuo doctiſſimi grammatici locus: *Et ne cum fratre contenderet, in agro Gallico Felſinam, quæ nunc Bononia dicitur, condidiſſe*. Quem locum tot Italos ab illuſtranda ſua patria laudem ſcriptis quærentes fefelliſſe, aut ſubterfugiſſe miror. Vide quæ cap. 33. hoc libro ſupra dicta ſunt de Felſino Rege, & Felſina colonia Tuſcorum.

Jam vero auxilia Æneæ, ſtrenuamque operam idem Rex Ocnus præſtans a Virgilio inducitur loco laudato; ſed Virgilius, inquit ibidem Servius, *miſcet novam & veterem Etruriam, ut utriuſque principatum patriæ ſuæ aſſignet, cum alioquin Mantua ad hæc auxilia pertinere non debeat, quod Æneas nulla a Transpadanis auxilia poſtulaverit, cum omnis exercitus adverſus Mezentium uno loco conſederit, & propterea putatur Poëta in favorem ſuæ patriæ hoc loquutus, ut de hac ſola trans Padum pro Ænea venire auxilia adverſum Mezentium facit, & quod nec populorum nomina, nec Lucumonum retulerit*. Ex quibus clarum eſt ex mente Servii Bianorem Avenum tempore adventus Æneæ in Italiam non regnaſſe, ac multo minus bello illi interfuiſſe, quod cum Latinis ab eo & Rutilis geſtum eſt. Secus vero Poëta:

> *Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris*
> *Fatidicæ Mantus, & Tuſci filius amnis*,

Qui

Qui muros matriſque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua dives avis, ſed non genus omnibus unum,
Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni
Ipſa caput populis Tuſco de ſanguine vires.
Hinc quoque quingentos in ſe Mezentius armat.
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infeſta ducebat in æquora pinu,
It gravis Auletes centenaque arbore fluctum
Verberat aſſurgens, ſpumant vada marmore verſo.
Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta, cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons hominem præfert, in priſtin deſinit alvus,
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat unda
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subſidio Trojæ.

Quem locum ideo longiorem adſcripſi, ut oſtenderetur a Gallia togata Æneam & petiiſſe auxilia, & obtinuiſſe. Denique hujus principis Regnum, ut aliorum præclara facinora Annii ſequaces corruperunt, portentoſa quæque de eo commiſcentes, quod tutorem habuerit Mezentium, quod ſuo tutori jam pubes factus bellum intulerit, ut nugator ille Æneas Gallettus libr. 4. vult. pag. 73.

. . . . . . Tuſcoque favente ſenatu
Hic tutor datur imperii Mezentius Ocno.

Et eodem libr. pag. 81.

. . . . dilabitur arce
Effugiens patrum ſævos Mezentius angues,
Nobilis Imperii Tiberini juſſibus Ocni
Tarconti datur exſomni cuſtodia rerum.

Quem ideo advoco, non quod putem eum, ad res has ſerias, & graves advocari; ſed quia, ubi res probata eſt idoneis auctoribus, proletario hoc teſte uti nihil nocet.

Etru-

Digitized by Google

Etruſcorum Rex Mezentius, Cærite Regiam habebat: pactus vina Latina Turno in Æneam auxiliatus eſt: Latinum Aboriginum Regem & Æneam interfecit, & ab Aſcanio ejus filio interemptus: crudelia ſupplicia excogitavit: contemptor divum dictus: Imperator etiam vocatus: in exilium a ſuis pulſus.

CAP. XXXVII.

EO jam devenimus ſecuritatis, ut ſub adventum in Italiam Æneæ florentiſſimum fuiſſe Regnum Etruriam conſtet, quo tempore Mezentius regnabat, Agyllæ, ſive Cærite degens, atque exinde toti provinciæ imperans. Sed audiendi Hiſtorici. Trogus Pompejus, & ex eo M. Junianus Juſtinus libr. 43. *Æneas ab Ilio, Troja a Græcis expugnata, in Italiam venit, ſtatimque prælio exceptus, cum in aciem exercitum eduxiſſet, & ad colloquium vocatus, tantam admirationem ſui Latino præbuit, ut in ſocietatem Regni reciperetur, & Lavinia in matrimonium data, ei gener adſciſceretur: poſt hæc commune utriuſque bellum adverſus Turnum Rutulorum Regem, propter fraudatas Laviniæ nuptias fuit, in quo & Turnus & Latinus interierunt; igitur cum Æneas jure victoriæ utroque populo potiretur, urbem ex nomine uxoris Lavinia condidit. Bellum deinde adverſus Mezentium, Regem Etruſcorum geſſit, in quo cum ipſe occidiſſet, in locum ejus Aſcanius filius ſucceſſit.* Sed paulo diverſa his apud T. Livium ſtatim in limine magni operis: *Bello deinde Aborigines Trojanique ſimul petiti, Turnus Rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Æneæ fuerat, prælatum ſibi advenam ægre ferens, ſimul Æneæ Latinoque bellum intulerat; neutra acies læta ex eo certamine abiit, victi Rutuli, victores Aborigines Trojanique ducem Latinum amiſere: inde Turnus Rutulique diffiſi rebus, ad florentes Etruſcorum opes, Mezentiumque eorum Regem confugiunt, qui Cære opulento tum oppido imperitans, jam inde ab initio minime lætus novæ origine urbis, & tum nimio plus ſatis tutum quam eſſet accolis, rem Trojanam creſcere ratus, haud gravate ſocia arma Rutilis junxit.* Longa deinde narratione exitum illius belli narrat, quam vide. Summa eſt, Æneam acie interfectum in Deos relatum, terminos utrique genti Tiberim poſitum, quæ ex eo repetit Antonius Coccius Sabellicus Ennead. 1. lib. 7. pag. 146. Cn. Egna-

tius

tius Veratius, & Ælius Tubero in Origine gentis Romanæ, diſſentiunt ab utroque, Livio Trogoque: *Æneam occiſo Turno rerum potitum, cum adhuc irarum memor Rutulos bello perſequi inſtituiſſet, illos ſibi ex Etruria auxilium, Mezentii Regis Agyllæorum adſciviſſe, ac imploraviſſe, pollicitos, ſi victoria parta foret, omnia, quæ Latinorum eſſent, Mezentio ceſſura*. Sed nec concordia his omnino prodit Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 1. pag. 52. ubi poſt Latinum quatuor annos explevit Æneas: Ῥότολοί τε γὰρ ἐκ πολέων ϛρατευσάμενοι ἅπαντες πρὸς αὐτὸν, καὶ σὺν αὐτοῖς βασιλεὺς Τυῤῥηνῶν Μεσέντιος δείσας περὶ τῆς αὐτοῦ χώρας. *Rutili univerſi oppidatim arma contra eum ſumpſerunt, & una Etruſcorum Rex Meſentius, timens ſuæ ditionis oppidis*. Ab eo appellatur *Meſentius*, qui aliis eſt *Mezentius*. Uti apud eundem libr. 2. pag. 81. Hanc ejus in Æneam Trojanoſque cum Aboriginibus fœderatis expeditionem Virgil. libr. 7. Æneid., quamquam nonnihil ab hiſtoricis differens, memorat:

Primus init bellum Tyrrhenis aſper ab oris
Contemptor Divum Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxta Lauſus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni:
Lauſus equum domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequicquam ex urbe ſecutos.
Mille viros, dignus patriis qui lætior eſſet
Imperiis, & cui pater haud Mezentius eſſet.

Cære, ut ait Livius ſupra, aut urbs *Agyllina*, ut Maro vult, illi Regia, quod confirmat Cornificius apud Feſtum libr. 13. in voce *Oſcillum: Latinus Rex eo prælio, quod ei fuit adverſus Mezentium, Cæritum Regem, nuſquam apparuerit, judicatuſque ſit factus Juppiter Latiaris. Itaque per ſex eos dies feriatos liberos, ſervoſque requirere eum, non ſolum in terris, ſed etiam qua videretur cælum poſſe adiri per oſcillationem, velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altiſſima ad infimum, interdum infima ad ſummum efferuntur*. Quo loco non tantum Cærite Regiam habuiſſe Mezentium, Cornificii verbis docemur, ſed & ab eodem, Latinum, Aboriginum Regem, interfectum, quod præclarum fortitudinis ejus argumentum.

Cauſam belli, ab eo in Æneam Latinumque ſuſcepti, timor dicitur fuiſſe, ne creſcentes opibus illi, vicinam ipſius ditionem affligerent. Livius & Halicarnaſſeus ſupra laudatis locis; ſed alia a Varrone apud C. Plinium traditur libr. 14. cap. 12. *M. Varro auctor eſt, Mezentium, Etruriæ Regem, auxilium Rutilis contra Latinos tuliſſe, vini mercede, quod tum in agro Latino fuit*. Verba Ovid. ſunt libr. 4. Faſtor.

Turnus, an Æneas Latiæ gener eſſet Amatæ
Bellum erat. Etruſcas Turnus adorat opes.
Clarus erat, ſumptiſque ferox Mezentius armis,
Et vel equo magnus, vel pede major erat.

Quem Rutuli Turnuſque ſuis adſciſcere tentant
Partibus; hæc contra dux ita Tuſcus ait:
Stat mihi non parvo virtus, mea vulnera teſtor,
Armaque, quæ ſparſi ſanguine ſæpe meo.
Qui petis auxilium, non grandia divide mecum
Præmia, de lacubus proxima muſta tuis.
Nulla mora eſt operæ: veſtrum dare: vincere noſtrum
Quam velit Æneas iſta negata mihi!
Annuerant Rutili: Mezentius induit arma,
Induit Æneas, alloquiturque Jovem:
Hoſtica Tyrrheno vota eſt vindemia Regi,
Jupiter, e Latio palmite muſta feres.
Vota valent meliora, cadit Mezentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcatis ſordibus uvis,
Redduntur merito debita vina Jovi.
Dicta dies hinc eſt Vinalia.

Hoc feſtum, Vinalia dictum, ruſtici poſt tempora Mezentii coluerunt in honorem Jovis, cui vinum, aut ſaltem vini primitias votas Mezentius ſibi vindicare volebat, ut Feſtus libr. ult. innuit: eratque is dies 10. Kalend. Majas, ut eſt in veteri Calendario, vel 9. Kalend. Majas, ut ſcribit Plinius libr. 18. cap. 29. Vinumque hoc *calpar* dicebatur, & *ſacrima*, quod Jovi offerebatur: deinde boni omnis gratia, dicebant inde bibentes: *Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor*. Proclus & Joannes Grammaticus Græcos hoc feſtum πιθοίγια vocare ſcribunt, licet in menſem Januarium illud rejiciant. Sed ad hiſtoricam de Mezentio relationem revertor.

Tuſcum ſimpliciter Servius Maurus facit libr. 10. Æneid. pag. 609. *Liguria autem cohæret Tuſciæ, de qua fuerat Mezentius*. Sacrilegum autem eundem deſcribit ad librum eundem pag. 608.

At Jovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ.

Novimus ſacrilegum eſſe Mezentium, novimus quoque Jovem etiam exhortatum eſſe alios Deos, ut a bello deſiſterent, & dixiſſe: Rex Jupiter omnibus idem. *Quomodo ergo procedit*, At Jovis interea monitis? *Dicimus primo Jovem juſtitiæ favere, non partibus; quod ſi eſt, jure Mezentium in Turni locum facit venire, ut juſtum prælium inveniatur, ne una pars penitus ſit a ducibus deſtituta; quod autem dicitur: ſacrilegum Jupiter admonere non debuit, non admonet ut vincat, ſed ut poſſit perire, illud etiam fruſtra quæritur, quemadmodum numini obedire ſacrilegus potuerit, cum Mezentium Jupiter non aperte moneat, ſed iniiciat tale deſiderium, unde eſt:*

. . . . . Dii ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an ſua cuique Deus fit dira cupido?

Cur autem ſacrilegus, aut divum contemptor dicendus ſit, & habendus

Me-

Mezentius, non exprimit Servius; ſed cauſa eſt elegans apud M. Catonem libr. 1. Originum, apud Aurel. Macrob. libr. 3. Saturn. cap. 5. in hæc verba: *Adeo autem omnem pietatem, quæ in ſacrificiis, quæ Diis oblata ſunt, poſuit, ut propter contrariam cauſam, Mezentium vocaverit contemptorem Deorum, non ut Aſpro videtur, ideo divum contemptor dictus eſt, quod ſine reſpectu Deorum in homines impius fuerit; alioqui multo magis hoc de Buſiride dixiſſet, quem longe crudeliorem, illaudatum vocare contentus eſt.* (libr. 3. Georgicon in principio) *Sed veram hujus contumaciſſimi nominis cauſam, in primo Originum Catonis libro diligens lector inveniet; ait enim. Mezentium Rutilis imperaſſe, ut ſibi offerrent, quas Dii primitias offerebant, & Latinos omnes ſimilis imperii metu ita voviße: Jupiter ſi magis tibi cordi eſt, nos ea potius tibi dare, quam Mezentio, uti nos victores facias; ergo qui divinos honores ſibi exegerat, merito dictus eſt a Virgilio contemptor Deorum; hinc pia illa inſultatio ſacerdotis* (libr. 11. pag. 619. Æneid.)

. . . hæc ſunt ſpolia, & de Rege ſuperbo
Primitiæ, manibuſque meis Mezentius hic eſt.

ut nomine contumaciæ, cujus pœnas luit, raptas de eo notarent exuvias. Non abſimilia apud Plutarchum deprehendi Problemat. Roman. pag. 275., ubi Μεζέντιος Τυῤῥηνῶν ϛρατηγὸς vocatur, *Mezentius Etruſcorum Imperator*. Quod imperatoris nomen neſcio, an alibi de Rege Etruſcorum ullo poſitum inveniatur, præter quam de Meleo, ut ſupra hoc libro expoſitum cap. 21. Et forte more id Romano poſſit dictum videri, qui Reges & imperatores promiſcue uſurpant, quoties exercitui imperant; unde primum *Imperatorum* nomen defluxiſſe omnes ſciunt, & ego aliquoties ſupra hoc libro adnotavi.

Ejusdem Mezentii epitheton perpetuum apud Virgilium eſt *Contemptor Deum*, & Servius ſemper *ſacrilegum* interpretatur, ut libr. 8. Æneid. pag. 486. *Bona electio perſonarum ad delectum habendum, unus eques bonus, ideſt Meſſapus mittitur: alter pedes egregius contemptorque deorum Mezentius; quis enim juſtius, quam ſacrilegus contra pios & prepararet bellum, & gereret?* Et libr. 10. Æneid. pag. 614. ubi Poëta:

. . . ſi qua eſt ea cura remitto.

Aut more illo dixit, quod ſolet (ſed legendus locus levi mutatione, uno elemento dempto, *quo ſolet*) *ſepulturam ad ipſa cadavera non pertinere, licet umbris, ſicuti in ſexto dicitur, proſit, ſi qua eſt ea gloria, ſignat. Item de Pallante* (libr. 11. Æneid.) vano mœſti comitamur honore. *Aut certe ſi qua eſt cura Mezentio, hoc eſt patri ſacrilego, qui Superos Inferoſque contemnit?* Porro Chriſtiani ſacrilegum pro Idololatra uſurpabant. Iſidor. libr. 5. cap. 26. Petr. Chryſolog. ſermon. 18. *Innumeris Diis ſerviebant ſacrilega ſervitute*. Paneg. Maximiani. D. Cyprian. Serm. 5. Sidon. Apollinar. libr. 8. Epiſt. 6. notat Savaro.

Aſpro, vetuſto ſcriptori, videbatur, uti ſupra ex Macrobio relatum,

tum, Mezentium contemptorem Deorum ita dici, quod ſupra modum in homines crudelis eſſet, inaudita ac prorſus nefanda ſuppliciorum genera commentus, ut vivos mortuis illigatos, fœtore cadaverum eos ſceleſte immaniterque confectos extingueret: quæ pœna ab eo primum diro exemplo excogitata, adeo ut Mezentii ſupplicium diceretur. Jul. Capitolin. in Opilio Macrino: *Reddidit etiam Mezentii ſupplicium, quod ille vivos mortuis illigabat, & ad mortem cogebat longa tabe confectos, unde etiam in Circo, cum favor publicus in Diadumenum ſemper fuiſſet acclamatum:*

Egregius forma juvenis, cui pater haud
Mezentius eſſet.

Corruptus cento ex duobus hemiſtichiis Virgilianis libr. 7. Æneid., cui ſic redacto in formam, & ſenſus conſtabit, & aperte favor ille pronior in Diadumenum, Macrini filium, oſtendetur.

Egregius forma juvenis
Dignus, cui pater haud Mezentius eſſet.

Victum autem prœlio Æneam a Mezentio, neque unquam poſtea comparuiſſe, & acie Latinum priori prœlio ab eodem Mezentio interfectum ſcribunt, non modo hiſtorici ſupra laudati proxime, ſed & Feſtus libr. 9. in voce *Indiges. Hoc nomine ab Aſcanio Æneas appellatus eſt, cum pugnans cum Mezentio nuſquam apparuiſſet.* Ipſe idem ille, inſtar centum teſtium, Servius ad libr. 4. Æneid. pag. 353. ubi defleta, & furore accenſa Dido, Æneæ inter alia dira, hoc quoque imprecatur:

Sed cadat ante diem.

Cato dicit, juxta Laurolavinium, cum Æneæ ſocii prædas agerent, prælium commiſſum, in quo Latinus occiſus eſt, fugit Turnus, & Mezentii auxilio comparato renovavit prælium, qui quidem victus eſt ab Ænea; Æneas autem in ipſo prœlio non comparuit, Aſcanius vero poſtea Mezentium interemit. Alii dicunt, quod Æneas victor cum ſacrificaret ſuper Numicum fluvium lapſus eſt, & ejus nec cadaver apparuit; inde dicit: mediaque inhumatus arena, *poſtea dictus eſt inter Deos receptus. Quidam eum, cum adverſus Aborigines pugnaret, exſanguinem dicunt repertum.* Utcumque ſit, ſive in acie cum Turno pro Latino dimicans, interiit, ſive cum Aboriginibus concurreret, extinctus eſt Æneas, certe a Mezentio eum interemptum conſtat; ſunt enim Aborigines Etruſci, quorum Rex eo ævo potentiſſimus fuit Mezentius. Vide libr. 1. ſupra hoc opere cap. 7.

Crudelitatem hanc Mezentii deſcribit Virgilius libr. 8. Æneid.

Haud procul hinc ſaxo incolitur fundata vetuſto
Urbis Agyllinæ ſedes, ubi Lydia quondam
Gens bello præclara jugis inſedit Etruſcis:
Haud multos florentem annos Rex deinde ſuperbo
Imperio, & ſævis tenuit Mezentius armis.

Quid

Quid memorem infandas cædes, quid facta tyranni
Effera? Dii capiti ipſius, generique reſervent.
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis
Componens manibuſque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, & ſanie, taboque fluentes
Complexu in miſero longa ſic morte necabat

Hoc vero ſupplicii genus, ut Servius refert pag. 517. Cicero in Hortenſio non Mezentii tantum, ſed Tuſcorum fuiſſe inventum aſſeverat; ſed vincit aliorum auctoritas, qui eum ob tantam diritatem a ſuis civibus in exilium pulſum loquuntur. Virgilius loco proxime laudato:

At feſſi tandem cives infanda furentem
Armati circumſiſtunt, ipſumque domumque:
Obtruncant ſocios, ignem ad faſtigia jactant:
Ille inter cædes Rutilorum elapſus in agros
Confugere, & Turni defendier hoſpitis armis:
Ergo omnis furiis ſurrexit Etruria juſtis,
Regem ad ſupplicium præſenti Marte repoſcunt.

Atque ipſe Mezentius hanc ſui exilii acerbitatem in Lauſi filii funere deplorat apud eundem Poëtam ad finem libr. 10. Æneid.

Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hoſtili paterer ſuccedere dextra
Quem genui? tua ne hæc genitor per vulnera ſervor
Morte tua vivens? heu nunc miſero mihi demum
Exilium infelix, nunc alte vulnus adactum.
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen
Pulſus ob invidiam ſolio, ſceptriſque paternis,
Debueram patriæ pœnas, odiiſque meorum:
Omnes per mortes animam ſontem ipſe dediſſem.

Æneas Gallettus libr. 4. Hiſtor. Univerſal.

Auſoniæ Larthes Tuſca Mezentius urbe
Sævitia dum jura hominum, ritusque Deorum
Verteret, offenſas Italæ contraxerat urbis.
Hunc ſpretoſque Deos, cædeſque ſuimque cruoris
Ulturi proceres diris cruciatibus omnes
Torquendum ſolio tradunt, dilabitur arce
Effugiens patrum ſævos Mezentius ungues.

Hic ut Æneam acie ſuperatum interemit, ita ab Julo Aſcanio Æneæ filio duello peremptus eſt. Servius idem ad libr. 1. Æneid. pag. 188. ex M. Catone. *Secundum*, inquit, *Catonem, hoc habet hiſtoriæ fides. Æneam cum patre ad Italiam veniſſe, & propter invaſos agros, contra Latinum Turnumque pugnaſſe, in quo prælio periit Latinus, Turnum poſtea ad Mezentium confugiſſe, ejuſque fretum auxilio bella renovaſſe, quibus Æneas Turnuſque pariter rapti ſint, migraſſe poſtea in Aſcanium & Me-*

& Mezentium bella, ſed eos ſingulari certamine dimicaſſe, & occiſo Mezentio Aſcanium Julium cœptum vocari a prima barbæ lanugine, quæ ei tempore victoriæ naſcebatur. Sciendum eſt autem, hunc primo Aſcanium dictum ab Aſcanio Phrygiæ flumine, ut tranſque ſonantem Aſcanium: *deinde Ilum dictum a Rege Ilo, unde & Ilium, poſtea Julum occiſo Mezentio.* Hoc geſtum cum ad Mezentium ad ſubſidia imploranda Turnus confugit, nam illud plerique probæ notæ auctores poſt mortem Latini Regis contigiſſe volunt. Servius idem conſulatur ad illud libr. 10. Æneid. pag. 576.

Tyrrhenamve fidem.

Certum tamen eſt, Virgilium non ſecundi, quod cum Ænea geſtum eſt, belli, ſed primi ducem facere, & veluti ſocietatis initæ principem; ita enim libr. 8. Æneid. principio.

. . . . ductores primi Meſſapus & Ufens,
Contemptorque Deum Mezentius, undique cogunt
Auxilia.

Et quam vere ab eo hoc dicatur, hiſtoricos ſit penes fides. Sed nec ab Aſcanio probabile eſt occiſum Mezentium, quum Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 2. pag. 81. diverſum videatur dicere: Καθ᾽ ὃν χρόνον ὑπὸ Τυῤῥηνῶν, ὧν ἦγε βασιλεὺς Μεζέντιος, ἐπολεμεῖτο καὶ τειχήρης ἦν. *Quo tempore arcte obſidebatur, & bello petebatur ab Etruſcis, quos Rex Mezentius ducebat;* de Aſcanio Æneæ filio loquitur. Accedit, quod Virgilius ab ipſo Ænea interfectum eum ſcribat, non facturus, ſi probabili conjectura hanc gloriam Aſcanio dare potuiſſet; fortem autem eo bello navatam operam, ſtrenueque in partes ſtudium nec ſuum laudaturus Æneam tacere, aut diſſimulare potuit ſummus Poëta; quippe libr. 9. Æneid.

Parte alia horrendus viſu quaſſabat Etruſcam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.

Et Arcentis filius ab eo poſtea eodem libro dicitur peremptus:

Stridentem fundam poſitis Mezentius armis
Ipſe ter adducta circum caput egit habena
Et media adverſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit.

Animoſi vero hujus & deſcriptionem, & cum Ænea pugnam lege libr. 10. Æneid.

At vero ingentem quatiens Mezentius haſtam
Turbidus ingreditur campo . . . . .

Vide ſequentia. Ad finem deinde ejuſdem libri mors ejus, poſt virilem cum Ænea congreſſum, deſcribitur.

Denique nomen hujus eſt apud Servium Maurum valde corruptum libr. 1. Æneid. ad finem pag. 219. nam cum in Didonis convivio dixit:

Primaque libato ſummo tenus attigit ore,

Sub-

ſubdit ille: *Uſque ad labra, & verecundiam Reginæ oſtendit, & morem Romanum; nam apud majores noſtros non utebantur vino, niſi ſacrorum cauſa, certis diebus. Denique femina, quæ ſub Romulo vinum bibit, occiſa eſt a marito, Mezentius abſolutus, id enim nomen marito: ſic Granius Lucianus cœnæ ſuæ*. Errat ille, quiſquis eſt Granius Lucianus; neque enim ea ætate quiſquam Mezentius dicebatur. Corrigendum eſt igitur: *Mecennius abſolutus*. Certe enim is, qui tempore Romuli uxorem, quod vinum bibiſſet, fuſte dolii interfecit, *Egnatius Mecennius* dicebatur, ut eſt apud Plinium libr. 14. cap. 13: & *Mecenius* vocatur a Florente Tertulliano Apologet. cap. 6. ab aliis vero *Egnatius Metellus* habetur, ut apud Valerium Maximum libr. 6. cap. 3. tit. 9. Quod autem feminis Romanis in totum vino fuerit abſtinendum, ſcribunt idem libr. 2. cap. 1. M. Cato Orat. de Dote apud A. Gellium libr. 10. cap. 23. Vide varia a Cælio Rhodigino in hanc rem notata libr. 18. Antiquar. Lection. & libr. 28. cap. 5. Cicero libr. 3. de Republica apud Nonium in voce *Temetum*. Quare & oſculandi eas mos introductus, & cellæ vinariæ claves ablatæ, ut Polybii verba docent, laudata a nobiliſſ. Petro Victorio libr. 24. cap. 7. Sed de diverticulo in viam.

Etruſcorum Rex Aſylas, Æneæ tempore bello clarus: Augur: Regia ejus Piſæ.

CAP. XXXVIII.

PErgo ad alios Etruriæ Reges, qui ſub ea regnabant tempora, quibus Ilio exciſo, Trojanorum reliquias Æneas in Italiam intulit, atque tunc non tota quidem Etruria uni, ut videtur, parebat Regi, ſed poſt Mezentii exilium, in dynaſtias diviſa, ſingulis populis rectores ſuos, ſive Reges adſignabat: quorum hic Aſylas unus, ſpectatæ quidem virtutis, qui Regiam Piſis habebat, ut vidit, adnotavitque Aurelius Macrobius libr. 5. Saturnal. cap. 15. & Virgilius libr. 10. Æneid.

Tertius ille hominum Divumque interpres, Aſylas,
Cui pecudum fibræ, cœli cui ſidera parent,
Et linguæ volucrum, & præſagi fulminis ignes,
Mille rapit denſos acie, atque horrentibus haſtis,
Hos parere jubent Alphææ ab origine Piſæ
Urbs Etruſca ſolo.

Hunc ergo ut ſacrorum præſulem Poëta deſcribit, quo intelligitur eo ſeculo Reges fuiſſe Sacerdotes, ſaltem Augures, quorum inventio & digni-

dignitas ab Etruſcis Romam migravit, ut libr. 3. infra hoc opere cap. 1. dicetur. Adjuvat meam conjecturam, qua fugato ob crudelitatem Mezentio, Aſylam in ejus locum ſucceſſiſſe a Piſanis ſurrogatum dixi, Servius Maurus ad locum laudatum: *Quaſi & Turno & Æneæ præſtet auxilium; nam illi Lauſum fugientem ſecuti ſunt: hi vero communi odio & conſilio totius civitatis in Mezentium arma commoverunt.* Ex quibus videri poſſet Regnum, quod ſub Mezentio unum erat, in varias præfecturas, ſive minora regna diſſectum. Hujus autem Aſylæ fortitudinem celebrat libr. 9. Æneid. idem:

. . . . *Chorinæum ſternit Aſylas.*

Et libr. 11. Æneid.

. . . *Princeps turmas inducit Aſylas.*

Sed maxime libr. 12. Æneid.

Tyrrhenuſque ruit variis exercitus armis
Haud ſecus inſtructi ferro, quam ſi aſpera Martis
Pugna vocet, nec non mediis in millibus ipſi
Ductores auro volitant, oſtroque decori,
Et genus Aſſaraci Mneſtheus, & fortis Aſylas,
Et Meſſapus equum domitor, Neptunia proles.
Utque dato ſigno ſpatia in ſua quiſque receſſit,
Defigunt tellure haſtas.

Nec multo poſt eodem libro:

Et Meſſapus equum domitor, & fortis Aſylas,
Tuſcorumque phalanx.

Etruſcorum Rex Abas, ſtrenuus bello, Æneæ auxiliatus contra Rutilos: Regia ejus Populonium, aut Ilva Inſula: occiſus a Lauſo.

CAP. XII.

HIc quoque bello Latino Etruſcoque Rex illuſtris ſub adventum Æneæ in Italiam, & fœdus cum Etruſcis initum, habetur: & ſuſpicor unum ex Regibus illis, qui, fugato, atque ob truculenta ſupplicia, Regni ſui jure prohibito Mezentio, ſucceſſerunt, ſive jure ſuo & vere Regio uſuri, an vero temporaria tantum poteſtate imperaturi, liquido in tantæ antiquitatis tenebris affirmare non poſſum: hoc unum exploratum eſt, validam cum ex Populonio & Ilva inſula manum duxiſſe. Aurel. Macrob. libr. 5. Saturnal. cap. 15. Ut nulli dubium eſſe poſſit, quin Regia ejus vel Populonii fuerit, vel in Ilva inſula. Virgilius libr. 10. Æneid. *torvum* appel-

appellat, quod Martis epitheton eſſe ſolet, Servius exponit pag. 582. *fortem, aſperum, terribilem.*

Una torvus Abas, huic totum inſignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis,
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes; aſt Ilva trecentos
Inſula.

Ex quibus laus armorum, bellicæ fortitudinis, & pietatis accumulatur, qui Apollinem navium præſidem habebat; erat enim mos, ut navigantes aliquem ſibi Deum itineris veluti præſulem deſtinatum in navigio adornarent, colerentque, qui tutela dicebatur, ut libr. 3. infra hoc opere dicam.

Jam ſi perconctemur Annium & ſequaces, ei cognomentum *Lucumonis* affingent, & quindecim annos regnaſſe affirmabunt: impudentiſſime nullis auctoribus, niſi ſomniis ſuis confiſi, totam Antiquitatis ſeriem confundent, & illius cohortis coryphæus, Joannes Lucidus Samotheus libr. 3. cap. 3. inſulse, ut cetera omnia, de hoc diſquirit.

Cum Abas egregiam pro Ænea operam contra Turnum Rutiloſque navaſſet, a Lauſo, Mezentii filio, eſt peremptus. Virgil. loco laudato. Ubi, *obſtantem, fortiter pugnantem* interpretatur Servius *oppoſitum.*

At non cæde viri tanta perterrita Lauſus
Pars ingens belli, ſinit agmina: primus Abantem
Oppoſitum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles, ſternuntur Etruſci.

Et ultimo verſu diſerte liquet, Abantem ex eorum Principum ſtemmate fuiſſe, qui ex Arcadia Carmentam ſequuti Evandrumque, in Etruria conſederunt, & in unam cum iis gentem coaluerunt, uti libr. 1. ſupra hoc opere cap. 6. docui. Quamquam peregrinæ originis, nihil tamen vetat, quin inter Reges locum habere debeat. Sed ad alios pergo, ſi prius imperitiſſimi bonarum artium Æneæ Galletti verſum poſuero, qui libr. 3. Hiſtor. Univerſal. hæc de eo:

Tuſcia cum tellus Tuſco ſuccumbit Abanti.

O lepidum caput! Virgilio eſt *Arcadiæ proles*, tibi vero *Tuſcus*; ſed unde hæc? a doctore, inquies, Annio: bene habet, vir magnus es.

Etruſcorum Rex Maſſicus, bello Trojano Rutiloque interfuit: ſtrenuus manu: Coſſæ Regia illius: a monte ſic dictus.

CAP. XL.

INter egregios Italiæ principes, auxiliorumque Æneæ duces Maſſicus Etruriæ Rex jure locum meretur, quem in nomenclatura Etruſci exercitus navalis primum poſuiſſe Virgilium conſtat ex libr. 10. Æneid. ubi hæc Servius Maurus pag. 582. *Maſſicus ærata princeps, inter auxilia accipiendum, nam Æneæ prima eſt navis, & licet ſit catalogus, ideſt inſcriptio, in qua enumerantur hi, qui de Tuſcia venerunt, invenit tamen aliquam varietatem, quod hos cum navibus veniſſe commemorat, cum in ſeptimo Turni ſocios per terram veniſſe memoraverit: ſane ſciendum, amare Virgilium ducibus Italis dare nomina vel fluviorum vel montium; ut ergo ſupra Almonem & Aventinum commemoravit, ſic nunc Maſſicum dicit; nam Maſſicus eſt mons, unde & Maſſicum vinum dicitur; plerique tamen nolunt proprium nomen eſſe, ſed appellativum, dicentes Oſinium eſſe Maſſicum Regem, nam paulo poſt dicturus eſt:*

Qua Rex Cluſinis advectus Oſinius oris;

& nunc dicit;

. . . . qui mœnia Cluſi.

Multi alium Maſſicum; & alium Oſinium eſſe voluerunt. Quibus Servii verbis colligo, duos montes Maſſicos eſſe, unum in Etruria, ut hic dicitur, & paulo poſt idem Servius, *Cluſinum autem eſt oppidum juxta Maſſicum, quod in Etruria condidit Cluſius Tyrrheni, ſive Telemachus Ulyſſis*: & alterum in Campania, nam in libr. 7. Æneid. Virgilius, & Servius Honoratus pag. 480.

. . . . . vertunt felicia Phœbo
Maſſica qui raſtris.

Hunc Regem, comitantemque eum exercitum libr. 10. Æneid. ſic deſcribit Poëta:

Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſque movete,
Quæ manus interea Tuſcis comitetur ab oris
Ænean, armetque rates, pelagoque vehatur.
Maſſicus ærata princeps ſecat æquora Tigri,
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Cluſi,
Quique urbem liquere Coſas, queis tela ſagittæ,
Corytique leves humeris, & letifer arcus.

Non defuerunt, qui iſtum Regem ab Oſinio non diſtinxerint, ut patet ex Servii verbis ſupra laudatis, & dicetur capite ſequenti; ſed certo duo ſunt Reges, nam hic Coſæ ſive Coſſæ Regiam habuit, Oſinius

vero

vero Cluſii, uti dicetur. Uterque ſane eidem bello interfuit; ſed nec Virgilius omnino, nec ulli alii ſcriptores, quo mortis genere extincti ſint, commemoraverunt: idque vitio vertit Aurelius Macrobius libr. 5. Saturnal. cap. 15. Virgilio: *Sed Maro noſter anxietatem hujus obſervationis omiſit, nam & in catalogo nominatos, præterit in bello, & alios nominat ante non dictos. Sub Maſſico duce mille manus juvenum veniſſe dixit, qui mœnia Cluſi, quique Coſas liquere: deinde Turnus navi fugit, qua Rex Cluſinis advectus Oſinius oris: quem Oſinium nunquam antea nominavit, & nunc ineptum eſt, Regem ſub Maſſico militare: præterea nec Maſſicus nec Oſinius in bello penitus apparent. Sed & illi, quos dicit, fortemque Gyan, fortemque Sereſtum, pulcher quoque Æquicolus, & Mavortius Hæmon, & fortiſſimus Umbro, & Virbius, Hippolyti proles pulcherrima bello, nullum locum inter pugnantium agmina, vel glorioſa vel turpi commemoratione meruerunt.* Male itaque Virgilius fortiſſimos principes, & tot armatorum ſtrenuos duces in acie præterivit, quos in auxiliorum catalogo numeravit, neque ſane magna belli gerendi ratio non penes eos fuit, qui & pugnaciſſimis imperarent, & glorioſum longe lateque nomen diffudiſſent.

Etruſcorum Rex Oſinius, Æneæ in Turnum auxiliator: Regiam habuit Cluſii: mors ejus, uti & ſuperioris, a Virgilio male præterita.

CAP. XLI.

INter Etruſcorum Regum auxilia Æneæ præſtita clarum hujus Oſinii, Etruriæ Regis, in primis eſt nomen; qui tamen in catalogo non ponitur a Virgilio: quod mirum mihi videtur, niſi forte non cum Ænea veniſſe eum, ſed incœpto jam certamine superveniſſe dicamus, quod non eſt improbabile; neque enim veriſimile eſt, Regem, ſi una in bellum profectus fuiſſet, ſilentio prætereundum, cum obſcura etiam non urbium aut regionum populorumque nomina, ſed & privatorum hominum ab eo ibi celebrentur, quod in Virgilio ab aliis, tanquam error gravis, notatum eſt. Fruſtra ſunt illi, qui Oſinium & Maſſicum putant eundem eſſe Regem, cum capite ſuperiori Aurelii Macrobii verba contrarium aſſeveraverint, & plerique veteres hiſtorici, quos laudatos comperi a Servio Mauro ad libr. 10. Æneid. pag. 607. *Oſinius, ipſe eſt, quem ſupra Maſſicum dixit; ergo, ut ſupra diximus, Oſinius proprium eſt, Maſſicus appellativum, licet poſſit fieri, ut duo nomina unius ſint, ut Numa Pompilius, Alexander Paris, Numanus Romulus. Alii volunt, non eundem eſſe Maſſicum, quem Oſinium;*

nam duas civitates ſupra commemorat, Cluſium & Coſam: & tradunt potuiße fieri, ut hic Oſinius Rex quidem unius de memoratis fuerit civitatibus, ſed ſub imperio Maſſici egerit; nam & Rhamnetem & Romulum, quos in ducum ordinem non numeravit, Reges fuiſſe dixit. Alii hunc poſtea κατὰ τὸ σιωπώμενον *volunt veniſſe, quia in catalogo ejus non meminit.* Virgilius ſic ejus loco laudato meminit, dum Turnum ipſius navi fugientem inducit:

Forte ratis celſi conjuncta crepidine ſaxi
Expoſitis ſtabat ſcalis, & ponte parato,
Qua Rex Cluſinis advectus Oſinius oris,
Huc ſe ſe trepida Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras, nec Turnus ſegnior inſtat,
Exuperatque moras, & pontes tranſilit altos.
Vix proram attigerat, rumpit Saturnia funem,
Avulſamque rapit revoluta per æquora navem;
Illum autem Æneas abſentem in prœlia poſcit.

Quamdiu hic regnaverit, aut quo fati morbive caſu interierit, nec apud probatos reperi Scriptores, nec cum Annio, aliiſque ſui ſimilibus figmenta puerilia comminiſci lubet: ſufficiat mihi in tanta antiquitatis taciturnitate nomina nuda Regum Etruriæ oſtendiſſe: alii plura & potiora præſtabunt.

Etruſcorum Rex Morrius, ex gente Neptuni, & Alæſi Regis, Veiis Regiam habuit: Saliorum ſacerdotum auctor.

CAP. XLII.

HActenus quidem de Regibus Etruriæ, qui ſub Æneæ in Italiam appulſum, vel toti provinciæ, vel ejus tantum parti imperarunt, rudi Minerva dictum, ſuperſunt alii nonnulli, quos nec factis, nec temporibus certo diſtinguere poſſum, tanta eſt vetuſtatis caligo, tamque atrox tam claro populo illata injuria, ut nullus ex profeſſo res geſtas ſit executus. Morrium tamen Regem antiquiſſima memoria Etruriæ fuiſſe conſtat, & Veiis Regiam fixiſſe, & per Alæſum, ſive Haleſum, de quo ſupra, a Neptuno genus traxiſſe, & ultimum ſtirpis illius Principem habitum: denique & Salios, neque Marti, neque Herculi, ſed Neptuno, uni ex ſuis majoribus, inſtituiſſe. Servius Maurus ad lib. 8. Æneid. pag. 503. *Salii ſunt, qui tripudiantes aram circumibant, ſaltabant autem ritu veteri armati, poſt victoriam Tiburtinorum de Volſcis. Sunt autem Salii Martis & Herculis,* quo-

quoniam Caldæi ſtellam Martis Herculem dicunt, quos Varro ſequitur, & Tiburtes Salios etiam dicaverant. Quidam hos a ſaltu appellatos tradunt, quos alii a Numa inſtitutos, ut arma ancilia portantes ſaltarent, ergo bene a ſaltu appellati. Horum numerum Hoſtilius addidit (malim legere *auxit*; eſt enim dicendi genus inſolens *horum numerum addere*) *nam duo ſunt genera Saliorum, ſicut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini & Quirinales a Numa inſtituti, ab Hoſtilio vero Pavorii & Pallorii inſtituti. Habuerunt ſane & Tuſculani Salios ante Romanos. Alii dicunt Salium quendam Arcadem fuiſſe, qui Trojanis junctus, hunc ludum in ſacris inſtituerit: nonnulli tamen hos a Dardano inſtitutos volunt, qui Samothracibus Diis ſacra perſolverent: quidam etiam dicunt, Salios a Morrio Rege Vejentanorum inſtitutos, ut Alæſus Neptuni filius eorum carmine laudaretur, qui ejusdem Regis familiæ auctæ ultimus fuit.* Huc uſque ille: & putarem corrigendum inſuper locum, claro ſenſu, & ſequentibus omnino congruenti: *Habuerunt ſane & Tuſcani Salios ante Romanos*: tu videris, lector; mihi enim perplacet, non de *Tuſculanis* loqui eum, de quibus nihil in ſequentibus, ſed de *Tuſcanis*, qui Tuſci ſunt, libr. 1. ſupra hoc opere cap. 2. & id Morrii allata hiſtoria confirmat, atque etiam Dardani, qui Etruriæ Regis filius, ut Samothracia ſacra excogitavit, ita & Salios potuit inveniſſe; ut libr. 3. infra hoc opere cap. 8. habetur. Qui ſint autem Salii, quo honore, ſacrificandique ritu, diſcuſſi & loco jam laudato, & facile aliunde peti quæcumque huc ſpectant, poſſunt: pleniſſime Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 2. pag. 129. & pag. 130. Hoc tantum obiter hic addendum, ut Salios a Morrio Etruriæ Rege in Neptuni honorem & Alæſi inventos a ſaltu appellaverunt, ita & *Francos* eodem nomine dictos deprehendimus: non a *Sala*, *Salia*, *Salo*, *Sale*, ut Joannes Savaro doctiſſimus adnotabat. Ammian. Marcellin. libr. 17. *Petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos conſuetudo Salios appellavit*. Sic in notitia utriuſque Imperii, quæ a Scoto conſcripta eſt, frequenter *Sallii*, & *Sallii Gallicani*; ſed eſt legendum *Salii* & *Salii Gallicani*. Hinc ævo barbaro *Salicus*, ut apud Carolum Magnum libr. 4. Capitularii cap. ult. Neque tamen omnes Franci Salii, ſed quædam eorum gens, quod ſaltu, quantum legiſſe me reminiſcor, pugnam inibant; nam eodem loco Sidonius Apollinaris & Francum, & Salium memorat Carm. 7. v. 241.

Curſu Herulus, Chunus jaculis, Francuſque natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Ubi pede pro peditatu noviter dictum. Jornand. libr. de Reb. Getic. cap. 50. Svenum pede, Hunnum ſagitta præſumere, Alanum gravi, Herulum levi armatura aciem inſtruere, ita fiet, ut quemadmodum Galli veteres equitatu celeberrimi habebantur, ita Franci Salii, qui ſub Theodoſio Hiſpano, Gallias trajecto Rheno, anno ſalutis 420., Joanne Serrano auctore, occupavere, peditatu præſignes fuerint: quod

video

video prodidiſſe nobiliſſimum Benedictum de Acoltis Aretinum libr. 3. de Bello ſacro.

Neque plura de Morrio apud quemquam alium auctorem deprehendi.

Etruſcorum Rex Cluſius, Tyrrheni Regis filius: Cluſii conditor: filii Regum etiam Reges dicti.

CAP. XLIII.

INvenio Tyrrheni filium Cluſium, oppidi Cluſii celeberrimi conditorem, Etruriæ Regem fuiſſe; ſed quo ſeculo, quidve nobile clarumque geſſerit, Oedipus ſit oportet, qui velit divinare. Ac ne quis ille fuerit Tyrrhenus, ſatis liquido mihi exploratum; exiſtimo tamen eum eſſe, qui ex Lydia coloniam deducens, & mari vicino infero, & regioni nomen dedit, ut libr. 1. ſupra hoc opere dictum cap. 3. atque etiam hoc ipſo libro. Servius Honor. ad libr. 10. Æneid. pag. 582. *Mœnia Cluſi, pro Cluſii, nam Cluſium dicitur, eſt & dictum per Synereſin. Cluſium autem eſt oppidum juxta Maſſicum, quod in Etruria condidit Cluſius Tyrrheni, ſive Telemachus Ulyſſis*. Finit & hoc cognomentum Jani, ut non gravate ab eo alii etiam Etruriæ Reges cognomina ſua ſumpſiſſe exiſtimem. P. Ovid. libr. 1. Faſtor.

Nomina ridebis; modo namque Patulcius idem,
Et modo ſacrifico Cluſius ore vocor.

Regum filii, obiter adnotandum duxi, & ipſi Reges appellati, & filiæ Regum, Reginæ; unde vetuſtiſſimi moris apud quaſdam gentes quædam etiamnum hodie reliquiæ & veſtigia, ut filii Principum, Ducum, Comitum, Baronum, ſint Principes, Duces, Comites, Barones, & maxime in Germaniis, aliquoties obſervatum a Gregorio Turonenſi hiſtorico, ut illa ferebat ætas, elegante, & maxime libr. 3. cap. 22. Hiſtor. Francic. & libr. 4. cap. 13. & libr. 10. cap. 15. Unde Marculfus libr. 1. Formular. cap. 39. *filius Regis Rex*: ubi politiſſimi & amœniſſimi ingenii Hieronym. Bignonius. Servius Maurus ad Eclogam 3. Virgilianam in fine: *Regum autem nomina, non quaſi Reges ipſi fuerunt, ſed quia Regum filii, ut*:

Magnum Reginæ ſed enim miſeratus amorem,

cum de Ariadna diceret, Paſiphaës Reginæ filia. Rurſuſque idem ad libr. 1. Æneid. v. 277.

. . . . . donec Regina Sacerdos
Marte gravis.

Regina (inquit) *Regis filia, abuſive, more poëtico*. Eo ritu Poëtæ. de Dejadamia Papin. Stat. libr. 2. Achilleid. v. 671.

Obſtu-

Obſtupuit tantis Regina exterrita monſtris.

Claudian. libr. de laudib. Serenæ filiæ Theodoſii Auguſti:

Vile putas donum, ſolitam conſurgere gemmis
Et rubro radiare mari, ſi floribus ornes
Reginæ Regina comas?

Et in Epigrammate de muneribus Honorio Imperatori miſſis, de eadem:

Reginæ contenta modum ſervare ſerena.

Et dixi pluribus ad illud ejusdem in Epithal. Honor. & Mariæ:

Hos Mariæ cultus, hæc munera noſtra precamur
Reginæ Regina feras.

Sic itaque & Cluſium Tyrrheni filium, & Lauſum Mezentii, & Aruntem Porſenæ Etruriæ Reges dicere poſſumus, quamquam re vera non regnaverint duo ultimi; nam Lauſus ab Ænea, ut eſt libr. 10. Æneidos apud Virgilium, Aruns a Bruto primo Conſule interfecti ſunt.

Etruſcorum Rex Propertius: Volaterris Regia ejus erat: Capenos condidit: Populoniam coloniam deduxit: Vejentes juvit fœdere.

CAP. XLIV.

Hic antiquiſſimo ævo Etruriæ imperavit, ſed id certo affirmare non poſſum, quippe cum altum ſit apud hiſtoricos eos ſilentium, a quibus ſubſidium peti debeat; hoc tamen de eo certi juris eſt nobis, Volaterris Regiam habuiſſe, Capenam urbem, Capenoſque populos poſuiſſe ac fundaſſe, Populoniam etiam coloniam deduxiſſe. Servius Maurus ad libr. 7. Æneid. pag. 479. LUCOSQUE CAPENOS. *Hos dicit Cato Vejentum condidiſse auxilio Regis Propertii, qui eos Capenam, cum adoleviſſent, miſerat; unde & porta Capena, quæ juxta Capenos eſt, nomen accepit.* Liquet ergo, eum fundaſſe celebrem eam civitatem, quæ nomen portæ indidit, quam poſtea Camænarum appellarunt. Meminit Ivo Carnotenſis MS. libr. de undecim Europæ regionibus: *Volaterræ prima in Etruria urbs condita eſt centum annis ante Trojam, ſed incertum quo auctore: multis poſtea ſeculis reparavit Pertius Rex, & ab hoſtibus defendit.* Erratum librarii tolle, & lege: *multis poſtea ſeculis reparavit Propertius Rex.* Fefellit operas Perſii nominis ambiguitas, quem ævo Domitiani celebrem Satyricum, & Volaterris oriundum ſciebant; ideo facilis error fuit incautis a Propertio Rege Volaterrano, in Perſium notiorem Satyricum item Volaterranum. Hic Rex etiam coloniam Volaterris Popu-

loniam

loniam deduxit. Idem Scriptor MS. libr. laudato: *Populonia Colonia Volaterranorum a Rege Propertio deducta, portu commoda, ac florens opibus*. Hoc ipſum Servius Honoratus ait libr. 10. Æneid. pag. 582. licet de Propertio Rege nihil: & nos infra hoc opere libr. 4. plura.

Etruſcorum Rex Vejentus, vel Vejis nomen dedit, vel ab eo oppido accepit: Capenam in Latium coloniam deduxit: & de porta Capena quædam obiter.

CAP. XLV.

COævum iſtum Propertio fuiſſe liquet, ſed quo uterque ſeculo vixerit, quærendum cenſeo: hoc ſolum liquido patet, antiquiſſimam clariſſimamque civitatem Vejos ſemper fuiſſe, tot Regum domicilium, tot exercituum matrem, tanta opulentia, tam munito ſitu, tam ſuperbis ædificiorum inſanorum ſubſtructionibus, ea denique cœli ſolique amœnitate, ut in expugnatam victor populus etiam lare ſuo nativo relicto commigrare deliberarit. Hæc vero poteſt videri a Vejento iſto condita; ſæpe enim conditorum nomina urbes fundatæ ſortiuntur, ut Alexandriæ octodecim ab Alexandro dictæ civitates, ſi fides **Euſtathio & Stephano**: Edinburgus Scotiæ metropolis ab Edino conditore: Londinum Angliæ Regia a Luddo, ut apud Guilielmum Cambdemum Principem fetialium in Anglia, & virum multa eruditione: tot Juliæ, tot Auguſtæ, per omnes provincias, potentiam Julii Cæſaris Dictatoris, & Octaviani Auguſti loquuntur: & ne tam multis rem obviam probem, exempla ſunt domeſtica in Etruria, in qua *Piſeus*, *Nicius*, *Hadrius* civitatibus, quas vel condiderant, vel lapſas reſtauraverant, nomina indiderunt. Sic probabili adducor conjectura, ut Vejentem urbem populumque credam a Vejo & originem, & nomen accepiſſe; utcumque certe vel Catone auctore, *Capeni* populi ultra Tiberim ab eo deducti, unde & Lucus Camænarum, & *porta* celeberrima civitatis *Capena* ab eodem oppido nomen habebat, quæ hodie mutato nomine *porta S. Sebaſtiani* vocatur, quia initium erat Appiæ viæ, ut eſt apud Bart. Marlianum libr. 1. Topogr. Urb. cap. ult. Sed Catonem audiamus referente Servio Mauro ad libr. 7. Æneid. *Lucos Capenos, hos dicit Cato Vejentum condidiſſe, auxilio Regis Propertii, qui eos Capenam cum adoleviſſent, miſerat; unde & porta Capena, quæ juxta Capenos eſt, nomen accepit*. Plura de hoc Rege non reperi, de quo indubie multa ille Cato in Originibus ſuis, quæ gravi literarum jactura interierunt.

Cape-

Capena porta memoratur a veteri Juvenalis Scholiaſte Satyr. 3. v. 10. *Stetit expectans rhedam, ubi ſolent jurare proconſules, in via Appia ad portam Capenam, id eſt ad Cumenas, madidam ideo, quia ſupra eam aquæductus est, quem nunc appellant* arcum ſtillantem; *primum enim uſque ibi fuerunt portæ, quæ porta Capena vocabatur*. Locum corruptum corrige, *id eſt ad Camœnas*; nam vicus Camœnarum in vicinia erat. Aſconius Pædianus, qui Virgilio fuit familiaris, idemque mendum in Codice Julii Frontini hæſerat libr. 1. de Aquæduct. non multum a principio, ubi *Cumenæ* pro *Camœnæ*. Juvenal. Satyr. 3. princ.

. . . . . . *ejectis mendicat ſilva Camœnis*.

Non longe inde ædes Martis extra muros. T. Liv. 4. Decad. libr. 8. *Viam ſilice ſternendam a porta Capena ad Martis ædem locaverunt*. Feſt. Pompon. libr. 11. *Manalem lapidem vocabant petram, quæ extra portam Capenam juxta ædem Martis*. Sext. Propertius libr. 4. Eleg. 3.

Armaque cum tulero portæ vicina Capenæ
Subſcribam.

P. Ovid. libr. 6. Faſtor.

Lux eadem Marti ſacra eſt, quem proſpicit extra
Appoſitum tectæ porta Capena viæ.

Huic adhærebat aquæductus. Vetus Scholiaſtes, & Frontinus proxime laudati. Juvenal. Sat. citata in limine:

Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

Martial. libr. 3. Epigr. 47.

Capena grandi porta qua pluit gutta

Initium, inquam, ab hac porta viæ Appiæ, quæ in Latium ducebat. D. Paulin. Nolæ Epiſcopus S. Felicis Natali 3.

Roma Petro Pauloque potens rareſcere gaudet
Hujus honore Dei, portæque ex ore Capenæ
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ
Demittit duodena decem per millia denſo
Agmine, conſertis longe latet Appia turbis.

Hæc etiam adeo celebris, ut cum Auguſtus urbem in quatuordecim regiones divideret, porta Capena eſſet prima. Sext. Rufus, P. Victor, & ad eos Onufrius Panvinius, Guidus Pancirollus.

De urbe Capena, & fluvio eodem nomine dicam infra libr. 4. hoc opere.

Etruſcorum Rex Lucumus, ſeu Lucumo, cognomine Galeritus, Romulo tulit ſuppetias: tentoria invenit: forte Lucam condidit.

CAP. XLVI.

VEntum eſt tandem ad Romuli & urbis conditæ tempora, hoc eſt ad annum bis milleſimum Regni Etruriæ: nec feliciores ideo futuri, quia ad res Romanas devenimus; ea enim gens quingentis pæne annis non vexata modo, ſed & interdum ab Etruſcis obtrita, & æmulationis ſtudio accenſa, & prolatandæ gloriæ propriæ avida, de Etruſcis, eorumque tebus parce atque invidioſe, ſuæque tantum æſtimationi profutura aut dixit, aut ſcripſit. Uſque adeo ut, cum Romulum, novæ urbis parentem, fudiſſe Vejentes ac Fidenates magno ſtudio ſcribant Plutarchus in vita illius, Fl. Eutropius libr. 1. L. Florus libr. 1. cap. 1. Liviuſque; nemo tamen eorum Regis nomen commemorate aut hujus aut illius populi eſt dignatus, indigniuſne, an malignius, neſcias. At ego exiſtimo, Regem tunc ex familia *Lucumonum* aliquem fuiſſe, ut videre potes ſupra hoc opere cap. 13. hujus libri, ubi multa ſunt dicta.

Et ſi conjecturæ locus relinquitur, hic fuit Lucumus, coguomento Galeritus, ut inventæ ab eo galeæ uſus exprimeretur. De qua re lege, quæ hoc opete infra libr. 3. invenies. Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 1.

Prima Galeritus poſuit pratoria Lygmon
Magnaque pars Tatio cura erat inter oves.

Sed vitioſa omnino lectio, & in meliorem ſic reformanda:

Prima Galeritus poſuit prætoria Lucmo.

Hunc Pythagoricæ philoſophiæ ſacris initiatum, eique ſectæ pronius addictum deſcribit Pierius Valerian. libr. 41. Hieroglyph. in limine.

Strenuam poſtea Romulo navavit operam, adeo ut nihil ſine ejus ductu geſtum bello, paceve; nam & tribubus, quæ initio tres tantum erant, Luceres, Rhamnes, Tatienſes, nomina indidit: & *Luceres* quidem, ut ait Junius Gracchanus apud M. Varronem libr. 4. de Ling. Lat. a *Lucumone* nomen ſuit ſortiti. Quod repetit Servius Maurus: *Luceres a Lucumone ſunt dicti*, ad libr. 5. Æneid. pag. 384.

Tres equitum numero turmæ.

Cumque bellum a Sabinis indictum vix ferret Romulus, inito cum Etruſcis fœdere, ἧκε δὲ αὐτῷ Τυῤῥηνῶν ἐπικουρίαν ἱκανὴν ἄγων ἐκ Σολωνίου πόλεως ἀνὴρ δραστήριος, καὶ τὰ πολέμια ἔργα διαφανὴς Λοκόμων ὄνομα, φίλος ὢν πρὸ

πολλῦ

πολλῶ γεγονώς. *auxilium validum adduxit, e Solonia Etruſca urbe, vir ſtrenuiſſimus & operibus bellicis clarus, nomine Lucumo, nuper in amicitiam cooptatus*. Verba ſunt Dionyſii Halicarnaſſei libr. 2. pag. 104. Quare ob hanc fortitudinem Romulus urbem cum eo partitus eſt, & jura nuper conditæ civitatis communicavit, ut non magis prima illa incrementa, operæ & fidei Tuſcorum, quam Romanorum virtutibus, debeantur, ſi vera fateri volumus. Vide caput ſequens. An Lucam urbem condiderit, videbitur infra libr. 5. hoc opere.

Etruſcorum Rex Cælius Veibennus, Romanis Regibus auxiliatus: Cælio monti nomen dedit: Tuſcum vicum Romæ ſuis civibus implevit, ſive Lucumo id præſtitit, ſive Porſena.

CAP. XLVII.

PRincipem iſtum nec uno modo ſcribunt, nec uno omnes tempore regnaſſe volunt, nec cur Romam migraverit, plane conſentiunt. Primum *Cæle Vibenna* vocatur a C. Tacito libr. 4. Annal. & conſentit vetus Inſcriptio Lugdunenſis; quæ & tabula [1] Claudiana: a M. Varrone eſt Cælius Vibennius dictus libr. 4. Ling. Lat. Καίλιος, *Cælius* apud Dionyſium Halicarnaſſeum libr. 2. pag. 104. Denique *Cælen* & *Vibennam* duos fratres facit Feſtus libr. 18. Hunc auxiliatum cum ingentibus copiis Romulo voluère Varro loco jam laudato: *In Suburranæ Regionis parte princeps eſt Cælius mons, a Cælio Vibennio Tuſco, duce nobili, qui cum ſua manu dicitur Romulo veniſſe auxilio contra Sabinum Regem: hi, poſt Cælii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque ſine ſuſpicione eſſent, deducti dicuntur in planum: ab eis dictus Vicus Tuſcus, & ideo ibi Vortumnum ſtare, quod is Deus Etruriæ*. Conſentit huic Halicarnaſſeus, quem loco citato vide: & Feſtus libr. 3. in voce *Cælius*. Hiſque concors Servius ad libr. 5. Æneid. pag. 184. ex auctoritate M. Varronis: *Varro dicit, Romulum dimicantem contra Titum Tatium; a Lucumonibus, ideſt Tuſcis, auxilia poſtulaſſe; unde quidam venit cum exercitu, cui recepto jam Tatio pars urbis eſt data, a quo in urbe Tuſcus dictus eſt vicus*. Ille quidam non fuit alius, quam hic noſter Cælius Vibennius Rex. Alii eum in ſuppetias Tarquinio Priſco veniſſe contendunt, inter quos eſt C. Tacitus libro citato: *Haud fuerit abſurdum tradere, montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuiſſe, quod talis ſilvæ frequens fæcundiſ-*

(1) Apud Grut. pag. 502.

que eſſet: mox Cælium appellitatum, a Cæle Vibenna, qui dux gentis Etruſcæ, cum auxilium appellatum duxaviſſet, ſedem eam acceperat a Tarquinio Priſco, ſeu quis alius Regum dedit; nam Scriptores in eo diſſentiunt. Cetera non ambigua ſunt, magnas eas copias perplana etiam & foro propinqua habitaviſſe, unde Tuſcum vicum e vocabulo advenarum dictum. Quibus verbis non obſcure demonſtat, non Romulo, ſed Tarquinio ſuppetiatum veniſſe Cælium, conſentiente tabula Claudiana: (1)

. . . . Servius. Tullius. ſi. noſtros. ſequimur. captiva. natus. Ocreſia. ſi. Tuſcos. caeli. quondam. Vivennae. ſodalis. fideliſſimus. omniſque. ejus. caſus. comes. poſtquam. varia. fortuna. exactus. cum. omnibus. reliquiis. caeliani. exercitus. etruria. exceſſit. montem. caelium. occupavit. &. a. duce. ſuo. caelio. ita. appellitatus. mutatoque. nomine. nam. Tuſce. maſtarna. ei. nomen. erat. ita. appellatus. eſt. ut. dixi. &c.

Neque ſane certa adventus in Latium hujus Regis apud pleroſque cauſa traditur; nam varia fortuna exactum gente ſua ex tabula liquet, & forte popularium ſubditorumque pulſum ſeditione, ut ſupra de Mezentio eſt probatum. Alii fama rerum a Romulo geſtarum accitum, ut tantæ gloriæ particeps foret. Nonnulli denique auxilii ferendi gratia Etruria egreſſum, certius meo judicio, partem civitatis nuper conditæ a collega Romulo accepiſſe docent: eamque a vocabulo gentis Tuſcæ dictam *vicum Tuſcum*. Alexander Neapolitan. libr. 2. Genial. Dier. cap. 18. & omniſcius Andreas Tiraquellus ibidem. Et Poëtæ M. Accius Plaut. Curcul. Act. 4. Sc. 1.

In Tuſco vico, ibi ſunt homines, qui ſeſe ipſi venditant.

Horat. libr. 2. Sat. 3. v. 229.

. . . . Tuſci turba impia vici.

Licet a reliquiis copiarum Porſennæ Regis hunc vicum nomen accepiſſe velit Feſtus Pompejus libr. 18. *Tuſcus vicus Romæ eſt dictus, quod ibi habitaverunt Tuſci, qui recedente ab obſidione Porſena remanſerunt.* Favere videtur Porphyrio, vetus Horatii interpres: *Impia turba, quia in patriam redire voluit.* Denique a Lucumonis Regis, de quo ſupra, militibus nomen volunt nonnulli ei datum: in quibus eſt Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 2. ubi ſic Vertumnus, ſeu Vortumnus:

At tu, Roma, meis tribuiſti præmia Tuſcis,
Unde hodie vicus nomina Tuſcus habet.
Tempore quo ſociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati;
Vidi ego labentes acies.

In

(1) Apud Grut. pag. 502.

In hoc vico lenones & meretrices proſtabant. Helenius Acro ad locum Horatii laudatum; non tamen lupanaria, ſed tectiora ſcorta; nam fornices publici meretricum in Suburra. Verum hæc alias.

Etruſcorum Rex Menalus: Regia ejus Veiis: Novius vel Nævius poëta, fabula Lydus.

CAP. XLVIII.

HUnc Etruriæ Regem, unus, quod ſciam, e tot Latinis Græciſque ſcriptoribus, nominat, Nævius poëta antiquiſſimus *in Lupo;* ſic enim illius fabulæ inſcriptio in vulgatis codicibus, in aliis habetur: *Novius in Ludo;* quare cenſetur reſtituendam Novio ſive Nævio fabulæ epigraphen, & pro *Ludo* legendum *Lydo*, quo nomine fabulam dedit Magnes Poſſidonius apud Julium Pollucem libr. 7. Onomaſt. cap. 33. quæ forte de Lydis Tyrrheno duce in Tuſciam profectis ſcribebatur. Sic itaque Novius vel Nævius apud Feſtum libr. 16. in voce *redboſtire:*

Vel Vejens Regem ſalutet jube.
Albanum Milium, comiter ſenem
Sapientem contra redboſtit Menalus.

Nec quicquam de eo ulterius dico.

Etru-

Etruſcorum Rex Olenius Calenus, idem augur, Regeſque omnes Etruriæ ſacerdotio præditi, & aliæ gentes hoc imitati: Olane oſtium ſeu rivus Padi ab eo dictum: Mediolanum non ſumpſit nomen ab illo.

CAP. II.

HIc eſt ille Etruriæ Rex, qui celeberrimo a vaticinandi augurandique peritia nomine parto, tunc regnabat, cum Tarquinius Superbus fundamenta templi Jovis in Capitolino monte jacens, hominis reperit caput, ad quod prodigium legati miſſi in Etruriam procurandum. Verba C. Plinii eleganter hiſtoriam narrantis apponam libr. 28. cap. 2. *Cum in Tarpejo fodientes delubro fundamenta, caput humanum inveniſſent, miſſis ob id a Senatu legatis, Etruriæ celeberrimus vates. Olenus Calenus præclarum id fortunatumque cernens, interrogatione in ſuam gentem transferre tentavit, ſcipione prius determinata templi imagine in ſolo ante ſe: Hoc ergo dicitis, Romani, hic templum Jovis optimi maximi futurum eſt? hic caput invenimus? conſtantiſſima Annalium affirmatione, tranſiturum fuiſſe fatum in Etruriam, ni præmoniti a filio vatis legati Romani reſpondiſſent: non plane hic, ſed Romæ inventum caput dicimus.* Eandem verboſiſſime narrat Dionyſius Halicarnaſſeus hiſtoriam libr. 4. pag. 257. Cujus verba Latine ſic ſonant: *Hoc viſo Tarquinius juſſit operas foſſionem intermittere, accitiſque regionis ejus vatibus, ſcitabatur, quid ſibi vellet hoc prodigium: quibus nihil explicantibus, & ad Etruſcos ejus profeſſores ſcientiæ Regem relegantibus, percontatus ex iis, quis nam apud Etruſcos clariſſimus eſſet oſtentorum interpres, ubi id didicit, legatos ad eum mittit civium lectiſſimos. Hi cum ad conjectoris domum veniſſent, forte fortuna incidunt in adoleſcentem quendam egredientem, cui cum expoſuiſſent, ſe Romanos eſſe legatos, qui vatem convenire cupiant, rogaſſentque, ut ſe ad illum deduceret, reſpondit adoleſcens: pater, inquit, meus eſt, quem convenire cupitis; nunc occupatus eſt nonnihil, ſed licebit vobis poſt modicam dilationem accedere: interim mihi, qua de cauſa veniatis, dicite, ita fiet, ut a me præmoniti caveatis, ne quid in rogando peccetis per imperitiam; eſt enim non minima divinationum pars recta interrogatio. Placuit id legatis, & indicaverunt prodigium. Ille interpoſito brevi ſilentio: audite, inquit, Romani, prodigium hoc vobis pater interpretabitur nihil mentiens, id enim vati nefas eſt; ceterum quæ dicenda vobis ſunt, & quæ*

ad

ad interrogationes reſpondenda, ne quid peccetis aut fallatis, id enim veſtra intereſt prænoſſe, ex me diſcite. Poſt denarratum prodigium, dicet ſe non ſatis exacte percipere, quid dicatis: & circumſcribet certum terræ ſpatium baculo; deinde dicet: hic eſt Tarpejus mons, & pars ejus orientalis hæc eſt, hæc occidentalis, hæc ſeptemtrionalis, hæc oppoſita, quibus baculo demonſtratis, ſciſtabitur ex vobis, in qua nam harum partium caput inventum ſit. Quid igitur vos reſpondere moneo? in nullo eorum locorum, quos ille interrogans indicarit baculo, inventum prodigium, ſed Romæ viſum apud vos in Tarpejo tumulo. Hanc ſi reſponſionem obſervaveritis, nec ab illo ſeducti fueritis, intelligens fata transferri non poſſe, quid ſibi velit prodigium interpretabitur vobis, nihil diſſimulans. Hæc edocti legati, poſtquam a ſene, otium nacto, accerſiti ſunt, introgreſſi expoſuerunt vati prodigium: quo argutante, & circulares primum, deinde alias rectas lineas in terra deſcribente, & per ſingulas regiones de inventione rogante, nihil perturbati legati, eandem obſervabant reſponſionem, ut erant a vatis filio præmoniti, ſemper nominantes Romam & Tarpejum tumulum, & poſtulantes ne interpres uſurparet ſibi id ſignum, quod iis portenderetur, ſed quam rectiſſime, atque juſtiſſime ediſſereret; tum vates non valens ſignum intervertere, nec ſibi uſurpare augurium, ſic eis locutus eſt: referte, Romani, veſtris civibus, eſſe in fatis, ut locus, in quo id caput inveniſtis, fiat caput totius Italiæ. Quæ licet non nominent Olenium, vel Olenum Calenum, de alio intelligi non poſſunt, ex Plinii verbis proxime laudatis; obiter tantum a T. Livio ea portenti interpretatio deſcripta ad finem libr. 1. Decad. 1. Quod autem putem, eundem fuiſſe Regem, inducor, quod *ad ſuam gentem* trahere fata deſtinaſſe dicatur, quod de privato non eſſet dicendum: deinde, *ſibi ne uſurparet id ſignum* obteſtantur, quo Regia majeſtas exprimi videtur: denique iidem Reges apud Etruſcos & Vates erant, ut ſupra hoc libro de Aſyla cap. 38. dictum: & infra Porſena fulmina evocat cap. ſequenti: & ex ſacerdotum collegio eligi ſolere Etruriæ Reges, irrefragabile extat teſtimonium T. Livii 1. Decad. libr. 5. in principio: *Cum ob iram repulſæ, quod ſuffragio duodecim populorum alius ſacerdos ei prælatus eſſet*, de Rege Vejentum loquitur, qui victus ab alio ſacerdote, ne prius Regnum adipiſceretur, fuerat. Vide locum.

Ab Etruſcis credibile eſt & alios populos hunc morem mutuatos, ut Regem putarent non tantum ſatellitio armiſque ſtipandum, quantum religioſa in Deos obſervantia armandum; ideoque Romani principes, (petito a Romulo exemplo, ut liquet ex Ennii verſibus libr. 1. de Divinat. apud Ciceronem, quos recitat Petrus Crinitus libr. 10. Honeſt. Diſcipl. cap. 9.) ſemper auguralem dignitatem ſibi concedi impenſius optabant: idque Ægyptiorum receptum legibus Mercurius Triſmegiſtus confirmat: & veteres Gallorum populos, nulli Regi, niſi ſacerdoti, paruiſſe, docet Joannes Picardus quatuor libris de Celtopædia,

pædia, non magni quidem illis momenti, ſed tamen in quibus hoc, quod ambio, probetur. De aliis P. Virgil. libr. 3. Æneid.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique ſacerdos,
Vittis, & ſacra redimitus tempora lauru
Occurrit.

Servius Honoratus pag. 268. *Sane majorum hæc erat conſuetudo, ut Rex eſſet etiam ſacerdos vel Pontifex, unde hodieque Imperatores dicimus Pontifices.* Et libr. 9. Æneid.

Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Extructus, toto proſtabat pectore ſomnum,
Rex idem, & Regi Turno gratiſſimus augur.

Ab hoc *Olane*, ſive ὄλανα, ut eſt apud Polybium libr. 2. Padi ſeu oſtium, ſeu rivus ab eo deductus, nomen accepit. Plin. libr. 3. cap. 16. *Auget ibi Padum Vatrenus amnis ex Forocornelienſi agro. Proximum inde oſtium Capraſiæ, dein Sagis, dein Volane, quod ante Olane vocabatur: omnia ea flumina, foſſaſque primi Aſagi fecerunt Tuſci, egeſto amnis impetu per tranſverſum in Atraniorum paludes, quæ ſeptem maria appellantur, nobili portu oppidi Tuſcorum Atriæ, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum.* Locus abunde monſtat, nomina ea Etruſca eſſe, & gentem illam Tuſcorum antiquitus fuiſſe coloniam; ſed qui ſint *Aſagi Tuſci?* fateor me ignorare. Hujus meminere Annius, & ſequaces. Æneas Gallettus libr. 4. 54.

Annus erat quartus, Latii Vulcanus habenas,
Suſcipit Olanus Tuſcas.

Quin imo Hieronymus Henningius Tom. 4. Theat. Genealog. Joan. Lucidus, aliique ejusdem notæ ſcriptores ab iſto Mediolanum conditum, & nominatum volunt, clariſſimæ civitatis mentientes conditorem; nam ex Livio notum eſt 1. Decad. libr. 5. *Ambigati Celtarum Regis filium Belloneſum, fuſis acie Tuſcis, qui eum tractum incolebant, Tarquinio Priſco Romæ regnante, urbem eam condidiſſe.* Adi Gaudentium Merulam libr. 3. de Ciſalpinorum Gallorum antiquitat. cap. 12. At *ab Olano* Rege *Mediolanum* dictum, quid ni ergo ab illo condita ſit? O ſtupidi! imo vero quaſi *Media amnium*, quod in planitie roſcida ſita ſit, appellata eſt, L elemento, ad vitandum hiatum, inſerto. Bonaventura Caſtillioneus libr. de Gallor. Inſubr. Antiq. Sedib. non multum poſt principium. Varia ejus nomina, nam & *Alba*, & *Penthecia*, ſi nonnullis fides, eſt dicta; ſed & a Maximiano Herculio Aug. *Herculea*: Zacharias Lilius in Orbis Breviario, & *Melana*: Gottofred. Viterbienſis in Pantheo:

Urbs Melana potens.

Nec minus *Inſubria* ei nomen; nummus argenteus M. Valerii Meſſalæ, certe Inſubrum eſt opus. Plin. libr. 3. cap. 17. Denique quod *lanata ſus* ibi inventa ab Inſubribus Gallis, *Mediolanum* appellatum, frequentior eſt opinio, certiorque; neque enim Catonis illa ſpuria fragmenta audio,

audio, quæ a Medo Inſubrum Duce nomen trahunt, cum nuſquam ille a quoquam celebretur auctore; conſultius ergo a *lanata ſue* nominatam dicemus cum Andrea Alciato in Emblematis. Iſidor. libr. 15. Etymologiar. cap. 1. Ea reperta, dum fundamenta jacerentur. Joan. Brodæus libr. 2. Miſcellaneor. cap. 26. Et Poëtæ. Erricus Monachus libr. 5. de vita S. Germani:

Ulteriora petens claram defertur ad urbem,
Quam Mediolanum fertur dixiſſe vetuſtas,
Fama ſerit, quamquam famæ non creditur omni,
Quondam inteſtinis flagrans quod Gallia bellis,
Expulerit proprios violento Marte colonos
Sedibus a propriis, Latio qui forte coacti
Hanc conſtruxerunt collatis ſtipibus urbem
Dicentes medio factum de nomine lanum,
Quod cum prima novis ſtruerent fundamina muris
Lanea ſus media perhibetur parte reperta.

Sidon. Apollinar. libr. 7. Epiſt. 17.

Rura paludicolæ temnis populoſa Ravennæ,
Et quæ lanigera de ſue nomen habet.

Plura, & forte non aſpernanda dixi ad Cl. Claudiani de Nupt. Honor. & Mariæ:

Continuo ſublime volans, ad mœnia Gallis
Condita, lanigeræ ſuis oſtentantia pellem
Pervenit.

Sic enim recte, cum vitioſiſſime in vulgatis codicibus legatur:

Continuo ſublime volans ad mœnia Gallis
Condita lanigeris, ovis oſtentantia pellem
Pervenit.

Etruſcorum Rex Porſena, vel Porſenna, ex familia Lartium: dictus Lars, Claras, Magnus: Cluſii Regiam habebat: bellum Romanis intulit ad reducendos Tarquinios: Horatii, Scævolæ, Clæliæ eo in bello virtus: pacem cum Romanis, fœduſque iniit: Augur: magnificentiſſime in Labyrintho a ſe condito ſepultus.

CAP. I.

IAm ad annum urbis Romæ conditæ ducenteſimum quadrageſimum quartum deſcendimus, quo exactis ob impotentiam, morumque feritatem Tarquiniis, ſtatus Reipublicæ eſt mutatus, & ſubſtituti duo Conſules, cum Porſennæ Cluſinorum, hoc eſt Etruſcorum Regis virtuti confiſus, & conſanguinitati, regreſſum tentat Tarquinius. Sed audiendi more noſtro hiſtorici. T. Liv. 1. Decad. libr. 2. *Jam Tarquinii ad Lartem Porſenam Cluſinum Regem perfugerant. Porſena tum Regem eſſe Romæ, tum Etruſcæ gentis Regem, amplum Tuſcis ratus, Romam infeſto exercitu venit, non unquam alias ante tantus terror ſenatum invaſit, adeo valida res tum Cluſina erat, magnumque Porſennæ nomen.* Caſtra poſuit in Janiculo. Præter Hiſtoricos, D. Auguſtin. libr. 2. Civit. Dei cap. 18. Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 66.

Sed melius quæ terror abit, jam vincere reſtat
Si pugnas, ut victa ſoles, Porſenna ſuperbum
Tarquinium impingens complevit milite Tuſco
Janiculum.

Claudian. libr. 1. in Eutrop.

Hoc mihi Janiculo poſitis Etruria caſtris
Profuit, & fluvio tantum Porſenna remotus?

Dicitur autem *Claras*, *Lar*, ſive *Lars*, & *Magnus*, quæ ſupra hoc libro cap. 12. dicta non repeto. Videatur Plutarchus in Publicola pag. 105. Halicar. libr. 5. pag. 293. Et promiſcue Porſena, vel geminato N. ſæpius Porſenna. Utriuſque exempla: de prima, Q. Horat. libr. Epod. od. 16. principio:

Minacis aut Etruſca Porſenæ manus.

Martial. libr. 1. Epigr. 22.

Urere quam potuit contempto Lucius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.

Et

Et libr. 14. Epigr. 98.

Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

Poſterius probatur Virgilio libr. 6. Æneid. ad finem, & aliis plerisque auctoribus:

Nec non Tarquinium ejectum Porſenna jubebat
Accipere.

Potentiſſimus hic habebatur omnium Italiæ Regum ea tempeſtate. Joan. Zonar. Tom. 2. Annal. pag. 19. cujus verba poſita ſunt meis ad Claudianum Commentariis libr. de bello Gildonico:

. . . . *Porſenna redacat.*

Tarquinios.

Tunc illa miracula emicuerunt fortitudinis: Horatius Cocles, Mucius Scævola, Clœlia virgo. L. Flor. libr. 1. cap. 10. Plutarchus non uno loco; ſed quia non eſt ad manum codex, tu vide eum in Publicola, loco proxime laudato, & libr. de Fortuna Romanor. pag. 371. & in Parallel. pag. 250. & eodem opere pag. 305. & chronographos omnes. L. Senecam libr. 8. Controv. 4. Fontem & originem belli narrat Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 5. pag. 293. Α'νὴρ αὐθάδης καὶ διεφθαρμένος τὴν γνώμην ὑπό τε πλύτυ, καὶ ἀρχῆς μεγίστης, καὶ χρημάτων ἀφορμὰς ὑπέλαβεν ἔχειν καλὰς καταλῦσαι τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν, παλαίτερον ἔτι τῦτο βυλόμενος, καὶ προεῖπεν αὐτοῖς τὸν πόλεμον. *Homo arrogans, & inflatus divitiis, ampliſſimoque imperio, & pecuniarum vi, ratus ſe nactum preclaram occaſionem ſubvertendi Romanorum imperii, quod jam antea animo deſtinaverat, bellum eis indixit.* Non itaque tantum, ut conſanguineis ſuis Tarquiniis opitularetur, bellum iſtud cum Romanis ſuſcepit, geſſitque, ſed ut æmulum & propinquum imperium extingueret, quod ægre in eam magnitudinem excreſcere jampridem cenſebat, ut & ipſi, & aliis omnibus Italiæ principibus, ſi non periculo & exitio, at certe terrori eſſe poſſet: totum deinde bellum multis paginis ſequentibus idem deſcribit.

Urbem irrupturo, in ponte Sublicio ſolus Horatius Cocles reſtitit. Servius Maurus in libr. 8. Æneid. pag. 526. *Cum non ſuſciperetur Tarquinius, contulit ſe ad Porſennam Regem Tuſciæ, qui pro Tarquinio cum ingentibus copiis capto Janiculo, & illic caſtris poſitis, Romam vehementer obſedit: & cum per ſublicium pontem, hoc eſt ligneum, qui modo lapideus dicitur, tranſire conaretur, ſolus Cocles ſuſtinuit hoſtilem impetum, donec a tergo pons ſolveretur a ſociis: quo ſoluto ſe cum armis præcipitavit in Tiberim, & licet laſus eſſet in coxa, tamen ejus fluenta ſuperavit; unde eſt illud ab eo dictum, cum ei in comitiis coxæ vitium obiiceretur: per ſingulos gradus admoneor triumphi mei.* Valer. Maxim. libr. 3. cap. 2. tit. 1. Cicero non uno loco. Suid. in voce ἑκαλύμ. Ob quam magnitudinis recordationem ſtatua publica eſt donatus, cujus meminit C. Plinius libr. 34. cap. 5. & cap. 6. & libr. 36. cap. 15. Claudian. libr. 1. in Eutrop.

Cc 2 Hoc

Hoc meruit vel ponte Cocles, vel Mucius igne?

Et de 4. Honorii Conſulatu:

Vel ſolus quid fortis agat, te ponte ſoluto
Oppoſitus Cocles, Mutii te flamma docebit.

Et de 6. Honorii Conſul.

Obiice non hæſit fluvii, ſic ille minacem
Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens,
Trajecit clypeo Tibrim, qua texerat urbem.
Tarquinio mirante Cocles, mediiſque ſuperbum
Porſennam reſpexit aquis.

Virgil. libr. 8. Æneid.

. . . pontem auderet quod vellere Cocles.

Mucius deinde Scævola, *cum a Porſena, Rege Etruſcorum, urbem gravi ac diutino bello urgeri* (verba ſunt Valerii Maximi libr. 3. cap. 3. tit. 1.) *ægre ferret, caſtra ejus clam ferro accinctus intravit, immolantemque ante altaria conatus eſt occidere*. Dixi libr. 1. ſupra hoc opere cap. 20. Polyænus Stratagemat. libr. 8. pag. 556. L. Seneca Epiſt. 24. libr. de Provid. cap. 3. & libr. 7. Benefic. cap. 14. Flor. Tertullian. ad Martyres, & libr. de Anima cap. ult. *Mentior, ſi non de ipſis cruciatibus corporis & gloriari & gaudere ſola conſuevit: reſpice ad Mucii animam, cum dextram ſuam ignibus ſolvit*. Ita intelligendum illud Caſſii Heminæ libr. 2. Hiſtoriar. apud Nonium cap. 4. num. 88. *cenſuit ſeſe Regem Porſenam occidere*. Hic quum *Mucius* vocaretur, dextra manu adulta, dictus eſt *Scævula*, quia Græci *σκαιὰν levam* vocant. Feſt. libr. 10. quare & qui Græcis ſunt dicti *Scævolæ*, putantur Latinis *Lævini*. Carolus Sigonius. Poëtæ M. Manil. libr. 1. Aſtronomic.

. . . . . necnon & Scævola trunco
Nobilior.

Sidon. Apollinar. Carm. 2.

. . . . . Rex idem denique morte
Admonitus ſcribæ, didicit ſibi bella moveri,
Non ſolum cum bella forent: mox pace petita
In regnum rediit, non tam feriente fugatus,
Quam flagrante viro ſteterat; nam corde gelato
Scævola, & appoſito dextram damnaverat igni,
Plus felix peccante manu, cum forte ſatelles
Palleret conſtante reo, tormentaque capti
Is fugeret, qui tortor erat.

Et Carm. 22. v. 80.

Inter Publicolas ferociores
Trunco Mucius eminet lacerto.

Claudianus proxime ſupra laudatus. Martial. libr. 1. Epigr. 22. libr. 8. Epigr. 30. & libr. 10. Epigr. 25.

In matutina nuper ſpectatus arena
Mucius.

Silius Italicus ambitioſe deſcribit lib. 8. Punicor.

Ducit avis pollens, nec dextra indignus avorum
Scævola, cui diræ celatur laudis honora
Effigie clypeus: flagrant altaribus ignes:
Tyrrbenum valli medio ſtat Mucius ira
In ſemet verſa, ſævitque in imagine virtus.
Tunc icli ſpecie ruere acri in bella magiſtro
Cernitur, effugiens ardentem Porſena dextram.

Neque vero hæc tam rara, tamque ſtupenda fortitudo, caruit dignis præmiis; nam & agro publico eſt donatus. Feſt. lib. 11. *Mucia prata trans Triberim, dicta a Mucio, cui a populo data fuerant, pro eo quod Porſenam, Etruſcorum Regem, ſua conſtantia ab urbe dimovit*: & ad amicitiam populi Romani hoſtem Regem virtutis admiratione pellexit. Joan. Tzetzes Chiliad. Hiſtoriar. 6. cap. 39.

Λάρας Πορσέννας Τυῤῥηνὸς, ἢ Κλάρας γε Πορσένας
Κατὰ τῆς Ῥώμης ἦν χωρῶν στρατεύματι μεγάλῳ
Μώκιος δὲ Ῥωμαῖος τὶς γενναῖος στρατιώτης,
Ὅπλα καὶ σχῆμα Τυῤῥηνῶν ἠμφιεσμένος τότε
Χωρεῖ κατόπτης, κατ᾽ αὐτῶν, κτεῖναι Πορσένναν θέλων.
Συγκαθημένῳ τούτῳ δὲ τότε τοῦ γραμματέως,
Ὃς ἦν τῇ γλώσσῃ Τυῤῥηνῶν Κλύσινος κεκλημένος,
Ἀμφιγνοῶν ὁ Μώκιος τὶς Βασιλεὺς τυγχάνει
Ἀπέκτανε τὸν Κλύσινον ἀντὶ τοῦ βασιλέως.
Ὡς συσχεθέντα τοῦτον δὲ ἀνέκρινε Πορσέννας:
Τίποτε τοῦτο δέδρακας, τί προπαθὼν ἐκ τοῦτου;
Οὐ Τυῤῥηνὸς, ἐβόησε, Ῥωμαῖος δὲ τυγχάνω,
Ἄλλοι τε τριακόσιοι ὅμοιοι μοι τὴν γνώμην
Σὲ νῦν θηρῶσιν ἀνελεῖν: τοῦτο ψευδῶς δ᾽ εἰρήκει.
Τῆς δὲ χειρὸς τῆς δεξιᾶς εἰς πῦρ ἐμβεβλημένης
Αὐτόχειρ ἄλλου πάσχοντος, ἔβλεπε πρὸς Πορσένναν:
Τοῦτο δ᾽ εἰπόντος, πρὸς ἡμᾶς τί ἀτενῶς προσβλέπεις,
Ἐφεῖρὸ, πῶς πεπλάνημαι, καὶ σὲ μὲν οὐκ ἀνεῖλον
Ἀντὶ δὲ σοῦ ἀπέκτανα ὃν ἔδοξα Πορσένναν.
Εἰπόντος τοῦ Πορσέννα δὲ, γενήσῃ νῦν μοῦ φίλος.
Ὁ Μώκιος ἀντέλεξεν, εἰ γεγώνῃ σὺ Ῥωμαίων.
Θαυμάσας ὁ Πορσέννας δὲ τῆς ἀρετῆς τὸν ἄνδρα
Φίλος Ῥωμαίοις γίνεται, καὶ παύει τὰ τῆς μάχης.

Qui verſus Politici curioſi ſcriptoris, ac mediocriter in rebus Romanis verſati, pro ævo eo, quo ſcripſit, ſic poſſunt Latine reddi:

Lar Porſenna Etruſcus, aut Claras Porſena
In Romam proficiſcebatur cum exercitu magno;
Mucius autem Romanus quidam generoſus miles,
Armis atque habitu Tyrrbenorum indutus tunc
Vadit ſpeculator in eos occidere Porſennam volens;

Con-

Conſedente autem cum hoc tum ſcriba,
Qui erat lingua Etruſcorum Cluſinus vocatus,
Dubitans Mucius, quis Rex eſſet,
Interfecit Cluſinum pro Rege.
Ut comprehenſum autem hunc interrogavit Porſenna:
Cur nam hoc feciſti? quid ante paſſus ab hoc?
Non Etruſcus, clamavit, Romanus autem ſum,
Aliique trecenti ſimiles mei mente
Te nunc venantur occidere. hoc falſo autem dixerat;
Manu autem dextera in ignem injecta,
Ipſe velut alio patiente proſpiciebat Porſennam.
Hoc autem dicente: ad nos cur inconniventer proſpicis?
Dixit: eo quod errarim, & te quidem non occiderim;
Pro te autem occidi, quem putabam Porſennam.
Dicente autem Porſenna: fies nunc mihi amicus;
Mucius contra inquit: ſi fias tu Romanis.
Admiratus Porſennas ob virtutem virum,
Amicus Romanis fit, atque deſiſtit a pugna.

Cum autem tam obſtinate protraheretur bellum *in tantam autem obſidionis neceſſitatem populus venerat* (verba ſunt Servii Honorati ad libr. 8. Æneid. pag. 526.) *ut etiam obſides daret, ex quibus Clælia, inventa occaſione, tranſnatavit Tiberim, & Romam reverſa eſt, redditaque rurſus eſt, pacis lege eam Porſenna repetente, qui admiratus virtutem puellæ, dedit ei optionem, ut cum quibus vellet, rediret: illa elegit virgines, quæ injuriæ poterant eſſe obnoxiæ, unde Porſenna hoc quoque miratus, conceſſit, & rogavit per literas populum Romanorum, ut ei aliquid virile decerneretur: cui data eſt ſtatua equeſtris, quam in ſacra via hodieque conſpicimus*. Valer. Maxim. libr. 3. cap. 2. tit. 2. Quam certe virtutem gratiorem commendatioremque reddit ætatis conſideratio; erat enim puella illa impubes, nec duodecimum attigerat annum, ut ex Silii carmine infra laudando conſtabit. De his obſidibus intellige ea Claudii Aug. verba apud C. Tacitum libr. 11. Annal. ubi præcipuas naſcentis Imperii calamitates recenſet: *Scilicet Volſci & Æqui nunquam adverſam nobis aciem ſtruxere? capti a Gallis ſumus, ſed & Tuſcis obſides dedimus, & Samnitium jugum ſubivimus*. Statuam vero ei poſitam memorat & C. Plinius libr. 34. cap. 6. Poëtæ. Virgil. libr. 8.

Et fluvium ruptis innaret Clælia vinclis.

Silius Italic. libr. 3. Punicor.

Illa eſt, quæ Tybrim, quæ fregit Lydia bella,
Nondum paſſa marem, quales optabat habere
Quondam Roma viros, contemptrix Clælia ſexus.

Claudian. libr. 1. in Eutrop.

. . . . attonitum tranavit Clælia Tibrim.

Et libr. de laudib. Serenæ:

Præſcia

Præſcia fatorum Tanaquil, redienſque per undas
Clœlia Tibrinas.

Pactæ ſunt induciæ anno tertio poſt expulsos Reges, hoc eſt anno Urbis ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo; nam Reges Tarquinii excluſi, ut ex omnibus chronologis clarum eſt, anno 244. & tamen obſeſſa aliquot tantum menſibus Roma, ſiquidem ſecundo ſolum poſt regifugium anno Porſenna cauſam cognatorum Tarquiniorum ſuſcepit; unde duplex error inhæſit codicibus Pauli Oroſii libr. 2. cap. 5. *Anno poſt urbem conditam CCLXIIII. Brutus primus apud Romanos conſul*. Sed numerus, a librario turbatus, reſtituatur facili negotio: *Anno poſt urbem conditam CCXLIIII.* Sequitur deinde eodem capite: *Porſenna Rex Etruſcorum, graviſſimus Regii nominis ſuffragator, Tarquinium manu ingerens, tribus continuis annis trepidam urbem terruit, concluſit, obſedit: & niſi hoſtem; vel Mucius conſtanti urendæ manus patientia, vel virgo, Clœlia admirabili tranſmeati fluminis audacia, permoviſſent, profecto Romani compulſi fuiſſent vel perpeti aut captivitatem, hoſte inſiſtente ſuperati, aut ſervitutem, recepto regi ſubjecti*. Error, inquam, eſt; neque enim tribus annis continuis urbem obſidere potuit, qui ſecundi anni fine tantum, ut admitterentur Tarquinii, per legatos petierat, & ante finem tertii anni, ſoluta obſidione non liberaverat modo urbem bello, ſed & opulentis illis ſuis caſtris donavit, uſque adeo ut quotannis *Auctio* habeatur *bonorum Porſennæ*. Clare pro me contra Oroſium eſt Fl. Eutropius libr. 1. Hiſtor. Roman. *Secundo quoque anno iterum Tarquinius, ut reciperetur in regnum, bellum Romanis intulit, auxilium ei ferente Porſenna Rege Tuſciæ, & Romam pæne cæpit. Tertio anno poſt Reges exactos, Tarquinius, cum ſuſcipi non poſſet in regnum, neque Porſenna, qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium præſtaret, Tuſculum ſe contulit.*

Fœderis hujus cum Porſenna initi conditiones parum æquæ Romanis erant, ſed tamen attritis jam viribus neceſſariæ, ut obſides patricios, & impuberes darent, ſtaturos ſe tranſactæ paci, ut agrum Vejentibus ademptum reſtituerent, atque omnibus ditionis Etruſcæ, quas belli jure occupaſſent, poſſeſſionibus cederent. Hæc ſane Livius & Dionyſius, qui agrum receptum ἑπτὰ πάγους *ſeptem pagos* vocat libr. 5. pag. 301. ſed & alia habetur & durior quidem conditio, quam tacentibus hiſtoricis, ex ipſius fœderis verbis licebit elicere, recitante Plinio libr. 34. cap. 14. *In fœdere, quod expulſis Regibus populo Romano dedit Porſenna, nominatim comprehenſum invenimus, ne ferro, niſi in agricultura, uterentur*. Dura certe lex paciſcendi, & probroſa, quam tamen & Romani a Tuſcis ſibi imponi ſunt paſſi, & in alias gentes devictas exercuerunt. L. Flor. libr. 2. cap. 3. de Liguribus: *Itaque cum diu multumque illuderent, ſaltu, viis, latebris, Deceates, Oxybii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius latebras eorum ignibus ſepſit: Bæbius in plana deduxit: Poſthumius ita exarmavit, ut*

vix

vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur. Quod monſtrat egregiam Porſennæ Tuſcorumque potentiam eo ſeculo. Sed pergo. Hujus belli apparatum non male Silius Italicus deſcripſit lib. 10. Punicor.

. . . . . . ſed enim ſolium indignata ſuperbi
Ut ſceptra exegit, confeſtim ingentia bella
Cluſina venere domo, ſi Porſena fando
Auditus ſibi, ſi Cocles, ſi Lydia caſtra.
Ille ope Mæonia, & populo ſuccinctus Etruſco,
Certabat pulſos per bella reponere Reges,
Multa adeo nequicquam auſi, preſſitque tyrannus
Janiculum incumbens, ubi mox jam pace probata
Compreſſere odia, & poſitum cum fœdere bellum,
Obſidibuſque obſtricta fides manſueſcere corda
Neſcia, proh Superi! & nil non immite parata
Gens Italum pro laude pati, bis Clœlia ſenos
Nondum compleral primævi temporis annos,
Una puellarum Laurentum, & pignora pacis,
Inter virgineas Regi tranſmiſſa catervas.
Facta virum ſileo, Rege hæc, & fœdere, & annis,
Et fluvio ſpretis, mirantem interrita Tibrim
Tranavit, frangens undam puerilibus ulnis,
Cui ſi mutaſſet ſexum natura, reverti
Forſan Tyrrhenas tibi non licuiſſet in oras,
Porſena.

Hunc principem Sacerdotem fuiſſe, atque auguria publica exercuiſſe, pro more recepto in Etruria, ut Sacerdotes tantum regnarent, & ſupra dixi, & probat locus C. Plinii libr. 2. cap. 53. *Extat Annalium memoria, ſacris quibusdam & precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari: vetus fama eſt Etruriæ impetratum, Volſinios urbem, agris depopulatis, ſubeunte monſtro, quod vocavere Voltam, evocatum & a Porſenna ſuo Rege*. Qui locus egregius eſt, nam & ſacerdotio præditum augurali demonſtrat: & non tantum Cluſio imperaſſe, ſed & toti Etruriæ; ibi quippe Volſiniorum Rex vocatur, & ſæpe ab Hiſtoricis *Cluſinus* Rex audit, qui ſcilicet toti imperans Etruriæ, Regiam ſuam Cluſii habebat, ubi & vivo domicilium, & defuncto tumulus.

Denique, ut ſemel finiam, ſepulchri ſui magnificentia facile peregrinos quoſvis principes vel æquavit, vel ſuperavit. Ex M. Varrone ſcribit Plinius libr. 36. cap. 13. & ex utroque Simon Majolus Dier. Canicular. Dialogo 23. *Extantque adhuc veſtigia ejus, cum Cretici Italicique nulla veſtigia eſſent, namque & Italicum* (Labyrinthum) *dici convenit, quem fecit ſibi Porſenna, Rex Etruriæ, ſepulchri cauſa, ſimul ut externorum quoque Regum vanitas ſuperaretur ab Italis; ſed cum excedat omnia fabuloſitas, utemur verbis ipſius M. Varronis in expoſitione ejus. Sepultus eſt, inquit, ſub urbe Cluſio, in quo loco monimentum reli-*

quit

quit lapide quadrato, ſingula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum, inque baſi quadrata intus Labyrinthum inextricabilem, quo ſi quis introire properet ſine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides ſtant quinque, quatuor in angulis, in medio una, in imo latæ pedum ſeptuagenum quinum, altæ centum quinquagenum, ita faſtigiatæ, ut in ſummo orbis æneus & petaſus unus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinabula, quæ vento agitata, longe ſonitus referant, ut Dodonæ olim factum, ſupra quem orbem quatuor pyramides inſuper ſingulæ extant, altæ pedum centenum, ſupra quas uno ſolo quinque pyramides, quarum altitudinem puduit Varronem adjicere. Fabulæ Etruſcæ tradunt eandem fuiſſe, quam totius operis, & adeo veſana dementia quæſiſſe gloriam, impendio nulli profuturo: præterea fatigaſſe Regni vires, ut tamen laus major artificis eſſet. Singula volans percurram. Primum miror, Plinium ſua ætate, hoc eſt ſub Domitiano, ante annos mille quingentos, aſſeveraſſe, Cluſini illius Labyrinthi nulla reſtaſſe veſtigia, cum etiamnum hodie non obſcura extare (1) a fide dignis accipiam, & majora quidem certioraque, quam ipſius tam opulentæ civitatis. Pyramides in ſepulchris Regum & optimatium conſtitui ſolitas, erigique, docui alibi libr. 3. cap, 70. hoc opere. De orbe æneo, ſive mundi imagine, Principum in manibus capitibuſque poni ſolita, ab Auguſto ſumpto exemplo, & ante eum a Porſenna hoc noſtro, aliquid in *Bando Etruſco* dixi, & Iſidorus libr. 17. Etymologiar. cap. 3. Tintinabula ejus exemplo Regis in Italia domuum privatarum portis deſtinari ſolebanr. Sueton. Auguſto cap. 91. & viri docti ad eum locum: & eſt liber Hieronymi Magii, & auctuarium Thomæ Sigeti Scoti de Campanis ſeu tintinabulis, quorum præterea uſus in triumphis, ut eſt apud Joannem Zonarum Tom. 2. Annal. pag. 32. & in ſacris Cybeles, ut multis allatis expedivi libr. 2. Antiquitat. Romanar. cap. 4. Denique ducendi ad ſupplicium capitale, revinctis a tergo manibus, campanam ſeu Nolam e collo pendulam gerebant, occurſantes admonituri, ne noxii pollutique & morti deſtinati hominis contactu contaminarentur. Teſtis M. Accius Plautus in Pſeudolo Act. 1. Sc. 3.

(1) Optime Plinius; allucinantur vero illi, qui cuniculos quosdam ſub ipſamet civitate Cluſina latentes, Labyrinthi veſtigia eſſe arbitrati ſunt, quum conſtet ex ipſis Varronis verbis ſepulchrum Porſennæ extra Cluſium in planicie fuiſſe, & in ejus quadrata baſi Labyrinthum extitiſſe.

Etruſcorum Rex Galeromondus, de quo nihil præter nomen eſt certi, ac ne illud quidem valde certum.

CAP. LI.

QUi familiæ Sereniſſimæ Vicecomitum Mediolanenſium Hiſtoriam ſcriptis mandavere, *Galeromondi Etruriæ Regis* mentionem fecere; ſed quis ille Rex, quando regnaverit, quid bello aut pace geſſerit, ubi Regiam ſuam fixerit, quo denique ſeculo obierit, ab iis non eſt traditum: neque ego certo inquirere poſſum, quod hiſtorici illi non ſint mihi ad manum. Sed ego cum Franciſco Sanſovino libr. de Illuſtribus Italiæ Familiis pag. 9. putarem, totam illam ſtemmatis *Viſcontiorum*, ſeu *Vicecomitum* narrationem, ſi non penitus fabuloſam, at certe fœda ſcribentium adulatione corruptam. Nam quod Anglum Trojanum faciunt gentis ſuæ auctorem, delirium eſt; cum neque Homerus, Dares Phrygius, Dyctis Cretenſis, ac ne Virgilius quidem, cum omnes celebres Trojanos nominaſſet, ullius *Angli* nomen prodiderint; deinde tot ſeculorum decurſu vix potuiſſet fieri, ut inter Græcos Latinoſque auctores tantorum Principum non aliquis mentionem injeciſſet, maxime cum tot & tam crebræ occaſiones fuerint, non familiis modo intereuntibus, ſed & urbibus, regnis, atque Imperiis, ut mirum videri debeat, in tam multiplici rerum decurſu, nuſquam Angli Trojani, aut ſucceſſorum deprehendi, non dicam geſta, ſed nudum nomen. Alii Aſcanii filium hunc Anglum faciunt, majori inſania; nam quomodo Aſcanii filium Inſubres occupantem, Virgilius, Liviuſque, & alii præteriiſſent? quorum unicus hic erat ſcopus, ut familiæ Juliæ magnitudinem etiam mendaciis augerent, tantum abeſt, ut vera ſubtraherent. Denique ſuſpectam ejus rei fidem faciunt tot nomina ignota, nuſquam ab alio audita, aut alibi lecta, ut mihi quidem ſubeat cogitatio, ingenioſis mendaciis depravatam veritatem; nam qualia ſunt hæc nomina (nam ab Aſcanii eo filio, uſque ad annum ſalutis 384. hoc eſt pæne octingentis annis ceſſat ſeries) *Maximianus Rex*, *Alionus Comes Italiæ*, *Galvagnus*, *Perideus*, *Miio*, *Guido*, *Otto*, *Berengarius*, *Orlandus*, *Ugo*, *Folco*, *Obyzzius*, *Faccius*, *Irprandus*, *Abidus*, *Filoſocus*, *Filus*, *Punecius*, *Eſimacus*, *Albanicus*, *Semebondus*, *Galeromondus*, *Rachimus*, *Briginus*, *Brumiſedus*, *Feleranandus*, *Bridomanus*, & *Lucius*. Quæ omnia nomina ſapiunt adulantium potentibus Principibus mendacia; nolui tamen non deſcribere, ne lector diligentiam culparet. Vide & Hieronymum

nymum Henningium Theatro Genealog. pag. 1112. Prudentius auctor Chronicorum de Brunforte MS. pag. 49. *Ab Eliprando initium deducit, qui ſingulari certamine Baverium Othonis Imperatoris nepotem ſuperavit, & ob id a Mediolanenſibus vocatus, pater patriæ eſt dictus*. Fanucius Campanus MS. libr. 3. Illuſt. Ital. Fam.

Etruſcorum Rex Tolumnius, male ab aliis Volumnius dictus, cognomento Lar, ſeu Lars: Veiis habuit Regiam: Legatos Romanorum, qui ſacroſancti doniſque honorari debebant, interfecit: a Cornelio Coſſo duello interfectus: ſpolia opima de eo Jovi Feretrio relata: caput abſciſſum, & geſtatum lancea.

CAP. LII.

ANno Urbis Romæ conditæ trecenteſimo decimo quinto (inquit Fl. Eutropius libr. 1. Hiſtor. Roman. alii 325. anno, Joannes Stadius, & Stephan. Pighius) *Fidenates contra Romanos rebellarunt: auxilium his præſtabant Vejentes, & Rex Vejentium Tolumnius, quæ ambæ civitates tam vicinæ Urbi ſunt, ut Fidenæ ſeptimo, Vejentes decimo octavo milliario abſint*. Hunc cognomento *Lartem* ſive *Larem* dictum, ſatis probatum exiſtimo a me ſupra hoc ipſo libro cap. 12. quod non repeto, quippe properandum ad alia.

Nonnulli imperite hunc *Volumnium* appellant, inter quos ſunt Lapus, Cruſerius, & Xylander interpretes Plutarchi in vita Romuli pag. 27. & in Marcello pag. 302. utroque enim loco hiſtoriæ ſeries ſuadet de hoc noſtro Tolumnio Rege, non de quoquam Volumnio ea, quæ ibi ſcribuntur, intelligenda; & textus Græcus Τολύμνιον Τυῤῥηνῶν βασιλέα, *Tolumnium Etruſcorum Regem* præfert. Decepti fuere illi, ut exiſtimo, quod ſæpe Volumnios, Volumnias, Voltunas, Volcas, Voltas, nomina Etruſca legiſſent; itaque facile fuit nominum vicinia eos decipi.

Hujus Regia Veii & Fidenæ fuere, quamquam diſcordia inter hiſtoricos levicula, dum deſciviſſe a Romanis Fidenates volunt, auxiliantibus Vejentibus; cum alii prodant, occiſos Romanorum legatos, non Veiis, ſed Fidenis a Larte Tolumnio: quod refert T. Livius 1. Decad. libr. 4. *In horum magiſtratu Fidenæ colonia Romana ad Lartem Tolumnium Vejentium Regem, ac Vejentes defecere, majus additum defectioni ſcelus, C. Fulcinium, C. Julium Tullum, Sp. Nautium, L. Roſcium,*

Legatos Romanos, cauſam novi conſilii quærentes, juſſu Tolumnii interfecerunt. Levant quidam Regis facinus, in teſſerarum proſpero jactu vocem ejus ambiguam, ut occidi juſſiſſe videretur, a Fidenatibus exceptam, cauſam mortis legatis fuiſſe; rem incredibilem; interventu Fidenatium novorum ſociorum conſulentium de cæde ruptura jus gentium, non averſum ab intentione luſus animum, nec deinde in horrorem verſum facinus, propius eſt fidem obſtringi Fidenatium populum, ne reſpicere ſpem ullam ab Romanis poſſet, conſcientia tanti ſceleris voluiſſe. Atrox hoc igitur, & dirum factum ſua non caruit excuſatione, dum legatos injuſſu Regis interemptos, ac eo inſcio jugulatos volunt. M. Tull. Philippica 9. *Lartes Tolumnius Rex Vejentum quatuor legatos populi Romani Fidenis interemit, quorum ſtatuæ in roſtris ſteterunt, uſque ad noſtram memoriam: juſtus honor; his enim majores noſtri, qui ob Rempublicam obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt.* Vide viros doctos locum illum exponentes.

Contra jus gentium violati legati, atrocius Tolumnii Regis factum ubique proclamarunt; illi quippe & ſacroſancti habebantur, violarique ſine ſummo piaculo non poterant: & muneribus honorifice donati, ſolebant dimitti. Contra vero contumelioſe habiti legati, dira civitatibus excidia concivere. De Tyro Alexandri legatis cæſis Curtius libr. 5. de bello Tarentino, L. Florus libr. 1. Hiſtor. Roman. cap. 18. de bello Illyrico idem Hiſtoricus libr. 2. cap. 5. Erant illi, inquam, jure gentium inviolabiles. Vide, quæ vir doctus Tiliobroga notat ad Terentium pag. 342. & pag. 632. Hegeſippus libr. 1. Excidii Hieroſolymitani cap. 32. Æmilius Probus ſive Cornelius Nepos in Pelopida: *Legationis jure tectum ſe arbitraretur.* Et lege Julia de vi publica tenetur, ſi quis Legatum offenderit. Ulpian. J.C. l. 7. ff. eod. tit. *Neque impediri aut contineri poterant, ne cum reſponſo reverterentur.* Gregor. Turon. libr. 7. Hiſt. Franc. cap. 32. Demoſthenes Philippica 4. & Ulpianus ſophiſta. Multa ex Athenæo, Diodoro, Herodoto, Cicerone, & Juſtino, Plinioque utroque, & aliis diſquirit Petrus Gregorius libr. 35. Syntagmat. Jur. cap. 4. Poëtæ. Stat. Papin. libr. 2. Thebaid.

. . . . ſanctum populis per ſecula nomen
Legatum, inſidiis tacitaque invadere fraude
Apparat.

Coripp. African. libr. 3. de laud. Juſtini minor. num. 7.

Quantum eſt legatis conceſſa licentia fandi,
Tantum legatos animo decet eſſe modeſto:
Et rerum probitate graves, quique ordine poſſint
Scire, locis humiles quibus, & quibus ora ſuperbi
Expediant.

Ideoque uſu gentium etiam barbararum, & conſenſu probatum, Legatos diſcedentes benevole compellare, doniſque, quæ *Lautia* dicebantur, honoratos dimittere. Feſt. Pomp. libr. 4. in voce *Dacrimas*. *Item*

Dau-

Dautia, quæ Lautia dicuntur, & dantur Legatis hoſpitii gratia. Joann. Zonar. Drungarius Tom. 2. Annal. pag. 50. Heliodor. Æthiopicōn libr. 9. pag. 493. Plutarch. Apophthegmatis Dionyſii pag. 176. Luitprandus Ticinenſis in ſua ad Byzantinos legatione pag. 103. Carolus Magnus libr. 2. Capituli cap. 16. Salvian. Maſſilienſis libr. 5. de Providentia: *Veniunt plerunque novi nuntii novarum epiſtolarum, a ſummis ſublimitatibus miſſi, qui commendantur inluſtribus paucis, ad exitium plurimorum, his decernuntur nova munera*. M. Cato Orat. de ſua innocentia: *Cum eſſem in provincia legatus, quamplures ad prætores & conſules vinum honorarium dabant, nunquam accepi, nec privatus quidem*. L. ult. C. Theodoſ. ne damna provincialibus infligantur, *munuſcula* ſunt appellata, ut notat egregius Savaro ad Sidonii Apollinaris libr. 5. Epiſt. 7. Gaufridus Monachus libr. 4. Hiſtor. pag. 86.

Atque ditat legatum muneribus.

Corippus African. loco proxime laudato ſupra:

En ſcultor noſtra ſervire paratus in aula
Legatos nobis, & plurima munera mittit,
Quos contra ingratos defendimus.

Neque certe, niſi rupta pace, diſſolutoque fœdere mos unquam revertentes Legatos indonatos dimittere. Æmil. Prob. in Hannibale, ſeu Cornelius Nepos: & dixi ad Cl. Æliani libr. 1. Var. Hiſtor. cap. 22. P. Virgil. libr. 7. Æneid. v. 155.

Centum Oratores auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro.

Et eodem libro v. 244.

Dat tibi præterea fortunæ parva prioris
Munera.

Cenſebanturque Legatis impenſa, quaſi ipſis Regibus data, qui eos miſiſſent. Idem lib. 11. Æneid. v. 281.

Munera, quæ patriis de me portaſtis ab oris
Vertite ad Æneam.

Corippus loco laudato, ubi ſic Avarum & Caganis Regis legati ad Juſtinum Minorem Aug.

. . . . ſanctus quæ præbuit ille,
Vos etiam præbere decet, ſi fœdera pacis
Intemerata tibi, ſi mavis pacta manere:
Debita quærenti tranſmittite munera Regi.

Occiſi a Tolumnio Legati, domi ſtatuis ad perpetuitatem gloriæ donati fuere. Livius loco proxime laudato: *Legatorum, qui Fidenis cæſi erant, ſtatuæ publicæ in roſtris poſitæ ſunt*. M. Cicero loco etiam proxime ſupra citato. C. Plin. libr. 34. cap. 6. principio. *Inter antiquiſſimas ſunt Tulli Cœli, L. Roſcii, Sp. Nautii, C. Fulcinii in roſtris, a Fidenatibus in legatione interfectorum: hoc a populo Romano tribui ſolebat inju-*

injuria cæſis. Hos alio ordine recenſet Livius paulo ante laudatus, & qui hic *Tullus Cælius* dicitur, & ab aliis *Tullus Clælius*, a nonnullis etiam *Titus Clælius*, Livio eſt *C. Julius Tullus*. Turpiſſime certe hic lapſus eſt vir alioqui doctus Jacobus Dalecampius, qui ad hunc Plinii locum, veluti quippiam novi, aut alia exempla allaturus: *Hoc etiam tributum*, (inquit) *fuit legatis cæſis a Tolumnio Rege Vejentum*. Atqui iidem ſunt, quos jam eo loco Plinius nominavit, ut nihil ſit opus hoc tamquam ſupernumerarium exemplum recenſuiſſe; ſed virum diligentem alias in errorem induxerat Cicero; qui & ipſe Philipp. 9. rem quidem graviter narraverat, nomina occiſorum tacuit, quæ ab uno, quod ſciam, Livio ponuntur.

Nec Tolumnius Rex diu inultum facinus tulit, nam Cornelius Coſſus, Conſul, ut quibusdam Criticis placet, vel Tribunus tantum militaris, ut verior habet frequentiorque opinio, duello provocatum necavit. Vide Contarenum, & Stadium in L. Flori libr. 1. Hiſtor. Roman. cap. 12. T. Livius libr. laudato: *Erat tum inter equites Tribunus militum A. Cornelius Coſſus, eximia pulchritudine corporis, animo ac viribus par, memorque generis, quod ampliſſimum acceptum, majus auctiuſque reliquit poſteris. Is cum ad impetum Tolumnii, quacumque ſe intendiſſet, trepidantes Romanas videret turmas, inſignemque eum Regio habitu, tota acie volitantem cognoviſſet: hiccine eſt, inquit, ruptor fœderis humani, violatorque gentium juris? Jam ego hanc mactatam victimam, ſi modo ſanctum quicquam in terris eſſe Dii voluerunt, Legatorum Manibus dabo. Calcaribus ſubditis, infeſta cuſpide in unum fertur hoſtem, quem cum ictum equo dejeciſſet, confeſtim & ipſe haſtæ innixus in pedes ſe recepit, aſſurgentemque ibi Regem umbone reſupinat, repetitumque ſæpius cuſpide ad terram affixit: tum exangui detracta ſpolia, caputque abſciſſum victor ſpiculo gerens, terrore cæſi Regis hoſtes fudit*. Antiquiſſimum fuiſſe duelli ritum & ex Homero doceri poteſt, & eleganti nuper opere edito Joannes Rualdus vir eruditus oſtendit, ad quem te, lector, remitto. Contendunt quidam opima ſpolia non potuiſſe niſi a duce duci detrahi, ideoque ſummum exercitus imperium penes Coſſum, alioquin nec ab illo opima ſpolia rite dedicata. Contra Varrò opima ſpolia definit, quæ manipularis etiam miles hoſtium duci eripuiſſet: & videtur hanc controverſiam Servius Maurus dirimere ad illud 6. Æneid.

. . . . aut te, Coſſe, relinquat.

Coſſus Tribunus militum conſulari poteſtate fuit: hic Regem Tuſcorum Lartem Tolumnium a loco dictum occidit, & ſecunda poſt Romulum ſpolia opima revocavit. Locum habeo mendi ſuſpectum; nam quid ſibi illa volunt, *a loco dictum*? deinde cenſerem legendum, *ſpolia opima renovavit*.

Atque hoc factum maximis ducum Romanorum geſtis comparant ſcriptores. Valer. Maxim. libr. 3. cap. 2. tit. 4. *A Romulo proximus Cornelius Coſſus, eidem Deo ſpolia conſecravit, cum magiſter equitum*

ducem

ducem Fidenatium in acie congreſſus intereniſſet: magnus initio hujuſce generis inchoatæ gloriæ Romulus, Coſſo quoque multum acquiſitum eſt, quod Romulum imitari valuit. Maligne ſane, ut pleraque alia, adulator ille fœdiſſimus, cujus vilitatis etiam me interdum pudet, cum *Tolumnium Regem* dicere debuiſſet, ſatis habuit *Ducem Fidenatium* dicere. Prudent. περὶ ϛεφαν. in hymno D. Laurentii:

Non turbulentis viribus
Coſſi, Camilli, aut Cæſaris,
Sed Martyris Laurentii
Non incruento prælio
Armata pugnavit fides.

Spolia itaque opima, id eſt ampla, ſive, ut ex lege veteri militari Numæ Pompilii, duci cæſo detracta, Jovi Feretrio, vel Marti, dedicavit cæſo Rege Etruriæ Tolumnio: de quo ritu dixit Andreas Tiraquellus ad Alexandri Neapolitani libr. 1. Genial. Dier. cap. 14. & Servius Honoratus ad illud Virgilii libr. 6. Æned. pag. 440.

. . . . insignis ſpoliis Marcellus opimis.

Poſſumus, & quod eſt melius, ſecundum legem Numæ hunc locum accipere, qui præcepit prima opima ſpolia Jovi Feretrio debere ſuſpendi, quod jam Romulus fecerat: ſecunda Marti, quod Coſſus fecit: tertia Quirino, quod fecit Marcellus. L. Flor. libr. 1. Hiſtor. Rom. cap. 12. ad finem, *Spolia de Tolumnio Larte Rege reportata*. Mamercus Æmylius Dictator apud Livium libr. 4. Decad. 1. *Se quoque eundem Dictatorem Mamercum Æmylium eſſe, qui ante Vejentium Fidenatiumque adjunctis Faliſcis ad Nomentum exercitus fuderit, & magiſtrum equitum A. Cornelium eundem in acie fore, qui priori bello tribunus militum, Larte Tolumnio Rege Vejentium in conſpectu duorum exercituum occiſo, ſpolia opima Jovis Feretrii templo intulerit*. Silius Italicus libr. 5. Punicor.

Eſt, ait, hoc certare tuum, quis opima volenti
Dona Jovi portet Feretro ſuſpenſa cruento?

Interdum vero idem eſt *opimum*, quod *optimum*. Apulejus ſæpe in Mileſiis, & Critici notarunt ad Q. Horatium. Gregor. Turon. libr. 2. Hiſtor. Francor. cap. 7. *Provinciarum opima depopulati*. Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 184.

Bellorophonteis inſultaturus opimis.

Hanc Tolumnii Regis Etruriæ mortem, ſpoliaque cadaveri detracta, ac Feretrio ſuſpenſa deſcribit eleganter Sextus Propertius libr. 4. Eleg. 11. quæ apponam libens, quia monomachiam continent:

Coſſus at inſequitur Vejentis cæde Tolumni,
Vincere tum Vejos poſſe laboris erat.
Necdum ultra Tiberim belli ſonus, ultima præda
Nomentum, & captæ jugera pauca Coræ.
Et Veii veteres, & tunc vos regna fuiſtis,
Et veſtro poſita eſt aurea ſella foro.

Nunc

Nunc intra muros paſtoris buccina lenti
Cantat, & in veſtris oſſibus arva metunt.
Forte ſuper portæ dux Vejus aſtitit arcem
Colloquiumque ſua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulſabat aheno,
Vineaque inductum longa tegebat opus;
Coſſus ait: forti melius concurrere campo,
Nec mora fit, plano ſiſtit uterque gradu.
Dii Latias juvere manus, deſecta Tolumnii
Cervix, Romanos ſanguine lavit equos.

Quod dicat deſectam Tolumnii cervicem, & Livius ſupra hoc capite laudatus, Coſſum caput Regi abſcidiſſe & geſtaſſe dicat, admonet ritus vetuſtiſſimi; ſolebant enim ducum victorum cadavera capitibus ſpoliare, & truncum tantummodo relinquere. Crebra in hiſtoriis hujus indignitatis mentio: *Caſſii caput ad Antonium delatum*. Jul. Capitolin. in Anton. Phil. Idem in Maximino Juniore ad finem. *Miſſa etiam Romam capita ſunt eorum*. Et apud Q. Curtium libr. 7. *Parmenionis caput ad Alexandrum portatur*. Et Auguſtus Bruti caput Romam miſit. Sueton. in eo cap. 13. *Didius Salvius Julianus ex tanta damnatorum mole decollatur cervice*, ut ait Paulus Diaconus libr. 10. Supplem. Eutrop. Valer. Maxim. libr. 9. cap. 4. tit. 3. *Caput ejus abſcindere, & per urbem pilo ſuffixum ferre ſuſtinuit*. Et cap. 9. tit. 1. *Caput Elvii circa rogum Cæſaris jaculo affixum ferret*. Æl. Spartian. Feſcen. Nigro: *Hujus caput circumlatum pilo*. Ammian. Marcellin. libr. 22. Hiſtor. *Juliani ad eos mitteret caput perduellis ingrati*. Et alter Marcellinus Comes Indict. 5. Chronic. *Caput Anthenodori in Iſauria capti Tharſum civitatem allatum, pro portis haſtili fixum extabuit*. Servii omitto teſtimonium ad libr. 9. Æneid. v. 464. notatque id bello ſacro uſurpatum non uno loco Benedictus Accoltus Aretinus, elegans Scriptor mehercule, & Curtii Rufi imitator. Sic Poetæ intelligendi. Sil. Italic. libr. 17. Punicor.

Servili fers ora ducis ſuffixa veruto

M. Lucan. libr. 8. Pharſal. v. 680. de Pompei capite:

Cæſaries comprenſa manu eſt, Pharioque veruto
Dum vivunt vultus, atque os in murmura pulſant
Singultus animæ, dum lumina nuda rigeſcunt
Suffixum caput eſt.

Virgil. loco laudato:

Quin ipſa arrectis, viſu miſerabile, in haſtis
Præfigunt capita, & multo clamore ſequuntur
Euryali & Niſi.

Cornelius Severus in Epitaphio Ciceronis, laudante L. Seneca Suaſoria 6.

Oraque magnanimum ſpirantia pæne virorum

In

In roſtris jacuere ſuis.

Silius Italicus iterum libr. 2. Punicor.

Nondum ira poſita, celsa nam figitur haſta
Spectandum caput.

Et libr. 7. Punicor.

Ora rapit gladio, præfixaque cuſpide portat.

Et libr. 15. in fine:

Tum Nero procera ſublimia cuſpide portans
Ora ducis caſi.

Claudian. libr. 2. in Ruffinum, ut hiſtoricos Græcos, barbaroſque, ac Latinos paſſim talia memorantes omittam:

Nec minus aſſiduis certant elidere ſaxis
Prodigiale caput, quod jam de cuſpide ſumma
Nutat, condigna veniens ad mœnia pompa.

Ad hunc ergo modum Regi Tolumnio ludibrium illatum, ut caput amputaretur, ne totus funerari poſſet; ſed hoc leve in eo populo, qui huic tantum incumbere videbatur, ut dignitatem imminueret Regum, quos & catenatos in triumphis præferri volebat, & in carcere etiam captivos jam, & ſupplices, contra jus gentium, humanitatemque omnem, barbara prorſus ac ferina diritate, injecto cervicibus laqueo, ſtrangulabant.

Etruſcorum Rex anonymus, Veiis obſeſſis in urbe ea creatus: diſcordia Tuſcorum cauſa cur in Romanam ditionem tranſirent, nunquam ſuperandi, ſi fideles ad invicem fuiſſent.

CAP. LIII.

DOmeſticos pæne hoſtes, certe quotidianos, ſæpe victos acie Vejos, tandem ſtatuit populus Romanus excindere penitus, & delere, ratus faciliorem de tota reliqua Etruria victoriam ſibi polliceri, ſi caput vicinum & maxime infeſtum aggreſſi eſſent, hoc eſt *antiquiſſimam Italiæque munitiſſimam* urbem, ut loquitur Fl. Eutropius libr. 1. Hiſtor. Rom. ad finem, expugnaſſent. Itaque arcta obſidione clauſa, nec facile cum aliis Etruriæ civitatibus communicatura, ut decus ſuum uſquequaque tueretur, Regem creavit Vejentum civitas, cujus nomen ſiletur a Tito Livio, qui 1. Decad. libr. 5. ſtatim in limine ita ſcribit: *Pace alibi parta, Romani Veiique in armis erant, tanta ira odioque, ut victis finem adeſſe appareret. Co-*

initia utriuſque populi longe diverſa ratione facta ſunt. Romani auxere Tribunorum militum conſulari poteſtate numerum: octo, quot nunquam antea creati, M. Æmylius Mamercus iterum, L. Valerius Potitus tertium, Ap. Claudius Craſſus, M. Quintilius Varus, M. Julius Tullus, M. Poſthumius, M. Furius Camillus, M. Poſthumius Albinus: Vejentes contra tædio annuæ ambitionis, quæ interdum diſcordiarum cauſa erat, Regem creavere. Ecce malignum factum; nam octo Romanorum Tribunorum ad ſuam, ad familiarum, ad totius Reipublicæ gloriam ponit, unius Vejentum Regis nomen obliqua invidia ſubtrahit, niſi forte & ipſe ignorabat parum curioſe in acta publica relatum hoſtis Principis nomen. Sed pergit Livius: *Offendit ea res populorum Etruriæ animos, non majore odio Regni, quam ipſius Regis: gravis jam is antea genti fuerat opibus ſuperbiaque, quia ſolemnia ludorum, quos intermitti nefas eſt, violenter diremiſſet, cum ob iram repulſæ, quod ſuffragio duodecim populorum alius ſacerdos ei prælatus eſſet, artifices, quorum magna pars ipſius ſervi erant, ex medio ludrico repente abduxit*. Ex quibus non eſt obſcurum deducere, omnium duodecim populorum ſuffragio, non unius aut alterius civitatis arbitrio Regem Etruriæ ſolitum creari: deinde ludos publicos atque anniverſarios ipſius auctoritate edi ſollitos; nam & ludos eſſe inventum Etruſcorum dicam infra hoc opere libr. 3. cap. 42. ſed & illud etiam nos docet hic locus, e ſacerdotum collegio more Etruſco excitos, qui regnum adminiſtrarent: quod & ſupra quoque animadverſum hoc libro. Denique Regia familia conſtabat, ut plurimum, artificibus; quare gens ea φιλότεχνος graviter audit *artium amans*, ut ſupra expoſitum libr. 1. cap. 22.

Pergit porro Livius: *Gens itaque ante omnes alias eo magis dedita religionibus, quod excelleret arte eas colendi, auxilium Vejentibus negandum, donec ſub Rege eſſent, decrevit: cujus decreti ſuppreſſa fama eſt Veiis propter metum Regis, qui a quo tale quid dictum referretur, pro ſeditionis eum principe, non novi ſermonis auctorem babebat*. Veſanum hoc & amens decretum Etruriam divulſam atque in factiones diviſam exarmavit primum, ac demum Romanis poſſidendam tradidit. Cruenta illa ſunt, quæ idem habet 1. Decad. ejuſdem libr. 4. nam concilio totius gentis ad fanum Voltunnæ indicto, habitiſque gentis comitiis, *bellum tanto majore, quam proximo conatu apparatum eſt, quanto plus erat ab omni Etruria periculi, quam a duobus populis fuerat. Ea res aliquanto expectatione omnium tranquillior fuit; itaque cum renuntiatum a mercatoribus eſſet, negata Vejentibus auxilia; juſſoſque ſuo conſilio bellum initum, ſuis viribus exequi, nec adverſarum rerum quærere ſocios, cum quibus ſpem integram communicati non ſint*. Itaque non ſemel tantum negatum, ſed ſæpius Vejentibus auxilium liquet; unde apud eundem Livium illa conſultatio libr. 5. *Cum, id quod nunc offendit Etruſcos, Rex creatus Veiis ſpatio mutari interpoſito poſſit, vel con-*

ſen-

Digitized by Google

ſenſu civitatis, ut eo reconcilient Etruriæ animos, vel ipſius voluntate Regis, qui obſtare Regnum ſuum ſaluti civium nolit. Ac ne ſic quidem licebit nomen ejus Regis audire, qui offendiculo toti Etruriæ, ſuæque civitati ultimo fuit exitio; cum ejus ſolius odio pertinaciſſime ſuppetias ſubmittere reliqui populi undecim recuſarent, quo & florentiſſimum Regnum paulatim labefactatum, & per partes, quia ſimul non poterat, ſub jugum miſſum, diſcordia civica expugnatum, quod hoſtium viribus erat inacceſſum.

Meminit etiam eodem libro hujus Regis, ſed multis interjectis: *Inſeritur huic loco fabula, immolante Rege Vejentum, vocem aruſpicis dicentis, qui ejus hoſtiæ exta proſecuiſſet, ei victoriam dari, exauditam in cuniculis.* Sed feralem hanc diſſentientium civium diſcordiam cauſam fuiſſe, cur Etruſci a Romanis vincerentur, indicat Anonymus Poëta, ubi ſic ipſa Etruria:

Impoſui leges populis, & nomina ponto
Infero & Supero, miſſos auxique colonos
Imperiumque Italos trans fines, fœdera natis
Dum ſervata meis; ſed me diſcordia præceps
Romuleæ domitam genti ſervire coëgit.
Quæ decus antiquæ longo poſt tempore linguæ
Auxilii male grata mei, male grata laborum
Abſtulit.

Et certe non aliam cauſam, cur ipſa etiam Roma ceciderit aſſignatur, quam civilis ſanguinis cupido, ut, præter hiſtoricos, exequuntur C. Petronius in animoſa illa belli civilis Pompejani deſcriptione, M. Annæus Lucanus ſub principium libr. 1. Pharſaliæ, & Horatius libr. Epod. od. 16. ut jure exclamet Virgilianus paſtor:

. . . . . . en quo diſcordia cives
Perduxit miſeros.

Etruſcorum Rex Cilnius, Aretii Regiam habuit.

CAP. LIV.

MÆcenatem omnes Scriptores Regio ſtemmate ortum ſcribunt, puto non alio, quam *Cilniorum*, quæ domus opulenta, potens, ac Regia, etiam ante bellum Punicum primum, & adventum Hannibalis in Italiam, hoc eſt anno 536. urbis conditæ, quo hæc de quodam illius proſapiæ principe Silius Italicus libr. 7. Punicor. in limine:

Ocyus accitum captivo ex agmine poſcit
Progeniem, rituſque ducis dextraque labores
Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris
Clarum nomen erat, ſed læva adduxerat hora
Ticini juvenem ripis, fuſuſque ruentis
Vulnere equi, Libycis præbebat colla catenis.

Idque ita eſſe, conjectura ſola ex auctoritate Livii docuerat Juſtus Lipſius libr. 1. Antiquar. Lection. cap. 22. Confirmatur ex C. Tacito libr. 6. Annal. non multum a principio: *Ceterum Auguſtus bellis civilibus, Cilnium Mæcenatem equeſtris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præpoſuit*. Huc etiam pertinet ejusdem Auguſti Octaviani ad C. Mæcenatem hunc epiſtola apud Aurelium Macrobium libr. 2. Saturnal. cap. 4. *Vale, mel gentium Vejorum & Meduliæ, ebur ex Etruria, lacer Aretinum, adamas ſupernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum ſmaragde, jaſpis figulorum, berille Porſenæ*. Ita tamen hæc vera ſunt, ut utriuſque auctoris locus fuerit antea fœde corruptus; nam in Taciti codicibus vulgatis, non *Cilnium* legebatur, ſed *Cillinium:* & in Auguſti epiſtola erat, non *Cilniorum*, ſed *Cilneorum*. Gentilitium autem hoc nomen non tam Regum *Cilniorum* videtur fuiſſe, quam *Mæcenatium*, quibus pleriſque hoc vice cognominis impoſitum, primus eruit vir literatiſſimus Onufrius Panvinius, & ex eo Critici plena manu, Sigonius, Muretus, Lævinus Torrentius, Dionyſius Lambinus, quorum diligentiam tu, tiro, conſule, & profice. Andr. Schottus Soc. Jeſu vir literatiſſ. libr. de Oratorib. Huic Cilnio, ut & Mæcenatibus, domus ſeu Regia erat Arretium, ut ex Silii Italici loco laudato clatum eſt, & pluribus hoc opere a me probabitur, præſertim capite ſequenti.

Etru-

Etruſcorum Rex Mæcenas, quadringentis annis ante vulgatum illum Mæcenatem, Auguſti familiarem, & Muſarum altorem: Arretii ejus Regia: Mæcenates alii a Rege: & plura de literatorum alumno.

CAP. LV.

MÆcenatem Etruriæ Regem faciunt Annius, Hieron. Henningius, Joann. Lucidus, Hieron. Bardus, & alii illius farinæ homines: atque eum quidem, qui Auguſto fuit familiaris, volunt ſceptrum geſſiſſe, cum ante ea tempora, ut ex initio libr. 4. infra hoc opere diſerte liquet, trecentis annis Reges in Etruria eſſe deſiiſſent, decepti illi turpiter nominum errore. Nam certum eſt, ante bellum Punicum ſecundum, Regem in Etruria eo nomine fuiſſe; quippe de Mæcenate quodam, Cannenſi pugna ab Hannibale occiſo, Sil. Italic. libr. 10. Punicor. principio, indicat Mæcenatem illum olim ſceptris Etruſcis nobilitatum: & Petrus Marſus ibidem:

Occidis & Tyrio ſuper inguina fixe veruto
Mæcenas, cui Mæonia venerabile terra
Et ſceptris olim celebratum nomen Etruſcis.

Atque hi duo eo nomine diu ante Auguſtum floruerunt, quorum prior Rex Etruriæ, alter Cannenſi acie interfectus.

Tertius Mæcenas cognomento *Meſſius*, de quo C. Plinius libr. 28. cap. 6. *Jam & ſermoni parci multis de cauſis ſalutare eſt, triennio Mæcenatem Meſſium accepimus ſilentium ſibi imperaviſſe, a convulſione reddito ſanguine*. Ita editio Jacobi Dalecampii. Sed quis hic Mæcenas?

Quartus hoc nomine *Aulus* cognomento dictus, quantum ex fragmento marmoris colligere licet, quod aſſervatum in ædibus D. Arcangeli de Bisdominis Patricii, ac J.C. Aretini, communicavit juvenis nobilis & ſtudioſus Coſmus Ricciardus Aretinus.

....
...... A. MOECENAS. RE ....
..... ƆECVR. Q. ARRET. VIT ......
..... LICINIOS. EXILIO. RES ......
.... T LR. COL ....
....

Quin-

Quintus Mæcenas eſt *Lucius*, literatorum parentis ac patroni pater, ut indicat hæc vetus inſcriptio, aſſervata in ædibus D. Hadriani Fuſconii Epiſcopi Aquinatis.

LIBERTORVM. ET. LIBERTARVM.
C. MAECENATIS.
L. F. POM.
POSTERISQVE. EORVM. ET. QVI. AD. ID.
TVENDVM. CONTVLERVNT.
CONTVLERINT.

Denique ultimus illius Regii ſtemmatis eſt *Cajus Mæcenas*, a quo ſtudioſorum promotores fautoreſque dicuntur Mæcenates; nam & Propertium, & Horatium, & Tuccam, & Varium, & Virgilium miris affecit beneficiis, mutuamque ab iis conſecutus eſt gratiam, nominiſque æternitatem. Hunc alii *Cilniæ* gentis faciunt, ut capite ſuperiori dictum, & Fulvius Urſinus docet: alii Cinciæ, ut Manutius: nonnulli Hæliæ, ut Antonius Auguſtinus libr. *Indice propriorum nominum Pandectarum juris*. M. Martial. libr. 8. Epigr. 58.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Et libr. 11. Epigr. 4.

Et Mæcenatem ſi mihi Roma daret.

Et libr. 1. Epigr. 108.

Otia da nobis, ſed qualia fecerat olim
Mæcenas Flacco, Virgilioque ſuo.

Hujus patrem volunt *Menodorum*, avum *Menippum*, atavum vero *Cecinnam* fuiſſe: & illum regnare incepiſſe eodem anno, quo principatum, victo Antonio, arripuerit Auguſtus, & maxime ille Jo. Lucidus, quo nihil inſulſius Sol vidit, poſt Muſas natas; ſed utrumque ineptum & falſum; erat enim ei pater *Lucius*: & tantum abeſt, ut Regiam dignitatem, quæ eo ævo nulla in Etruria eſſe poterat, affectaret, quin ne unquam extra ordinem ſuum equeſtrem attolli voluit, cum ſæpe ei Auguſtus ultro ſupremos honores obtuliſſet. Fanucius Campan. MS. libr. 5. Illuſtr. Ital. Familiar. pag. 110. *Mæcenati viro Auguſtali valde fuit acceptus Propertius*. Vir Auguſtalis & honoribus ſummis urbicis perſunctus. Ipſi vero cognomen *Cajus*. Lapis proxime ſupra poſitus de patre evincit: alter in hortis Colotianis ſic ei prænomen adſtruit.

PERMISSV. C. MAECENATIS.

Et alter in ædibus Atilii Delphinii. (1)

CURTIA. Ↄ. L. PRAPIS
CVI. PARS. DIMIDIA. HVIVS
MONIMENTI. CONCESSA. EST. AB
C. MAECENATO. HELIO. SIBI. ET
P. CVRTIO. SP. F. COL
MAXIMO. FILIO. ET
TI. IVLIO. AVG. L. GLYCONI
ET. SVIS. POSTERISQVE. EORVM

Manſiſſe autem pertinacia quadam modeſtia in ordine equeſtri, loquuntur omnes pene hiſtorici. Vell. Patercul. libr. 2. Hiſtor. Roman. *Quippe vixit anguſti clavi pæne contentus, nec majora conſequi non potuit, ſed non tam optavit*. Sic locus ille legendus; auguſtum enim clavum equitum eſſe geſtamen, ut Senatorum latus ſit clavus, docet Georgius Buchananus Scotus apud Hadrianum Turnebum, libr. Adverſar. cap. 2. Et Sext. Propert. libr. 3. Eleg. 7.

Intra fortunam qui cupis eſſe tuam.

Martial. libr. 10. Epigr. 73.

Qua non Fabricius, ſed vellet Apicius uti,
Vellet Mæcenas Cæſarianus eques.

Et libr. 8. Epigr. 56.

Riſit Tuſcus eques, paupertatemque malignam
Reppulit.

Eſt ſane verum, hunc C. Mæcenatem deduxiſſe a Regibus Etruſcorum genus ſuum, & puto Aretinum gente fuiſſe. Andreas Schottus, Soc. Jeſu, vir doctiſſ. libr. de Oratoribus a Seneca laudatis Controv. 12. in fine. Quod ſuadet epiſtola Auguſti, nuper laudata; & viri docti id cenſuerunt. Domitius Calderinus Comment. in Catalecta Virgiliana: *Mæcenas natus erat ex nobili ſtirpe ac Regia Aretinorum*. Raphaël Volaterran. libr. 17. Commentarior. pag. 516. *Mæcenatem, equeſtris ordinis, Etruriæ Regibus ortum, & Horatius & Propertius auctores ſunt, Aretini ſuum faciunt*. Sive Aretinus ſit domo, quod mihi quidem indubitatum hactenus fuit, ſive Volaterranus, ſive Vulſinienſis, ſeu denique Cluſinus, quod nonnulli ſuſpicantur, affectu verius patriæ ſuæ, quam ratione ducti; certum ſane eſt illud, ab antiquiſſimis Tuſcorum Regibus ei genus deductum. Albinovanus Pedo in Elegia illa pulcherrima de obitu Mæcenatis, quam quidam Virgilio adſignavere:

Regis eras genus Etruſci, tu Cæſaris almi
Dextera, Romanæ tu vigil urbis eras.

Horat. libr. 1. od. 1.

Mæcenas, atavis edite Regibus.

Et

(1) Apud Grut. pag. 614. 11.

Et libr. 3. od. 29.

Tyrrhena Regum progenies, tibi
Non ante verſo lene merum cado
Cum flore, Mæcenas, roſarum, &
Preſſa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me eſt . . . .

Et libr. 1. Sat. 6.

Non quia, Mæcenas, Lydorum quicquid Etruſcos
Incoluit fines, nemo generoſior eſt te:
Nec quod avus tibi ſit maternus, quodque paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarint.

Sext. Propert. libr. 3. Eleg. 7.

Mæcenas eques Etruſco de ſanguine Regum

Martial. libr. 12. Epigr. 4.

Quod Flacco, Varioque fuit, ſummoque Maroni
Mæcenas atavis Regibus ortus eques

Hoc ſumme familiariter uſus eſt Auguſtus Octavianus, uſque adeo ut ejus fidem ab illo principe impenſius commendatam ſcribat L. Seneca libr. 6. de Ben. cap. 32. eique omnem in admonendo libertatem concederet. Dio Coccejan. libr. 55. fuſe: & in paucis amicitiam ejus coluerit. P. Victor in Octaviano: *In amicos fidus extitit, quorum præcipui erant ob taciturnitatem Mæcenas, ob patientiam laboris modeſtiamque Agrippa*. Quod notat Pierius Valerianus libr. 29. Hieroglyp. in fine. Eumque urbi & Italiæ præpoſuit, ut docent Taciti verba allata initio hujus capitis, & Albinovanus etiam ſupra *vigilem Urbis* vocat, hoc eſt *præfectum urbi*. Vell. Patercul. libr. 2. Hiſtor. *Tunc urbis cuſtodiis præpoſitus C. Mæcenas, equeſtris, & ſplendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, plane exſomnis, providus, atque agendi ſciens, ſimul vero aliquid ex negotio remitti poſſet, otio ac mollitiis pæne ultra feminam fluens*. Sic eum legendum, non ut in vulgatis ineptiſſime: *equeſtri & ſplendido genere natus*; neque enim, ut jam probatum, genus illi fuit equeſtre, ſed Regium. Incidit gravis controverſia inter Helenium Acronem, & Porphyrionem, veteres magnæque notæ grammaticos; prior ſic: EDITE REGIBUS; *quoniam dicitur duxiſſe originem ab Etruſcis Regibus, & contempſiſſe Senatoriam dignitatem, & manſiſſe ſemper in equeſtri ordine*. Bene ille, & ceteris concors; at malignius, vel certe imperitius poſterior: EDITE REGIBUS; *quod nobilibus Etruſcorum ortus ſit*. Annus autem, quo Urbi Italiæque eum præpoſuit Auguſtus, fuit Urb. C. ſeptingenteſimus decimus octavus, dum bellum Siculum gereretur. Dio Coccejan. libr. 49. Denique, ut ſemel cum Petronio dicam, ille Auguſti τὰ ΠΑΝΤΑ, adeoque *dextera*, ut inquit Pedo; nam fidiſſimos vocabat vetuſtas dextras. Martial. libr. 11. Epig. 70.

Lydia dicebar domino fidiſſima dextra.

Stat.

Stat. Papin. libr. 5. Silv. 1.

Vidi altæ propius, propiuſque accedere dextra.

Sic putant quidam legendum in Corippo Africano libr. 1. de laud. Juſtini minoris num. 2.

Et Thomas Lybicæ nutantis dextera terræ.

C. Lucilius apud Nonium cap. 2. num. 304. in hymnis Epodis, quem locum indicavit politiſſimus vir D. Petrus a Thoma J.C. Caſtrenſis, ſuaderet tamen locum illum legi debere, ut in Commentariis meis ibi eſt explicatum:

. . . nutantis deſtina terræ

Nam Lucilius:

Sine eugio ac deſtina.

Sed ad Mæcenatem revertor, quem vita ſolutum, ac mollem, nimiumque tenerum Paterculus ſupra taxavit: gemmarumque amatorem immodice loquuntur Plinius libr. 37. cap. 1. et Seneca Epiſt. 93. Epiſt. 115. & inceſſit amanter ipſe Auguſtus, tanquam *oleo madentem, balſamo delibutum, cincinnatum*, apud Suetonium cap. 86. ubi viri docti plura: & eum criminatur L. Seneca, tanquam *diſcinctum & ſolutum*, Epiſt. 93. Juvenal. Satyr. 7.

. . . . veſtem

Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam.

Alioquin illi clarum erat, & ſcriptis nobile ingenium; nam & plurima ſcripſiſſe perhibetur, & vivacis acuminis indicia feciſſe; quare & Plinius ejus utitur auctoritate, ut ex indice libr. 32. Naturalis Hiſtoriæ conſtat: & *Dialogos* citat Soſipater Chariſius: & *Carminum* libri ab eodem laudantur Grammatico, in quibus Epitaphium Horatii, quod libr. 3. infra hoc opere cap. 28. reperies: & *Prometheus* ejus eſt opus apud L. Senecam Epiſt. 19. qui eum magni facit: & hic verſus ei adſcribitur, dignus ſane tam amœni ingenii fama:

Nec tumulum curo, ſepelit Natura relictos.

Denique *continua* eum *febre* laboraſſe, *nec triennio ſupremo vitæ ullo horæ momento contigit ſomnus*, ut narratur a C. Plinio libr. 7. cap. 51. quod ſingulare ſane mihi, ac pene incredibile videtur, nec facile conſentiet Ariſtoteles libr. περὶ ἀγρυπνίας, *de inſomnia*, eas naturam homini vires conceſſiſſe, ut triennio inſomnis vivere poſſit. Obiit autem anno Urbis conditæ ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, ut refert Dio Coccejanus, hoc eſt viginti ſex annos poſt præfecturam Urbis geſtam. Vir cetera felix, niſi Auguſtum inſtituiſſet hæredem, qui nimia hortos ipſius domumque frequentandi licentia, Terentiam uxorem, moroſam alioqui, & tam amœno marito indignam feminam, corruperat. Sed ego porro inſiſto. Hujus Mæcenatis libertus fuit Aquila, quo, teſte Dione libr. 55. ubi de morte Mæcenatis agit, ipſe Mæcenas uſus eſt ad docendum Notas a ſe excogitatas; & ejus meminit Iſidorus Orig. libr. 1. cap. 21. inter auctores, qui notarum collectaneis Novas notas adjecerunt.

Etruſcorum Rex Ælius Voltorrenus, ſive Volterranus, ſub quo ad lacum Vadimonis fractæ penitus vires Etruſcorum, ut nullus poſt eum Etruriæ Rex reperiatur.

CAP. LVI.

HUnc Regem Latino nomine *Ælium* more Romano *Volturrenum* a Regia ſede, quam Volaterris habebat, meminit Joannes Maria Cataneus Comment. in Epiſt. 20. libr. 8. Plinii Junioris: *Interea res ad Vadimonis lacum in Etruria geſtæ, ubi Etruſcorum res fractæ ſunt, Ælio Volturreno Regum Etruſcorum ultimo ibidem cæſo*. Quod ille a Pſeudocatone illo eſt mutuatus. Certe tamen conſtat, nullum unquam atrocius certamen commiſſum, ut deſcribitur a T. Livio 1. Decad. libr. 9. qui fatali illa ſua ſeu gloriæ Tuſcorum odio, ſeu rerum peregrinarum imperitia, Regem ſuperati exercitus non nominat, magno tamen apparatu rem inter gentes validas geſtam depingit: *Nam cum Umbrorum exercitus acie depugnatum eſt, fuſi magis, quam cæſi hoſtes, quia captam acriter non tolerarunt pugnam, & ad Vadimonis lacum, Etruſci lege ſacrata coacto exercitu, cum vir virum legiſſet, quantis numquam ante alias copiis, ſimul animis dimicarunt, tantoque irarum certamine res geſta eſt, ut a neutra parte emiſſa ſint tela, gladiis pugna cœpit, & acerrime commiſſa ipſa certamine, quod aliquamdiu anceps fuit, accenſa eſt, ut non cum Etruſcis toties victis, ſed cum aliqua gente nova videretur dimicatio eſſe. Nihil ab ulla parte movetur fugæ, cadunt anteſignani, & ne nudentur propugnatoribus ſuis ſigna, fit ex ſecunda prima acies, & ab ultimis ſubſidiis cietur miles, adeoque ad ultimum laboris ac periculi ventum eſt, ut equites Romani omiſſis equis, ad primos peditum per arma, per corpora evaſerint. Ea velut nova inter feſſos acies, turbavit ſigna Etruſcorum.* Vix ullum prœlium majori virtute, aut magis timenda pertinacia geſtum apud hiſtoricos Romanos deprehendo, ut jure bellicoſiſſima gens, civilibus diſtracta odiis, ſibique diſcors, memorabilem, antequam vinceretur, ederet pugnam, ægreque, aliis imperare ſolita, jam alteri pareret. Et pergit Livius porro: *Secuta deinde impetum eorum, utcumque affecta fuerat cetera multitudo, tandemque perrumpit ordines hoſtium; tunc vinci pertinacia cœpta, & averti manipuli quidem, & ut ſemel dedere terga, etiam certiorem capeſſere fugam.* Ad hunc modum parta victoria, & concludit: *Ille primum dies, fortuna veteri abundantes Etruſcorum fregit opes: caſum in acie quod roboris fuit: caſtra eo impetu capta*

dire-

direptaque. Supererant tamen factio, ingenſque belli apparatus prope Peruſiam, quod paucis interjectis narrat idem Livius: *Eodem anno cum reliquis Etruſcorum ad Peruſiam, quæ ipſa induciarum fidem ruperat, Fabius Coſ. nec dubia, nec difficili victoria dimicat: ipſum oppidum, nam ad mœnia victor acceſſit, cœpiſſet; ni legati dedentes, urbe exiſſent. Præſidio Peruſiæ impoſito, legationibus Etruriæ amicitiam petentibus, præ ſe Romam miſſis ad Senatum, Conſul præſtantior etiam, quam Dictator victoria triumphans Urbem eſt invectus*. Ac ne ſic quidem Regis Etruriæ eo tempore meminit, cum duplici acie uno eodemque anno Etruriæ vires fractas affirmat, hoc eſt ann. U. C. ſeptuageſimo quarto ſupra quadringenteſimum, ut libr. 4. pluribus dicetur: legationes etiam memorat, urbemque Peruſiam deditam prodit, cum tamen nec urbes Etruriæ præcipue dedi, nec legati mitti omnino, nec dimicari ſine Regia auctoritate, ideſt auſpiciis, ſi non ductu, facile omnes ſibi perſuadebunt, qui Regiam apud Tuſcos poteſtatem, ex cap. 2. hujus libri ſuperius demonſtratam, perpenderit. Et cum in omnibus triumphis ſolitum ſit Reges ductos nominari, cum toties de Etruria ſit triumphatum, nullius tamen Etruriæ Regis nomen, neque in Tabulis Capitolinis, neque apud ullum hiſtoricum reperitur: quod, an ab hoſtili in Etruſcos animo, an vero ab imperitia rerum exterarum, an utroque, haud facile dixerim: illud certe apud omnes in confeſſo eſt, Regem tum ſuum, cum ſubderetur Romanis armis, Etruriam habuiſſe: tu videris, lector.

Etruſcorum Regum toto hoc libro deſcriptorum, vera, legitima, & genuina nomenclatura.

CAP. LVII.

1. Janus ſtatim a diluvio, non alienigena, ut volunt Græci, ſed indigena.
2. Cameſes Regina, Jani uxor, & ab eo in partem Regni adſcita, poſt eum defunctum regnavit.
3. Tiberinus, Jani filius, parentibus ſucceſſit, huic lapidibus ab ebriis ruſticis occiſo, illi fato ſuo functæ.
4. Vertumnus, ſive Vertunus, agriculturæ magis, quam belli ſtudioſus.
5. Aunus & ipſe ex ſtirpe Jani, ideo Janigena appellatus.
6. Coritus, incertum quo genere, & videtur aliegenam fuiſſe.
7. Lar, ſive Lars, primus ſtemmatis tertii Rex.
8. Lucumo, ſive Lucumus, primus Rex quarti ſtemmatis
9. Fontus, Jani filius, & ipſe ex prima Janigenarum linea.

 10. An-

10. Annius, raptorem filiæ Saliæ inſequens, in Aniene fluvio demerſus.

11. Deheberis, ſive Dehebris, primus, qui Veiis ſediſſe memoratur.

12. Tiberis, nomen Tiberi, in eo ſubmerſus, indidiſſe fertur.

13. Tybris & ſeculo, & Regno a priori longe diſtinctus.

14. Æolus, qui non in continenti, ſed in inſulis habitavit, ſeu Hippotæ, ſeu Hellenis, ſeu Neptuni filius, Rex ventorum creditus.

15. Liparus, & ipſe inſulis ſimul, ac continenti imperans.

16. Meleus Imperator dictus, non Etruſcus ortu, ſed Græcus.

17. Rhætus, coloniarum in Alpibus deductor, bella cum Gallis varia fortuna geſſit, Regiam habuit in Gallia Ciſalpina.

18. Malæottus, ſeu Maleotus, primus, quod ſciam, Volaterris ſedit.

19. Etruſcus, a quo genti nomen, a fortitudine Herculis filius dictus.

20. Tuſcus, ſive Thuſcus.

21. Tyrrhenus, ſeu Toræbus Mæon, ex Lydia in Etruriam advena.

22. Raſena.

23. Nicius Fæſulanus.

24. Fiſcus.

25. Alæſus, ſive Aleſus, aut Halæſus, genere quidem Græcus, jure Regni hic potitus.

26. Halæſus alter, Argivus ortu, Faliſcos hic condidit.

27. Tarchon, ſeu Tarcon Mæonius, frater vel filius, vel comes tantum Tyrrheni, duodecim civitates condidit.

28. Felſinus, Bononiæ conditor.

29. Bonus.

30. Hadrius, ſeu Atrius.

31. Ocnus, ſeu Hocnus, cognomento Bianor, Mantuæ deductor, Auleſtis filius.

32. Mezentius, Cærite Regiam habuit, dictus etiam Imperator.

33. Aſylas, ſacerdos ſimul & Rex, Piſis Regiam habebat.

34. Abas, Populoniæ ejus Regia, aut in inſula Ilva.

35. Maſſicus, a monte Etruriæ dictus, Regia illius Coſſa, ſive Coſa.

36. Oſinius, ut quatuor præcedentes, ex ſacro fœdere Æneam adjuvit contra Rutulos, ejus Regia Cluſium.

37. Morrius, Saliorum auctor, ultimus Rex ſtirpe Neptuni apud Etruſcos: Veii Regia.

38. Cluſius, Tyrrheni filius, Cluſium vel condidit, vel reparavit.

39. Propertius, Capenam in Latio coloniam condidit: Volaterris Regia.

40. Vejentus, & ipſe coloniæ Capenæ deducendæ ſocius.

41. Lucumus Galeritus, Romulo tulit auxilium, tentoria invenit.

42. Cœlius Veibennus, Cœlio monti Romæ nomen dedit: Volaterræ Regia ejus.

43. Me-

43. Menalus: Regia Veii.

44. Olenius Calenus, ſive Olanus, ſacerdos ſimul & Rex.

45. Porſenna, ſeu Porſena, cognomento Magnus, Lar, & Claras dictus, triennio obſedit Romam, pacem cum Romanis fœduſque pepigit, Tarquiniorum cauſa deſerta.

46. Galeromoudus, ex Inſubria Principatum Etruriæ invaſit.

47. Tolumnius, male Volumnius, violatis Romanorum legatis, à Cornelio Coſſo Tribuno militum duello occiſus.

48. Anonymus, creatus a Vejentibus obſeſſis, paulo ante excidium Urbis.

49. Cilnius, Aretii Regia.

50. Mæcenas, quadringentis, ut minimum, anni, ante C. Mæcenatem, Urbis Romæ præfectum, Equitem, & Auguſti Octaviani familiarem.

Etruſcorum Reges fictitii, & commentitii, exploſi omnes, & reprehenſa inſcitia literionum, qui amenter fabulas pro hiſtoriis obtruſerunt, ultimo ſeculo.

CAP. LVIII.

Venio nunc ad literarum propudia, & carcinomata, quorum ſcurrilibus nugis male apud eruditos audit Etruria: & ne lector quicquam poſſit deſiderare, retrimenta bonarum artium non pigebit referre: atque hi quidem Reges, ſi diis placet, Anniani, in duplici ſunt differentia: quorum primi ne per ſomnium quidem in Italia unquam pedem intulerunt: alii clari fuerunt in Etruria viri, florentibus Romanorum opibus, maximo apud ſuos, mediocri Romæ loco, nunquam tamen ad Regiæ dignitatis apicem conſcendere. Ac primum ab amentibus fabulis incipio.

Tytea, quæ & Aretia, ideſt terra, unde Aretium Tuſciæ, Veſta Magna, & Cybele Magna, hoc eſt Regina ſacrorum, nominata eſt. Somnia ſunt hæc; nam Cybelem quidem Phrygiam eſſe Deam, ſive Peſſinuntiam, indeque Romam migraſſe conſtat; at Reginam Etruriæ, & Aretii conditorem, auctoremque, nec divinari per ſomnium, niſi a mente captis poteſt. Et tamen præclaram hujus Mythologiam nuper edidit Petrus Leo Caſſellas ſub titulo: *De primis Italiæ Colonis, & Tuſcorum origine;* cujus libri me pudet. Si tamen curioſus lector vult de ea plura noſcere, adeat L. Apul. libr. 11. Mileſ. & Antiquit. Rom. libr. 2. cap. 4. & ad illud Claudiani libr. 1. de Raptu Proſerpinæ:

Poſt-

Poſtquam viſa Ceres, mugitum tympana frenant,
Conticuere chori, Corybas nihi impulit enſem,
Non buxus, non æra ſonant, blandique leones
Submiſere jubas.

Jam vero *Japhet*, *Atlas*, *Maurus*, *Japetus*, unus idemque Rex Etruriæ, jam *Gomer*, *Comerus*, *Gallus*, *Aſchenes*, *Riphat*, *Thogorma*, *Ochus*, *Eliſa*, *Tarſis*, *Tubal*, *Tarracon*, *Javal aut Javan*, *Kithim*, *Dodanin*; *Heſperus*, *Leucaria*, *Andromeda*, *Plejon*, *Roma*, *Sicorus*, *Siculus*, *Morges*, *Galathea*, *ſeptem Plejades*, *Romaneſſus*, *Siceleus*, *Lajus*; Reges omnes aut Reginas Etruriæ hos fuiſſe, cum nullus neque hiſtoricus, neque mythologus unquam meminerit, quis non ſubtilitatem, acumen, Anniique induſtriam miretur? Dico ſerio, ſunt hæc per ſe admiranda:

Sed velut Harpyæ, Gorgones, aut Furiæ,

Et quaſi non parum eſſet eruditionis Annianæ faſtidium tot ignota & commentitia nomina legiſſe, ſubtexitur alia nomenclatura, quæ veluti ſecundum Regum ſtemma dici poteſt. Et en, lector, hic agmen ducit *Sem*, dein *Cham*, poſt longo ordine *Typhæus*, *Oceanus*, *Thetis*, *Cranus*, *Crana Helerva*, *Lud*, *Aram*, *Alan*, *Auſon*, *Sais*, *Arnuus*, *Noegla*, *Rhea*, *Canaan Phœnix*, *Phut*, *Chus*, *Oſyris*, *Iſis*, *Tages*, *&* *Malottages*, *Nimbroth*, *Sabatius*, *Gygantes Enakii*, *Barzanes*, *Curitis*, *Anitinus*, *Aruntius*, *Pherentius*, *Sabus*, *Sabellus*, *Janus Junior*, *Æsbra*, *Libyus*, *Leabis*, *Hercol*, *Flamniger*, *Hiphran*, *Dodarim*, *Galates*, *Hiſpalus*, *ac denique Hiſpanus*!

Nomina ſunt ipſo pæne timenda ſono.

Neque ſatis adhuc viſum ſapientiſſimis Annianis; ſed addunt inſuper non minus portentoſa, ut a cœlo, terra, mari, inferis, fabuliſque omnibus excuſſis, Etruriæ dent Reges, quales ſunt iſti: *Anubis*, *Neptunus*, *Orus*, *Libera*, *Proſerpina*, *Leſtrigo*, *Phorcus*, *Porcus*, *Rhodus*, *Antæus*, *Maurita*, *Scylla*, *Euryalis*, *Stemo*, *Dagutus*, *Meduſa*, *Tinga*, *Sophax*, *Toſpiades*, *Diodorus*, *Araxa*, *Echidna*, *Agathyrſus*, *Gython*, *Scytha*, *Pencinus*, *Tuſſus*, *Galateus*, *Alteus*, *Blaſcon*, *Abotynus*, *Tyle*, *Veyinza*. Omnes Coriti Janigenum in Italia. Sed parce, lector, parce, quæ eſt humanitas, exorbitavi, ſed volens, ne Etruriæ Reges ex optimis auctoribus deducens, viderer Annii & ſequacium fabulas non vidiſſe, & ſpreviſſe.

Sequuntur denique & alii Reges, quorum catalogum adduxi hoc libro ſupra cap. 8. & refutavi; ſed nihil unquam ſatis mihi dixiſſe videor, ut Meletides iſtos & bliteos in ordinem redigam. Et jam ad alia illius farinæ pergo.

Etru-

Etruſcorum Rex nullus unquam Cecinna, ſed clari plerique, & equeſtri dignitate ornati, Volaterrani cives.

CAP. LIX.

NOnnullos audiverant bardi iſti Etruria oriundos, claro fuiſſe Romæ nomine, & inſignibus geſtis cognitos: hos ſtatim Regibus Etruriæ per ſummam impudentiam inſerendos cenſuerunt: quorum in numero jure merito habendi ſunt cives Volaterrani *Cecinnæ*, ſive, ut aliis placet Criticis, & maxime Raphaëli Mapphæo nobiliſſimo ac doctiſſimo Volaterrano libr. 4. Commentarior. pag. 429. *Cecinæ*, ubi eos per N. ſimplex vult ſcribi, ſicuti *Arminos*, *Porcinos*, cognomenta Romana omnes ſciunt. Eos a flumine accepiſſe nomen contendunt, quod *Cyro & Cambyſi* Perſarum Regibus contigit, quibus fluviorum nomina ſunt impoſita; nam Cyri amnis, præter Coſmographos, meminit Xenophon. libr. 7. Pædiæ pag. 191. & Cambyſes flumen apud Agathiam Scholaſticum libr. 4 ſic & *Cecinarum* familiam ab amne, qui non procul Volaterris abeſt, nomen traxiſſe ſuſpicantur. Ut ut eſt, certe equeſtri dignitate plerique ex ea nobilitati.

1. Aulus Cecina familiaris Ciceronis, ut ex epiſtolis ad invicem ſcriptis conſtat, ab eodem poſt bellum civile Pompejanum in cauſa hæreditaria de fundo Axiæ defenſus, luculenta oratione, quæ hodie extat contra Sextum Ebutium, & apparet poſt bella civilia ſcriptam ex iis verbis: *Quod is deteriore jure eſſet, quam ceteri cives, propter incommodum Volaterranorum, calamitatemque civilem.* Partes Pompejanas contra C. Cæſarem fovit, unde ad eum M. Cicero libr. 6. Familiar. Epiſt. 5. *Et natura rerum eſt, & is temporum curſus, ut non poſſit iſta tibi aut ceteris eſſe diuturna, neque hærere in tam bona cauſa.* Nec contentus partes ſequi Pompejanas, ſcripſit etiam virulentum & dicacem contra Cæſarem librum. Eodem loco Cicero: *Liber tuus & lectus eſt, & legitur a me diligenter, & cuſtoditur diligentiſſime.* Ipſe A. Cæcina eodem libro Epiſt. 7. exilium ſibi ob illum librum indictum haud obſcure denuntiat: *Cum præſertim adhuc ſtyli pœnas dem, qua quidem in re ſingulari ſim fato, nam cum mendum ſcripturæ litura tollatur, ſtultitia fama multetur, meus error exilio corrigitur, cujus ſumma criminis eſt, quod armatus adverſario maledixi.* C. Sueton. Julio cap 75. *Aulique Cecinnæ crimino ſiſſimo libro, & Pitholai carminibus maledicentiſſimis,*

mis laceratam exiſtimationem ſuam civili animo tulit. Civiliter quidem Cæſar & clementer injurias ſuas ultus eſt, cum ex lege 12. Tab. mors in libelli famoſi auctorem decerneretur. Scipio apud Ciceronem libr. 4. de Republica referente D. Auguſtino libr. 2. Civit. Dei cap. 9. *Noſtræ duodecim tabulæ cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in bis banc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis actitaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret flagitiumve alteri*. Horat. libr. 2. Satyr. 1. fine:

> *Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt*
> *Judiciumque*.

Et libr. 2. Epiſt. 1.

> . . . . *quin etiam lex*
> *Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam*
> *Deſcribi* . . . .

Cæſar tamen victor ſimpliciter Pitholao, Cecinæque, libellorum in ſe famoſorum auctoribus ignovit, Catoni etiam parciturus, ſi ille clementiam experiri, quam mori maluiſſet. A. Hirtius libr. de Bello Africano. *L. Cæſar ſubito ſe ad genua projecit, vitamque ſibi nec amplius quicquam deprecatur: cui Cæſar facile, & pro ſua natura, & inſtituto conceſſit, item Cæcinnæ, Cetejo, P. Atio, L. Cellæ patri, & filio, M. Eppio, M. Agninio, Catonis filio, Damaſippique liberis*.

Hunc Aulum magiſtrum quadrigarum vocat Plin. libr. 10. c. 24. hoc eſt veredariorum præfectum, ſive qui curſibus itinerum publicis præeſſent, qui a Perſis inventi *Aſtandæ & Paraſangæ* dicti. Suidas, & diſquirit Guidus Pancirolius in Notit. Imp. docuit etiam hirundines, animal indocile. Verba ſunt Plinii: *Cecina Volaterranus equeſtris ordinis, quadrigarum dominus, comprebenſas in urbem ſecum auferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes, illito victoriæ colore*. Simile quid narrat Albertus Krantius libr. 1. Vandal. cap. 7. in obſidione Dunæ urbis.

Fuit hic A. Cecina doctiſſimus, variaque ſcripſit, ut *Epiſtolas, librum in Cæſarem*, de quibus diximus; ſed & *librum querelarum ſuarum*. Cicero libr. 6. Epiſt. 6. *Et librum de procurandis fulguribus, in quo facundus, niſi a rebus Ciceronis receſſiſſet*, ait L. Seneca libr. 2. Nat. Quæſt.

2. Cecina, Octaviani Auguſti ſcriba.

3. A. Cecina alter *Conſularis vir*, quem Titus Imperator *ad cœnam vocatum, ac vix dum triclinio egreſſum confodi juſſit*. Sueton. Tito cap. 6.

4. A. Cecina tertius dux Vitellianus ad Bebriacum feliciter contra Othonianos dimicavit, cum Imperator ipſe Viennæ in Galliis eſſet, neque per ſe bellum gerere, aut ſuo ductu auderet: ubi parta victoria ludos parat, editque præſente Vitellio, ut fuſiſſime C. Tacitus libr. 2. Hiſtoriar. Non tamen diſſimulem, hunc Aulum eſſe patria Vicen-

tinum,

tinum, ut appareat, non omnes Cecinas Volaterranos fuiſſe. Idem Tacitus libr. 3. Hiſtoriar. in limine.

5. Cecina Severus ſententiam dicit de ara, Ultioni ſtatuenda. Idem Tacitus libr. 3. Annal. & legem rogat, ne magiſtratum in provinciam proficiſcentem uxor comitetur. Eodem loco.

6. A. Cecina curator exercitus inferioris. Tacit. libr. 1. Annal. qui donatur inſignibus triumphalibus. Idem libr. 2. Annal. poſt principium.

7. Licinius Cecina patrem habuit prætorium virum, qui ſe opio interemit *in Hiſpania Bajuli* (ſed lege *Bilbili*) *cum valetudo impatibilis odium vitæ feciſſet*, ut loquitur Plinius libr. 20. cap. 18.

Denique quam clara hæc fuerit familia, loquitur *liber memorabilium Italiæ* MS. in quo hæc ſunt apud Fanucium Campanum libr. 4. de Illuſtr. Ital. Famil. MS. *In Volaterrana urbe Etruriæ, nobiliſſima ac illuſtriſſima, ſunt familiæ, atque illa antiquiſſimæ, ut ſunt: familia nobilis Cecinarum, ex nobili proſapia, ac illuſtri Romana orta, quæ in lucem edidit A. Perſium Poëtam, & Linum Pontificem Maximum*. Duo illa, quæ tanquam prima ab eo Scriptore in familiæ iſtius laude collocantur, ſunt mihi ſuſpecta: primum familiæ Cecinarum ortum eſſe Romæ; & deinde D. Linum, & Perſium Satyricum ex illa eſſe; ſed viderint hodierni Cecinæ, nam & familia etiam nunc hodie nobilitate ſua viget: & ſunt duo ſtudioſiſſimi, & ad bonas artes nati, mihi familiares, Bernardus, & Aulus Cecinæ.

Etruſcorum Rex non fuit Ælius Sejanus, ſed tantum magna apud Tiberium Auguſtum auctoritate; ſed poſtea, majeſtatis reus, cum liberis & amicis miſere interiit.

CAP. LX.

HUnc etiam Anniani hiſtorici inter Reges Etruſcos collocant, & viginti tribus annis ajunt regnaſſe; cum tamen nullus Rex in Etruria jam annis trecentis & amplius fuiſſet. Sed ne fruſtremur lectorem, ſic res ſe habet. Velleii Paterculi libr. 2. Hiſtor. Rom. verba ponam: *Sejanum Ælium principe equeſtris ordinis patre natum, materno vero genere clariſſimas, vetereſque, & honoribus inſignes complexum familias*. Etruſcum vero, atque adeo Vulſinienſem loquitur C. Tacitus libr. 4. Annal. in principio: *Genitus Vulſiniis, patre Sejo Strabone equite Romano, & prima juventa C. Cæſarem, Divi Auguſti nepotem, ſectatus*. Si quis autem velit, quæ de eo præcipua & ſparſa traduntur colligere, & ſimul componere, hæc fere reperiet. Initio fortunæ ſuæ blandientis, Druſum, Auguſti privignum rexit, Liviamque ejusdem Druſi corrupit, maritum vero veneno tollit: poſtea Druſianæ familiæ, ac Germanici domus potentiam aperte impugnat: Tiberium in Agrippinam ſubinde violenter armat, adeo ut cum omnia ſplendida in eum transferret Auguſtus Tiberius, & Senatus in fœdiſſimas adulationes erumperet, ſerviliterque ei magis magiſque in dies ſubmitteret, ut libertis ejus & janitoribus innoteſcere pro magnifico foret, & Blæſo avunculo in honorem ejus triumphalia ornamenta decernerentur, ſtatuæ in foro ipſi ſpecioſiſſimis titulis erectæ. Cum ſic creviſſent dignitates, ut nihil poſſet iis addi, ſuſpectus eſſe incœpit Tiberio, Capreis agenti: qui miſſa Romam per Nævium Sertorium Macronem epiſtola verboſa apud Senatum accuſavit, condemnarique fecit, ut copioſiſſime exequitur Dio Coccejanus libr. 58. Statuæ deinde dejectæ, conflatæque, in cadaver omne genus contumeliæ irrogatum: in amicos omnes, fautores, & clientes diriter ſævitum, ut ibidem, & apud Tacitum libr. 6. Annal. & Sueton. in Tiberio cap. 55. & Tragœdia Anglica expreſſit amœniſſimi vir ingenii Beniaminus Jhonſonus Anglus, quem, diſpeream, niſi Muſæ ament. Juvenal. Satyr. 10. v. 58.

. . . . . deſcendunt ſtatuæ reſtimque ſequuntur;
Ipſas deinde rotas bigarum impacta ſecuris
Cædit, & immeritis cæduntur crura caballis:

Jam

Jam ſtridunt ignes, jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus.

Et paucis poſt:

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem, Sejanus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes.

Quam prope ad Principatum acceſſerit, indicant ea, quæ apud Satyricum ſequuntur:

. . . . . idem populus, ſi Nurtia Tuſco
Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus
Principis, hac ipſa Sejanum diceret hora
Auguſtum.

FINIS LIBRI SECUNDI.



Clurij Apud N·V· Lactantium Nardi· W. Fr. sc.

PRÆFATIO

AD LIBRUM TERTIUM.

HÆc Etruſcorum inventa, atque ingenioſe excogitata, multiplicem variarum rerum uſum, tot opificia, dedi operam, ut confirmarent Auctores ſelectiſſimi; alioquin enim fabulæ ſimile potuiſſet videri, in tanta nobilium ingeniorum etiam Etruſcorum luce, alienigenam, & plane peregrinum, tanta eruiſſe e ſitu, & ipſius Antiquitatis veluti gremio producta monimentum Mundo publicaſſe. Neque dubito, quin grata ſint hæc omnibus ſinceri & candidi ingenii Tuſcis: aliorum cenſuram, ac multo minus invidiam ſuſque deque habeo, quamquam nec hæc tanti eſſe fateor, ut invidiam merere debeant.

LIBER



Vas Fic· Alt· Vnc· VIII· Romæ Apud Em· Car· Gualterio

LIBER TERTIUS

Etruſcus Tages invenit divinationem per auguria: libros de ea ſcripſit, qui Acherontici dicti: Augurum dignitas & collegium: Chriſtianis interdicta.

CAP. I.

ETRUSCI jam olim φιλότεχνοι, *artium amantes*, a Diodoro Siculo dicti, ob inſignem in rebus inveniendis ſolertiam, & virtutis ſtudium ſupra omnes eo ſeculo rudi mortales; ideo de eorum inventis, ac opificiis, deque iis rebus, quæ in uſu apud eos fuerant, hoc libro exequar, ac primum a ſacris ducam initium. *Divinatio per auguria* a Tuſcis inventa primum, ac exculta; licet Græci contra nitantur, ejuſque auctorem velint eſſe *Telegonum*. Suidas in voce Τηλέγονος: aut *Melampodem*. Apollodorus Athenienſis libr. 2. Biblioth. aut *Amphiaräum*, Homer. libr. 15. Odyſſ. Jul. Hygin. fab. cap. 73. cap. 128. Papin. Stat. libr. 1. Thebaid. v. 399. & Luctat. Placidius ibidem:

. . . . *non docte futuri.*
Amphiaräe vides.

Utrum-

Utrumque conjunxit Sidonius Apollinaris Carm. 9. v. 194.

Nec quos Amphiaraus, aut Melampus.

Lege Gaſparis Penceri de Divinatione opus eruditum: dixi ad Ælianum libr. 2. Var. Hiſtor. cap. 31. meminit Ariſtoteles libr. 9. Hiſtor. Animal. cap. 31. & laudat Plato in Phœdro, & Xenophon libr. 2. Pædiæ in principio: et de Expedit. Cyri libr. 6. pag. 373. quas inanes nugas refellunt Petrus Sanflorius Monſpeſſulanus libr. Hiſtor. Rer. Memorab. pag. 240. & Wimpina libr. de Divinat. capp. 3. 4. 10. adi doctiſſimum Martinum Delrio Diſquiſition. Magicar. libr. 4. Section. 2. qui ſatisfaciet.

Indubitatum tamen eſt, *ab Etruſcis Tarquinienſibus* artem hanc inventam: adſcribam locum Ciceronis e libr. 2. de Divinat. *Ortum videamus aruſpicinæ, ſic facillime, quid habeat auctoritatis, judicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, cum terra araretur, & ſulcus altius fuiſſet impreſſus, extitiſſe repente, & eum affatus eſſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris dicitur Etruſcorum, fertur puerili ſpecie viſus, ſed ſenili fuiſſe prudentia. Ejus aſpectu cum obſtupuiſſet bubulcus, majoremque clamorem cum admiratione edidiſſet, concurſum eſſe factum, brevique tempore totam in eum locum Etruriam conveniſſe, tum eum plura locutum, multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, literiſque mandaverint; omnem autem ejus orationem eam fuiſſe, qua aruſpicinæ diſciplina contineretur: eam poſtea creviſſe rebus novis cognoſcendis, hæc accepimus ab ipſis, hæc ſcripta conſervant, hunc fontem habent diſciplinæ. Num ergo ad hæc refellenda opus Carneade? num Epicuro? Eſtne quiſquam ita deſipiens, qui credat, Deum exaratum, an hominem? Si Deum; cur contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem aſpiceret? quid? idem non ne poterat Deus hominibus ſuperiore ex loco tradere? Si autem homo Tages ille fuit, quonam modo potuit terra oppreſſus vivere? Unde porro potuit illa, quæ docebat alios, ipſe didiciſſe? Sed ego inſipientior, quam illi ipſi, qui credunt iſta, qui quidem contra eos tamdiu diſputem. Vetus autem illud Catonis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe ajebat, quod non rideret aruſpex, aruſpicem cum vidiſſet.* Concors eſt Ammiani Marcellini locus e libro 21. Hiſtoriar. *Auguria, & auſpicia non volucrum arbitrio futura neſcientium colliguntur; neque enim hoc vel inſipiens diceret; ſed volatus avium dirigit Deus, ut roſtrum ſonans, aut prætervolans pinna, turbido meatu vel levi, futura præmonſtret; amat enim benignitas numinis, ſeu quod merentur homines, ſeu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere, quæ impendent. Extis quoque pecudum intenti fatidicis, in ſpecies converti ſuetis innumeras, accidentia ſciunt, cujus diſciplinæ Tages quidam monſtrator, ut fabulantur, in Etruriæ partibus emerſiſſe ſubito viſus e terra.* Joan. Sareſberienſis libr. 1. Policrat. cap. 12. *Aruſpicium quoque in extorum inſpectione viget, quam artem Tages quidam dicitur inveniſſe.* Arnob. libr. 2. Cont. Gent. *Muſica cetereque artes omnes,*

qui-

quibus vita eſt extructa & expolita communis, cum hominibus natæ ſunt, & non potius nuper, quin imo paulo pæne ante agitari, intelligi, celebrarique cœperunt, antequam Tuſcus Tages oras contingeret luminis, quiſquam hominum ſciebat, aut aſſe noſcendum condiſcendumque curabat in fulminum caſibus, aut extorum quid ſignificaretur in venis? Martian. Capella libr. 2. de Nupt. Merc. & Philolog. *Tages ſulcis emicuit, & ritum ſtatim gentis ſypuumque monſtravit.* Et libr. 6. *Etruria Regio tam indigetis Æneæ fœdere, quam remediorum origine atque ipſius Tagetis exaratione celebrata.* Servius Maurus ad libr. 2. Æneid. ad finem pag. 259. *Tuſci autem a frequentia ſacrificii dicti ſunt, hoc eſt* ἀπὸ τοῦ θύειν *conſtat, namque illic a Tage aruſpicinam repertam.* Ita Poëtæ paſſim. M. Tull. in Urania, ut habetur libr. 1. de Divinat.

Nunc ea Torquato quæ quondam & conſule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis aruſpex.

M. Lucan. libr. 1. Pharſal. v. 635.

Sed venient majora metu, Dii viſa ſecundent,
Et fibris ſit nulla fides, ſed conditor artis
Finxerit iſta Tages.

P. Ovid. libr. 15. Metamorph. fab. 47.

Indigenæ dixere Tagem, qui primus Etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Papin. Stat. libr. 5. Sil. 2. in principio:

Rura meus Tyrrhena petit, ſaltuſque Tagetis
Criſpinus.

Hanc auguralem ſcientiam, aut verius vanitatem Romani uſque adeo excoluerunt, ut nullum majorem honorem aut geſſerint cupidius, aut majori dignitate exercuerint. Nam cum alii honores, annui plerumque eſſent, iſte cum vita tantum finiretur; quare *Q. Fabius Maximus ſexaginta tribus annis auguratum geſſit*. C. Plin. libr. 7. cap. 48. eo tamen diſcrimine, ut quidam *majores*, alii vero *minores*, hoc eſt *publici* ex patriciis, *privati* ex plebeiis deſignati. Vetus Inſcriptio. (1)

M. MAECIO. MEMMIO. FVRIO. BALBVRIO
CAECILIANO. PLACIDO. C. V.
PONTIFICI. MAIORI. AVGVRI. PV
BLICO. P. R. QVIRITIVM. QVINDECEM
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC
TORI. VENETIARVM. ET. HYSTRIAE
PRAEFECTO. ANNONAE. VRBIS
SACRAE. CVM. IVRE. GLADII. COMITI
ORDINIS. PRIMI. COMITI. ORIENTIS
AEGYPTI. ET. MESOPOTAMIAE. IVDI
CI. SACRARVM. COGNITIONVM

(1) Apud Grut. pag. 433. n. 4. Neapoli.

Utrumque conjunxit Sidonius Apollinaris Carm. 9. v. 194.

Nec quos Amphiaraus, aut Melampus.

Lege Gaſparis Penceri de Divinatione opus eruditum: dixi ad Ælianum libr. 2. Var. Hiſtor. cap. 31. meminit Ariſtoteles libr. 9. Hiſtor. Animal. cap. 31. & laudat Plato in Phœdro, & Xenophon libr. 2. Pædiæ in principio: et de Expedit. Cyri libr. 6. pag. 373. quas inanes nugas refellunt Petrus Sanflorius Monſpeſſulanus libr. Hiſtor. Rer. Memorab. pag. 240. & Wimpina libr. de Divinat. capp. 3. 4. 10. adi doctiſſimum Martinum Delrio Diſquiſition. Magicar. libr. 4. Section. 2. qui ſatisfaciet.

Indubitatum tamen eſt, *ab Etruſcis Tarquinienſibus* artem hanc inventam: adſcribam locum Ciceronis e libr. 2. de Divinat. *Ortum videamus aruſpicinæ, ſic facillime, quid habeat auctoritatis, judicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, cum terra araretur, & ſulcus altius fuiſſet impreſſus, extitiſſe repente, & eum affatus eſſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris dicitur Etruſcorum, fertur puerili ſpecie viſus, ſed ſenili fuiſſe prudentia. Ejus aſpectu cum obſtupuiſſet bubulcus, majoremque clamorem cum admiratione edidiſſet, concurſum eſſe factum, brevique tempore totam in eum locum Etruriam conveniſſe, tum eum plura locutum, multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, literiſque mandaverint; omnem autem ejus orationem eam fuiſſe, qua aruſpicinæ diſciplina contineretur: eam poſtea creviſſe rebus novis cognoſcendis, hæc accepimus ab ipſis, hæc ſcripta conſervant, hunc fontem habent diſciplinæ. Num ergo ad hæc refellenda opus Carneade? num Epicuro? Eſtne quiſquam ita deſipiens, qui credat, Deum exaratum, an hominem? Si Deum; cur contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem aſpiceret? quid? idem non ne poterat Deus hominibus ſuperiore ex loco tradere? Si autem homo Tages ille fuit, quonam modo potuit terra oppreſſus vivere? Unde porro potuit illa, quæ docebat alios, ipſe didiciſſe? Sed ego inſipientior, quam illi ipſi, qui credunt iſta, qui quidem contra eos tamdiu diſputem. Vetus autem illud Catonis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe ajebat, quod non rideret aruſpex, aruſpicem cum vidiſſet.* Concors eſt Ammiani Marcellini locus e libro 21. Hiſtoriar. *Auguria, & auſpicia non volucrum arbitrio futura neſcientium colliguntur; neque enim hoc vel inſipiens diceret; ſed volatus avium dirigit Deus, ut roſtrum ſonans, aut prætervolans pinna, turbido meatu vel levi, futura præmonſtret; amat enim benignitas numinis, ſeu quod merentur homines, ſeu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere, quæ impendent. Extis quoque pecudum intenti fatidicis, in ſpecies converti ſueti innumeras, accidentia ſciunt, cujus diſciplinæ Tages quidam monſtrator, ut fabulantur, in Etruriæ partibus emerſiſſe ſubito viſus e terra.* Joan. Saresberienſis libr. 1. Policrat. cap. 12. *Aruſpicium quoque in extorum inſpectione viget, quam artem Tages quidam dicitur inveniſſe.* Arnob. libr. 2. Cont. Gent. *Muſica ceteræque artes omnes,*

qui-

quibus vita eſt extructa & expolita communis, cum hominibus natæ ſunt, & non potius nuper, quin imo paulo pæne ante agitari, intelligi, celebrarique cœperunt, antequam Tuſcus Tages oras contingeret luminis, quiſquam hominum ſciebat, aut eſſe noſcendum condiſcendumque curabat in fulminum caſibus, aut extorum quid ſignificaretur in venis? Martian. Capella libr. 2. de Nupt. Merc. & Philolog. *Tages ſulcis emicuit, & ritum ſtatim gentis ſypuumque monſtravit*. Et libr. 6. *Etruria Regio tam indigetis Æneæ fœdere, quam remediorum origine atque ipſius Tagetis exaratione celebrata*. Servius Maurus ad libr. 2. Æneid. ad finem pag. 259. *Tuſci autem a frequentia ſacrificii dicti ſunt, hoc eſt ἀπὸ τοῦ θύειν conſtat, namque illic a Tage aruſpicinam repertam*. Ita Poëtæ paſſim. M. Tull. in Urania, ut habetur libr. 1. de Divinat.

Nunc ea Torquato quæ quondam & conſule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis aruſpex.

M. Lucan. libr. 1. Pharſal. v. 635.

Sed venient majora metu, Dii viſa ſecundent,
Et fibris ſit nulla fides, ſed conditor artis
Finxerit iſta Tages.

P. Ovid. libr. 15. Metamorph. fab. 47.

Indigenæ dixere Tagem, qui primus Etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Papin. Stat. libr. 5. Sil. 2. in principio:

Rura meus Tyrrhena petit, ſaltuſque Tagetis
Criſpinus.

Hanc auguralem ſcientiam, aut verius vanitatem Romani uſque adeo excoluerunt, ut nullum majorem honorem aut geſſerint cupidius, aut majori dignitate exercuerint. Nam cum alii honores, annui plerumque eſſent, iſte cum vita tantum finiretur; quare *Q. Fabius Maximus ſexaginta tribus annis auguratum geſſit*. C. Plin. libr. 7. cap. 48. eo tamen diſcrimine, ut quidam *majores*, alii vero *minores*, hoc eſt *publici* ex patriciis, *privati* ex plebeiis deſignati. Vetus Inſcriptio. (1)

M. MAECIO. MEMMIO. FVRIO. BALBVRIO
CAECILIANO. PLACIDO. C. V.
PONTIFICI. MAIORI. AVGVRI. PV
BLICO. P. R. QVIRITIVM. QVINDECEM
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC
TORI. VENETIARVM. ET. HYSTRIAE
PRAEFECTO. ANNONAE. VRBIS
SACRAE. CVM. IVRE. GLADII. COMITI
ORDINIS. PRIMI. COMITI. ORIENTIS
AEGYPTI. ET. MESOPOTAMIAE. IVDI
CI. SACRARVM. COGNITIONVM

(1) Apud Grut. pag. 433. n. 4. Neapoli.

TERTIO. IVDICI. ITERVM. EX. DE
LEGATIONIBVS. SACRIS. PRAE
FECTO. PRAETORIO. IVDICI
TERTIO. CONSVLI. ORDINARIO
PATRONO. PRAESTANTISSIMO
REGIO. PALATINA
POSVIT.

Atque hi quidem appellabantur *publici augures populi Romani Quiritium*, ad diſtinctionem *privatorum*, *ſive Imperatoriorum*; nam Auguſti *domeſticos* habebant augures, qui pro ſua ſalute excubarent, & auſpicia captarent. Vetus altera Inſcriptio ſic confirmat. (1)

D. M.
CN. IVLI. CN. FIL
DONATI. PRISCI
EX. EQVO. PVBLIC
ADIVTORIS
HARVSPICVM
IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI.

Habuerunt porro aruſpices Romæ ſplendidum collegium, cujus apud hiſtoricos frequens mentio. Cicero Philipp. 2. *Quod enim ipſe me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompejus & Q. Hortenſius nominarunt; neque enim licebat a pluribus nominari*. Vetus item Inſcriptio. (2)

COLLEGIVM
AVGVRVM. AVCTORE
IMP. CAESARE. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOTE
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAX. TRIB
POT. V. COS. III. PROCOS
TERMINOS. POMERII
RESTITVENDOS. CVRAVIT.

Ad Tagem redeo, qui celebratur etiam a Cenſorino libr. de Natali Die cap. 4. in fine. *Nec non in agro Tarquinienſi puer dicitur divinitus exaratus, nomine Tages, qui diſciplinam cecinerit extiſpicii, quam Lucumo-*

(1) Apud Gruter. pag. 304. num. 5. (2) Gruterus pag. 198. n. 1. Romæ ante Domum Ceſiam in cippo.

rumones tum Etruriæ potentes excripſerunt. In hominem ex gleba mutatus fingitur. P. Ovidius loco proxime ſupra laudato: in qua fabula ita legitur:

Fatalem glebam motis aſpexit in arvis.

At in MSS. Codicibus paulo aliter:

. . . . . . *mediis aſpexit in arvis*.

Hujus Tagis præceptum unum erat, ut caput aſini præſepibus ruri affigeretur, quo amuleto putabant villæ incommoda, & maxime faſcinum, arceri. Joann. Britannic. ad Juvenalis Sat. 11. v. 96.

. . . . *parvis frons area lectis*
Vile coronati caput oſtendebat aſelli.

Jun. Moderat. Columella libr. 10. de Re Ruſt.

Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aſelli.
Tyrrhenus fixiſſe Tages in limite ruris.

Etruſci iſtam augurandi gloriam miris modis excoluerunt, ut omnes populos longe ea ſuperaſſe videantur. Dixi ad illud Claudiani de 4. Hon. Conſul.

Chaldæi ſtupuere Magi, te ſenſit Etruſcus
Augur.

Nec tantum præcepta hujus artis Tuſcis tradidit Tages, ſed & ſcriptis conſignavit. Furius Fulgentius libello de Vocibus antiquis ad Chalcidium, in voce *præſegmina*, citat *Tagetem in aruſpicinis*. Et peculiari nomine *Etruſca diſciplina*, ut infra expediam, divinandi peritia vocatur, quam complexus eſt Labeo quindecim voluminibus, eodem Fulgentio auctore, in voce *Labeo*. Inde & *libri Etruſci*, quibus tota ea ſcientia, & arcana auguriorum contenta. Cicero proxime ſupra laudatus. Et in Orat. de aruſpicum reſponſis: *Habent Etruſci libri certa nomina, quæ in id genus civium cadere poſſunt, deteriores, repulſos, quos jam audietis, hos appellant*. Ovid. libr. 2. Faſtor.

Augur erat nomen longis intercidit annis:
Nuper ab Etruſca venerat exul humo.

Sed & *Chartæ Etruſcæ* eadem illa monimenta audiunt. Cicero idem libr. 1. de Divinat.

Tum quis non artis ſcripta ac monimenta volutans
Voces triſtificas chartis promebat Etruſcis.

Iidem libri *Acherontici* dicti, ob terrorem, quem ex iis reſponſa deprompta incutiebant, ſive quia Deorum Inferorum ſacra continerent. Arnob. libr. 2. Cont. Gent. *Neque quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium ſanguine certis numinibus dato, divinas animas fieri, & a legibus mortalitatis educi*. Servius Maurus ad libr. 8. Æneid. pag. 511.

Nec pater omnipotens Trojam, nec fata vetabunt
Stare, decemque alios Priamum ſuperaſſe per annos.

Notandum, quod hic Jovem a fatis ſeparet, cum alibi jungat, ut, ſic fata

Deum Rex ſortitur, ſed hanc imminentium majorem dilationem, Etruſci libri primo loco a Jove dicunt poſſe impetrari, poſtea a fatis; unde & hic ſic ait: Nec pater omnipotens, nec fata vetabunt; *atqui ſupra ait, debita. Sed ſciendum ſecundum aruſpicinæ libros, & ſacra Acherontia, quæ Tages compoſuiſſe dicitur, fata decem annis, quadam ratione differri, quod nunc dicit Vulcanus potuiſſe fieri.* Libri iſti Acherontici non minori apud Etruſcos dignatione aſſervabantur, quam apud Romanos Sybillini, & rebus dubiis reſponſa petebantur.

Decretum Gratiani Cauſa 26. quæſt. 5. cap. 1. & cap. 5. Concil. Ancyran. cap. 24. Concil. Laodic. cap. 36. Concil. Toletan. 4. cap. 28. Burchard. libr. 10. cap. 19. Wimpina libr. de Divinat. cap. 4. Franc. Picus libr. 6. Prænot. cap. 4. vetitum illud genus ſortilegii oſtendunt. Halitgarius Epiſcopus Camerac. libr. 4. cap. 27. *Auguriis vel incantationibus ſervientem a conventu Eccleſiæ ſeparandum.*

Etruſcorum inventum Divinatio per aruſpicinam: Tagetis diſcipulus Bacchetis: peritiſſimi in Etruria aruſpices: in vicis etiam.

CAP. II.

EAdem illa Tagetis diſciplina auguria complectebatur, & *aruſpicinam*, hæc ex *avium motu, eſu, garritu, volatu*, ut notiſſimum eſt, hanc in *extorum* inſpectione poſitam. A Tagete vero *Bacchis* quidam totam hanc ſcientiam accepiſſe, & ſcriptis conſignaſſe ferebatur. Furius Fulgentius libello ad Chalcidium de Vocibus antiquis in ditione *Labeo*, Etruſcam ait diſciplinam libris quindecim complexum eſſe Labeonem, quæ *volumina Tagetis & Bacchetidis* appellaverit. Aruſpicinam autem deberi Tuſcis, auctores plerique ſuperiori proxime capite laudati, docent. Adde Sidonium Apollinarem Carm. 7. v. 54.

Quid rogo biſſeno mihi vulture Tuſcus aruſpex
Portendit? jaciens prima cur mœnia genti
Omnibus jam celsa fui, dum collis Etruſci
Fundamenta jugis aperis mihi, Romule pauper?

Iſidor. libr. 14. cap. 4. *In Tuſcia aruſpicinam dicunt eſſe repertam.* Paul. Merula in Fragm. Ennii pag. 71. Et Strabo Amaſian. libr. 5. Geogr. pag. 152. Eadem leges apud Cl. Claudianum libr. 1. in Eutrop.

Fulmineos ſolers Etruria conſulat ignes,
Immenſumque nefas fibris exploret aruſpex
Quæ nova portendunt ſuperi.

Hinc

Hinc aruſpices Tuſci in præcipuo ſemper honore habiti, ut libr. 4. infra hoc opere: ubi de *Fæſulis*. Vellejus Paterc. libr. 2. Hiſtor. Rom. *Juvenis ſpecie excellens, nec dum duodevigeſimum transgreſſus annum, immuniſque delictorum paternorum, Fulvii Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus miſerat, ab Opinio interemptus eſt, quem cum aruſpex Tuſcus amicus flentem in vincula duci vidiſſet: quin tu hoc potius, inquit, facis?* Suidas in voce Σύλλας, *Sylla*, hæc ſcribit; Ὅτι ἐπὶ τοῦ Σύλλα τοῦ ὑπάτου ὁ ἐμφύλιος Ῥωμαίων ἀνήφθη πόλεμος. ἐπισημῆναι δὲ τὴν τῶν μελλόντων κακῶν φορὰν Λίβιός φησι, καὶ Διόδωρος. ἐξ ἀνεφέλου τοῦ ἀέρος καὶ αἰθρίας πολλῆς ἦχον ἀκουσθῆναι σάλπιγγος, ὀξὺν ἀποτεινούσης καὶ θρηνώδη φθόγγον. καὶ τοὺς μὲν ἀκούσαντας ἅπαντας ἔκφρονας ὑπὸ δέους γενέσθαι. τοὺς δὲ Τυῤῥηνῶν μάντεις μεταβολὴν τοῦ γένους καὶ μετακόσμησιν ἀποφήνασθαι σημαίνειν τὸ τέρας. εἶναι μὲν γὰρ ἀνθρώπων ὀκτὼ γένη, διαφέροντα τοῖς βίοις καὶ τοῖς ἤθεσιν ἀλλήλων. ἑκάστῳ δὲ ἀφωρίσθαι χρόνον ὑπὸ τοῦ θεοῦ, συμπεραινόμενον ἐνιαυτοῦ μεγάλου περιόδῳ. τῆς γοῦν προτέρας περιόδου τελευτώσης καὶ ἑτέρας ἐνισταμένης κινεῖσθαι τι σημεῖον ἐκ γῆς ἢ οὐρανοῦ θαυμάσιον ὃ δῆλον εὐθὺς τοῖς τὰ τοιαῦτα σοφοῖς γίνεσθαι ὅτι καὶ τρόποις ἄλλοις καὶ βίοις ἄνθρωποι χρώμενοι γεγόνασι, καὶ θεοῖς ἧττον τῶν προτέρων μέλλοντες. *Sylla conſule bellum civile Romanorum exarſit, cujus calamitatem prodigiis eſſe denuntiatam Livius & Diodorus tradunt; ſudo enim & admodum ſereno cælo clangorem tubæ auditum eſſe acuto & lugubri ſono, quo omnes, qui audiviſſent, attoniti fuerint præ metu; Tyrrhenos autem aruſpices mutationem generis & Reipublicæ id portentum ſignificare pronuntiaſſe. Octo enim hominum genera eſſe, & vita & moribus inter ſe differentia, unicuique vero eſſe præfinitum tempus a Deo, quod magni anni circuitu abſolvatur; itaque priore circuitu deſinente, & altero inſtante, cieri portentum aliquod in cælo aut terra admirabile, quo hujuſmodi arcanorum periti ſtatim intelligant, homines & moribus aliis, & alia vitæ ratione præditos, quique Deo minus, quam ſuperioris curæ ſint, extitiſſe.* Hæc eſt illa vetus Etruſcorum Theologia: hæc artis præcepta, a Tage & Bacchetide percepta, quibus tanta veneratio etiam a Romanis habita, ut nihil publice privatimque molirentur, Tuſcis non conſultis aruſpicibus. A. Gell. libr. 4. Noct. Atticar. cap. 5. *Aruſpices ex Etruria acciti*. Tiberius Graccus apud Ciceronem libr. 2. de Natur. Deor. *Ita ne vero ego non juſtus, qui & conſul rogavi, & augur, & auſpicato, an vos Tuſci ac barbari auſpiciorum populi Romani jus tenetis, & interpretes eſſe comitiorum poteſtis?* Idem libr. 2. de Divinat. *Inſpiciamus, ſi placet, exta primum; perſuaderi igitur cuiquam poteſt, ea quæ ſignificari dicuntur extis, cognita eſſe ab aruſpicibus obſervatione diuturna? ecquam diuturna iſta fuit? aut quam longinquo tempore obſervari potuit? aut quomodo eſt collata inter ipſos, quæ pars inimici, quæ pars familiaris eſſet, quod fixum periculum, quod commodum aliquod oſtenderet? an hæc inter ſe aruſpices Etruſci, Elii, Ægyptii, Pœni contulerunt?* Et eodem libro aliquot paginis interjectis, originem a Tagete commemorat: quæ verba, quia mirifice huc conducunt, adſcri-

ſcribam: *Quæ eſt igitur natura, quæ volucres, huc & illuc paſſim vagantes, efficiat, ut ſignificent aliquid, & tum vetent agere, tum jubeant, aut cantu, aut volatu? cur autem aliis a dextra, aliis a læva, datum eſt avibus, ut ratum auſpicium facere poſſint? quomodo autem hæc, aut quando, aut a quibus inventa dicemus? Etruſci tamen habent exaratum puerum auctorem diſciplinæ ſuæ; nos quem? Attiumne Navium?* &c. Initio ſane, non niſi Reges & Principes aruſpicinam hanc tractabant; nam & Senatorum filii quotannis in Etruriam decem mittebantur, ad rantæ ſcientiæ arcana perdiſcenda; ſed nec plebeii ea poterant imbui diſciplina, aut inaugurari, ut libr. 1. ſupra hoc opere cap. 9. dictum: Eaque non Romani modo excellebant, ſed & Lycii, & ex his præcipue illi, qui Teloneſſum oppidum incolebant; ut narrat diligens hiſtoricus Arrianus Nicomedienſis libr. 2. de geſtis Alexandri, & Cicero libr. 1. de Divinat. Poſtea tamen & in pagis & vicis omnibus aruſpices quæſtuoſam ſordide artem exercebant, dictique ob id *Vicani*, notat Adrianus Turnebus libr. 5. Adverſarior. cap. 23. Q. Ennius ad finem libr. 1. de Divinat. & ego in Liciratione profeſſorum:

Non vicanos aruſpices, non de circo Aſtrologos,
Non Iſiacos conjectores, non interpretes ſomniûm;
Non enim ſunt ii aut ſcientia aut arte divini,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab his ipſi drachmam petunt:
De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddunt cetera.

Etruſcorum inventum obſervatio fulminum, & expiatio: Bigois Nymphæ libri, & ſcripta de ea re: Cæli in partes ſedecim diviſio: Jupiter fulgurator: alii Dii fulminum præſides: bidental locus conditi fulminis.

CAP. III.

IN diſciplina Tagetis & Bacchetidis *fulmina* pertractabantur, eorumque natura, & religio expiandi accurate explicabatur. *Bigois* cujuſdam *Nymphæ* libri recenſentur a Servio ad 6. Æneid. pag. 402. *Qui libri in templo Apollinis ſervabantur: nec ipſi tantum, ſed & Martiorum, & Bygois Nymphæ, quæ artem ſcripſerat fulguritarum apud Tuſcos.* Quæ hæc ſit Dea, aut Nympha, alii inquirant: ego

ego non legi, quod ſciam. Claudian. proxime ſuperiori capite laudatus. M. Cicero libr. 1. de Divinat. *Etruria de cælo tacta ſcientiſſime animadvertit, eademque interpretatur, quid quibuſque oſtendatur monſtris atque portentis*. Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 261.

Sidera Chaldæus, novit ſi gramina Colchus,
Fulgura ſi Tuſcus.

Et Carm. 9. v. 189.

Nec quæ fulmine Tuſcus expiato
Septum numina quærit ad bidental.

Ex hac Tuſcorum ſcientia divinatrice, *Cælum in ſedecim partes* dividebant, paulo ſecus, quam Romani, qui artem ab illis petierant, ut diſquirit L. Seneca multis libr. 2. Natur. Quæſtion. cap. 32. cap. 41. cap. 45. cap. 50. quæ non excribo hic: tu vide, & plene totam hanc differentiam percipies. C. Plin. libr. 2. Hiſtor. Natural. cap. 53. *Extat Annalium memoria, ſacris quibusdam & precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari. Vetus fama Etruriæ eſt impetratum, Volſinios urbem agris depopulatis, ſubeunte monſtro, quod vocavere Voltam. Evocatum & a Porſena ſuo Rege*. M. Cicero libr. 2. de Divinat. *Atque hac extiſpicum divinatione ſublata, omnis aruſpicina ſublata eſt; oſtenta enim ſequuntur & fulgura, valet autem in fulguribus obſervatio diuturna, in oſtenſis ratio, plerumque conjectura adhibetur. Quid eſt igitur, quod obſervatum eſt in fulgure? Cælum in ſedecim partes diviſerunt Etruſci: facile id quidem fuit, quatuor, quas nos habemus duplicare: poſt idem iterum facere, ut ex eo dicerent, fulmen ex qua parte veniſset. Primum id quid intereſt? deinde quid ſignificat? Non ne perſpicuum eſt ex prima admiratione hominum, quod tonitrua jactuſque fulminum extimuiſſent, credidiſſe, ea efficere rerum omnium præpotentem Jovem? itaque in noſtris Commentariis ſcriptum habemus, Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere, nefas*. Sed qua id ratione Etruſcorum Acheronticis libris id ſit expreſſum: & quomodo a Jove, aut ab aliis Diis fulmina dicantur emitti, docet multis L. Seneca locis jam citatis, uti & de fulminum multiplici differentia: & ex eo tranſcripſit Simon Majolus, pius & erudiſſimus vir, & obiter C. Plin. libr. 2. cap. 52. *Tuſcorum literæ novem Deos emittere fulmina exiſtimant, eaque eſſe undecim generum; Jovem enim trina jaculari. Romani duo tantum ex iis ſervare, diurna attribuentes Jovi, nocturna Summano*. Fuit autem Summanus Pluto, ſeu Manium Deus. D. Auguſtin. libr. 4 Civit. Dei cap. 23. quaſi *ſummus Manium*. Martian. Capella libr. 2. *Jactus fulminum* vocabant Etruſci *manubias, quas ita vaniſſime diſtribuebant, venire eos dicentes a ſuperioribus ſideribus Saturno, Jove, Marte, ſed præcipue Jove, qui colluctantes inter ſe, nimium Saturni humorem, & immodicum ardorem Martis, medius ipſe prorumpere cogit: Jovis fulmina mitiora eſſe tradunt, Saturni læva & execrabilia, Martis cremantia. Itaque Jovis fulmen afflare tantum, levique injuria lædere, Saturni punire ac perimere, Martis accendere;*

dere; unde triſulca quoque fulmina appellata nonnulli cenſent. Alexand. ab Alexan. Neapolitanus libr. 5. Genial. Dier. cap. 13. Abſtruſius & illud, quod fulguralibus Etruſcorum libris continebatur, ut docet Hadrianus Junius libr. 5. Animadverſor. cap. 16. *Ex undecim manubiis novem Diis traditis Jovis eſſe tres.* Vide reliqua: padet nihil profuturas nugas tandiu retractare, & anilibus fabellis immorari.

Jovem hunc Etruſcum deſcripſi ſupra hoc opere libr. 1. cap. 17. eum *Elicium*, quod ab fulguratoribus eliceretur, Latini appellarunt: Græcis eſt Καταιβάτης. Jul. Pollux libr. 9. Onomaſt. cap. 5. Τὰ μέντοι ἐνηλύσια ὄντως ὠνομάζετο ὡς ἃ κατασκήψαι βέλος ἐξ οὐρανοῦ, καὶ τὸν Δία, τὸν ἐπ' αὐτῷ καταιβάτην ἔλεγον, περιερχθέντα δὲ τὰ ἐνηλύσια ἄβατα ἂν εἴποις. Ita legit hunc locum Paulus Leopardus libr. 7. Emendation. cap. 11. ut notat Wolfgang. Seberus. *Et in ingreſſu quidem ſic vocaverunt, in qua cœlitus demittitur fulmen, quod & incutere, & ferire, & immittere dixerunt, & Jovem in eo exiſtentem, deſcenſorem, ambitum autem ingreßus, intactum nominabis.* Ubi male Rudolphus Gualterus *Jovem* interpretatur *Deſcenſorem*, quem *Elicium* debuiſſet tranſtuliſſe, ex Arnobio libr. 5. in principio, Plutarcho in Numa, Livio 1. Decad. libr. 1. in Tullo Hoſtilio, & P. Ovidio libr. 3. Faſtor.

Eliciunt Cœlo te, Juppiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Elicium hunc Jovem Etruſci fulmen manu dextra tenenrem effingebant. Homer. libr. 11. Iliad. v. 182. alluſiſſe videtur; ſiniſtra vero ſceptrum, atque illud quidem e cupreſſu. Jamblichus libr. de vita Pythagoræ cap. 28. Κυπαρίσσινον γεγονέναι τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον, ἢ δ' ἄλλον τινὰ μυστικὸν λόγον. *Jovis ſceptrum e cupreßu extitiße, vel aliquam aliam myſticam rationem.* Apponam Commodiani MS. e libro 1. Cont. Ethnicos verſus, quorum hæc Epigraphe.

DE FULMINE IPSIUS JOVIS AUDITE.

Dicitis, o ſtulti, Jovis tonat: fulminat ipſe,
Et ſi parvulitas ſic ſenſit, cur annis ducentis
Fuiſtis infantes; numquid & ſemper eritis?
Verſa in maturum infantia non capit ævum
Luſus: puerilis ætas ceſſit, ſic & corda recedant.
Moribus virilibus conſilia veſtra debentur.
Inſipiens ergo Jovem tonitruare tu credis:
Natus hic in terris, lacte caprino nutritur;
Ergo ſi illum devoraßet Saturnus
In iſtis temporibus, quis pluebat illo defuncto?
Præſertim ſi mortali patre deus naſci credatur,
Saturnus in terris ſenuit, & defecit in ipſis.
Illum non aliquis prophetavit ante prænaſci:

Vel

Vel ſi tonat ipſe, lex ab illo lata fuiſſet.
Seducunt hiſtoriæ per vates confictæ.
Ille autem in Creta regnavit, & ibi defecit.
Omnipotens vobis factus Alcmenes amator:
Vivos ipſe modo ſimiliter amaret, ſi viveret ille:
Impuros oratis, & dicitis eſſe cœleſtes.
Semine mortali natos de gigantibus illis;
Auditis, & legitis natum in terra fuiſſe;
Unde bene meruit corruptor aſcendere cælum?
Dicitur & fulmen Cyclopas illi feciſſe;
Immortalis enim habuit a mortalibus arma:
Tot reum criminibus, parricidam quoque ſuorum
Ex auctoritate veſtra contuliſtis in altum.

Unde vocatur *tonans*, *fulminator*, *fulgurator*, *fulgerator*. Scriptores utriuſque linguæ omitto, Inſcriptionibus vetuſtis contentus. Janus Gruterus pag. 21. n. 5. & ſequentibus.

IOVI. FVLGVRATO
EI. ARA.

Marmor oblongum in Colle Quirinali.

ARAM. IOVIS. FVLGE
RATORIS. EX. PRECEP
TO. DEORVM. MON
TENSIVM. VAL. CRES
CENTIO. PATER. DEORV
OMNIVM. ET. AVR. EXV
PERANTIVS. SACERDOS
SILVANI. CONFRATRIBVS
ET. SORORIBV. DEDICA
VERVNT.

Aliud etiam marmor Romæ ad D. Petri Baſilicam.

DEO. FVLGVRATORI
ARAM
ET. LOCVM. HVNC
RELIG
EX. HARVSPIC. SENT
Q. PVBLICIVS. FRONT
POS. ET
D. D.

Interamnæ eſt & Inſcriptio huc referenda;

IOVI
FVLMIN. FVLG. TONANTI
RVSTIVS. L. F. AEPIO. PONT
EX. S. C. DEDICAVIT.

Ultima Inſcriptio videtur veniſſe in mentem Luciano Samoſatenſi in Timone ſtatim in principio: quem locum, quia mihi non ad manum, conſule. Ita Poëtæ. Auctor incertus Priapejorum:

Fulmina ſub Jove ſunt.

Nonnus Panopolitanus libr. 2. Dionyſiacōn v. 385. Cl. Claudian. libr. 2. de Laud. Stilicon.

Ætherei patris exemplo, qui cuncta ſonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum fulmina differt
In ſcopulos & monſtra maris.

Ex hac Etruſca diſciplina reliquiæ fulminis, ſi reperiri potuiſſent, terræ mandabantur. Vetus Scholiaſt. Juvenalis ad Sat. 6. v. 585.

Atque aliquis ſenior, qui publica fulgura condit.

Aruns ille ſacerdos, ſeu aruſpex Etruſcus apud M. Lucanum libr. 1. Pharſal. v. 604.

Dumque illi effuſam longis anfractibus urbem
Circumeunt, Aruns diſperſos fulminis ignes
Colligit, ac terræ tacito cum murmure condit,
Datque locis nomen.

Nomen hoc *bidental*, a bidente ſcilicet hoſtia ibidem cæſa, antequam locus ſcpiretur; nefas enim erat illum pedibus calcari. Cornelius Fronto Vetus Grammaticus: *Bidental locus fulmine tactus, & expiatus ove; bidentes enim oves appellamur.* Recte ſane, ſed cum adjectione, quæ duos annos non ſuperaverint. Pſeudocornutus ad A. Perſii Sat. 2. *Loca de cælo tacta, funeſta & violata putabantur.* Aliter paulo Paulus Diaconus in gloſſis MS. *Bidental, locus de cælo bis tactus.* Feſt. Pomp. libr. 6. in voce *fulguritum*, & libr. 13. in voce *obſtitum* ex Cloacio & Ælio Stilone: & libr. 14. in voce *pura veſtimenta*. Artemidor. Daldian. libr. 2. Oneirocrit. cap. 8. A. Perſius loco laudato;

An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente
Triſte jaces lucis, evitandumque bidental.

Q. Horat. in Arte Poëtica:

. . . . an triſte bidental
Moverit inceſtus.

Et ex eadem ſcientia fulgurali Etruſca putabantur loca fulmine tacta, non impura modo, ſed & parum caſta, ſive impudica: notat Hadrianus Turnebus libr. 25. Adverſarior. cap. 14. Idem Horatius libr. 1. Od. 12.

Tu parum caſtis inimica mittes
Fulmina lucis.

Et cum ſemper irati Dii fulminare crederentur, nunquam carere piaculo cenſebant, ædes ſacras, templa, loca publica, ſtatuas, bene merentibus poſitas, a fulminis jactu lædi, violari, aut afflari; ideo quamprimum peritos adhibebant ſacerdotes, qui loco tacto expiato, iram quoque Deorum lenirent: ut eleganti libello Julius Obſequens de Prodigiis non obſcure denuntiat. Et plerumque ab Etruria acciti periti fulminum. Unico exemplo ero contentus ex A. Gellio libr. 4. Noct. Atticar. cap. 5. *Statua Romæ in Comitio poſita Horatii Coclitis, fortiſſimi viri, de cælo tacta eſt; ob id fulgur piaculis luendum haruſpices ex Etruria acciti, inimico atque hoſtili in populum Romanum animo, inſtituerant eam rem contrariis religionibus procurare: atque illam ſtatuam ſuaſerunt in inferiorem locum perperam tranſponi, quem ſol oppoſitu circum undique aliarum ædium nunquam illuſtraret. Quod cum ita fieri perſuaſiſſent, delati ad populum, proditique ſunt: & cum de perfidia confeſſi eſſent, necati ſunt: conſtituque eam ſtatuam (perinde ut veræ rationes poſt compertæ monebant) in locum editum ſubducendam.* Quem locum lubens adſcripſi, quod rem clariſſimam, & huc conducentem contineat. (1)

(1) Conducit ad Etruſcam fulminum obſervationem hæc Inſcriptio, quæ Piſauri eſtat, eamque refert Fabrettus cap. 10. pag. 696. Inſcript. Domeſt. Hic tamen Etruſcæ dantur accuratius delineatæ ex ipſo autographo.

T. ATIVS. L. F. STE. HARVSPE....
FVLGVRIATOR



Etruſcorum Inventum, oſtentorum obſervatio, & procuratio: monſtra, aut comburi, aut in altum mare deportari, demergique ſolita, ex Etruſca diſciplina.

CAP. IV.

Ejusdem Etruſcæ artis peritia, & oſtenta, ſive prodigia expiare inſtitutum; ut ſi quid Dii monſtris portendiſſent infauſti, id religioſis ritibus expiari poſſet & averti. Quare in Pontificalibus libris hæc legum veluti Etruſcarum capita recenſet Petrus Crinitus libr. 10. de Honeſta Diſciplina cap. 7.

Diſcunto ignari a publicis ſacerdotibus:
Etruriæ principes diſciplinam docento:
Quibus divis creaverint procuranto:
Iidem fulgura & obſtita pianto.

Male ille Ciceronem tranſcripſerat, dum legit:

Idem fulgura & obſita pianto.

Plutarchus in Sylla pag. 456. Πῦρ μὲν γὰρ αὐτόματον ἐκ τῶν τὰ σημεῖα δοράτων ὑποφερόντων ἀνέλαμψε καὶ κατεσβέσθη μόλις. κόρακες δὲ τρεῖς τοὺς νεοττοὺς προσαγαγόντες κατέφαγον, τὰ δὲ λείψανα πάλιν εἰς τὴν νεοττιὰν ἀνήνεγκαν. μυῶν δ' ἐν ἱερῷ χρυσὸν ἀνακείμενον διαφαγόντων μίαν οἱ ζάκοροι πάγῃ θήλειαν λαμβάνουσιν. ἡ δὲ, ἐν αὐτῇ τῇ πάγῃ τεκοῦσα πέντε, κατέφαγε τὰ τρία. Τὸ δὲ πάντων μέγιστον, ἐξ ἀνεφέλου καὶ διαίθρου τοῦ περιέχοντος ἤχησε φωνὴ σάλπιγγος, ὀξὺν ἀποτείνουσα καὶ θρηνώδη φθόγγον, ὥστε πάντας ἔκφρονας γενέσθαι, καὶ καταπτῆξαι τὸ μέγεθος. Τυῤῥηνῶν δὲ οἱ λόγιοι μεταβολὴν ἑτέρου γένους ἀπεφαίνοντο, καὶ μετακόσμησιν ἀποσημαίνειν τὸ τέρας. Cujus verba Latine ſic ſonant: *Flamma ſponte eluxit ex ſignorum haſtis, quæ ægre reſtincta eſt: corvi tres pullos in conſpectum hominum apportatos devoraverunt, & reliquias retulerunt in nidum: mures aurum in templo ſacratum arroſerunt: feminam unam ex his cæperunt ædituí muſcipula: ea in ipſa muſcipula quinque editis tres devoravit: &, quod omnium fuit maximum, ex claro & ſereno cælo vox increpuit tubæ acuta & lugubris, ut obſtupeſcerent & cohorreſcerent ejus magnitudine omnes. Etruſci vates mundi converſionem prædicaverunt portendi hoc oſtento, & mutationem in aliam ætatem.* Reliqua, quæ de octo hominum ætatibus ex eadem Tuſcorum ſcientia proponit, ſunt tranſcripta a Suida in Σύλλας. Val. Maxim. libr. 1. cap. 1. tit. 1. *Majores noſtri ſtatas ſolemneſque cærimonias, Pontificum ſcientia: bene gerendarum rerum auctoritates, augurum obſervatione: Apollinis prædictiones, vatum libris, portentorum depulſa, Etruſca diſciplina explicari voluerunt.* Et cum incidiſſet aliquod hujusmodi prodigium

gium, accerſebantur ex Etruria vates, qui expiationem publicam peragerent. M. Lucan. libr. 1. Pharſal. v. 584.

Hæc propter placuit Tuſcos de more vetuſto
Acciri vates, quorum, qui maximus ævo
Aruns, incoluit deſertæ mœnia Lunæ,
Fulminis edoctus motus, venaſque calentes
Fibrarum, & motus errantis in aëre pennæ.

D. Juvenal. Sat. 13. v. 64.

Prodigioſa fides, & Tuſcis digna libellis,
Quæque coronata luſtrari debeat agna.

Valerius Maximus, proxime ſupra laudatus, excripſit M. Tullii locum ex Oratione de Haruſpicum Reſponſis: *Ego vero habeo primum auctores ac magiſtras Religionum colendarum majores noſtros, quorum mihi fuiſſe tanta ſapientia videtur, ut ſatis ſuperque prudentes ſint, qui illorum prudentiam, non dicam aſſequi, ſed quanta fuerit perſpicere poſſunt: qui ſtatas ſolemneſque cærimonias, pontificatu, rerum bene gerendarum auctoritates, augurio, fatorum veteres prædictionis Apollinis, Vatum libris, portentorum explanationes, Etruſca diſciplina contineri putaverunt: quæ quidem tanta eſt, ut noſtra memoria primum Italici belli funeſta illa principia, poſt Syllani Cinnanique temporis extremum pæne diſcrimen, tum hanc recentem urbis inflammandæ, delendique imperii conjurationem, non obſcure nobis paulo ante prædixerunt.* Servius Maurus ad libr. 8. Æneid. pag. 508. *Quidam dicunt, cum Capitolii, ubi nunc eſt, fundamenta jacerentur, caput humanum, quod Olli diceretur, inventum, quo omnes ſollicitatos conditores miſiſſe in Tuſciam ad haruſpicem illius temporis nominatum.* Hoc ipſum omnibus pæne paginis apud T. Livium reperies 1. Decad. libr. 1. *Accepiſſe id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, ut vulgo Etruſci, cæleſtium prodigiorum mulier.* Ex eodem libro inferius: *Caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur appariuſſe: quæ viſa ſpecies haud per ambages, arcem imperii eam, caputque rerum fore portendebat: idque ita cecinere Vates, quique in urbe erant, quoſque ad eam rem conſultandam ex Etruria acciverant.* Et eodem iterum libro, pauculis interjectis, ſequitur: *Hæc agenti portentum terribile viſum; anguis ex columna lignea elapſus, cum terrorem fugamque in Regiam feciſſet, ipſius regis non tam ſubito pavore perculit pectus, quam anxiis implevit curis. Itaque cum ad publica prodigia Etruſci tantum Vates adhiberentur, hoc velut domeſtico exterritus viſu, Delphos, ad inclytum maxime in terris Oraculum, mittere ſtatuit.* Ejuſdem Decadis libr. 5. *Prodigia interim multa nuntiari: quorum pleraque, & quia ſinguli auctores erant, parum credita ſpretaque: & quia hoſtibus Etruſcis, per quos ea procurarent, haruſpices non erant, in unum omnium curæ verſæ ſunt.* Locus eximius, unde conſtat, nulla Romæ potuiſſe portenta piari, niſi per Etruſcos: quod uſque adeo invaluit, ut vel ſenis cujuſdam Vejentis cavillationi, tanquam peritiſſimi auguris

haruſpi-

haruſpicíſve conſilio Romani crediderint; ut ibidem loci de lacus Albani emiſſione docet Livius.

Quo ritu ex Etruſca diſciplina monſtra hæc conſueverunt haruſpices expiare, non eſt difficile invenire apud probatos auctores: in quo hæc tria, ut plerumque, obſervata: ut majoribus & lactentibus hoſtiis ſacrificia fierent Diis, quos iratos putarent: ut indiceretur ſupplicatio ad Deorum læſorum pulvinaria. T. Livius 3. Decad. libr. 2. ſtatim in principio. Q. Symmachus libr. 1. Epiſt. 43. *Impendio angor animi, quod ſacrificiis multiplicibus, & per ſingulas poteſtates ſæpe repetitis, nec dum publico nomine; Spoletinum piatur oſtentum; nam & Jovem vix propitiavit octava mactatio, & Fortunæ publicæ multijugis hoſtiis nequicquam undecimus honor factus eſt. Quo loci ſimus, intelligis: nunc ſententia eſt, in cœtum vocare collegas: curabo, ut ſcias, ſi quid remedia divina promoverint.* Tertium genus credebatur expiationis, monſtrum ipſum (hoc eſt τὸ ἔχον ἀνθρώπου καὶ ἑτέρου ζώου μορφὴν, ut ait gloſſographus Philoxenus, *quippiam hominis habens, & alterius animalis formam*) comburere, mactare, in altum mare deportare, ut ex libello Julii Obſequentis, quem cultiſſimum de Prodigiis ſcripſit, non uno loco obſervari poteſt. Cl. Claudian. libr. 1. in Eutrop. in principio.

An morbi ventura lues? an nulla colono
Reſponſura ſeges? quæ tantas expiet iras
Victima? quo diras jugulo placabimus aras?
Conſule luſtrandi faſces, ipſoque litandum
Prodigio: quæcumque parant hoc omine fata,
Entropius cervice luat.

Itaque Etruſci haruſpices Pontificibus expiationem imperabant, quibus & illi morem gerebant. Lucan. libr. 1. v. 588. ubi Aruns Tuſcus:

Monſtra jubet primum, quæ nullo ſemine diſcors
Protulerat Natura, rapi, ſterilique nefandos
Ex utero fœtus infauſtis urere flammis.
Mox jubet, & totam pavidis a civibus urbem
Ambiri, & feſto purgantes mœnia luſtro.
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices.

Quid diſcriminis vero ſit inter *monſtrum, portentum, prodigium, oſtentum*, Grammatici conſulendi ſunt, Nonius Marcellus, Feſtus Pompejus, Iſidorus Hiſpalenſis, Donatus in Terentii Eunuchum Act. 4. Sc. 3. quos non exſcribo hoc loco. Id modo ſatis eſt huic inſtituto admonuiſſe, nullam videri differentiam inter ea; cum omnia ad Etruſcam diſciplinam, (1) ut expiarentur, ſpectabant.

Etru-

(1) Hanc Etruſcorum circa monſtra diſciplinam innuere fortaſſe videtur antiqua hæc Urnula Etruſca, cujus imaginem hic cernis.



Perusiæ In Marmore Apud Nobiles De Constanzis V.F.Sculp

Digitized by Google

Etruſcorum Inventum Cærimoniæ, illæque dictæ Etruſca diſciplina, Etruſca ars, maximeque circa prodigia procuranda occupata.

CAP. V.

Ritus ſolemnes ab haruſpicibus auguribuſque ſervatus, & Pontificibus præſcriptus Romanis, *Cærimoniæ* dicebantur, *a Cærete* Etruriæ oppido. Feſt. Pomp. libr. 3. *Cærimoniarum cauſam, alii ab oppido Cære dictam exiſtimant, alii a caritate dictam judicant.* Dionyſius Gotthofredus J.C. acutiſſimus, & variæ lectionis, a priſca dictione *Cere*, quod *ſanctum* ſignificat, derivari nomen in ſuis ad Feſtum notis docet: paulo aliter, quam quiſquam doctorum, qui *Cære* quaſi Καῖρε, *ſalve*, appellatum contendunt: de qua re alibi libr. 4. infra hoc opere diſſeretur. Aliam rationem refert Maſſurius Sabinus apud A. Gellium libr. 4. cap. 9. *Maßurius autem Sabinus in Commentariis, quos de Indigenis compoſuit: Religioſum, inquit, eſt quod propter ſanctitatem aliquam remotum ac ſepoſitum a nobis eſt: verbum a relinquendo dictum, tanquam cæremoniæ carendo.* Locus eſt corruptus; quis enim ille de Indigenis liber? Corrige igitur manifeſto ſenſu: *in Commentariis, quos de Indigetamentis compoſuit;* ſunt enim *indigetamenta* veluti Catalogus rerum ad ſacra aptarum: quo nomine L. Flacci liber laudatur a Cenſorino libr. de Die Natali cap. 2. Sicque Maſſurii Sabini liber fuerit procul dubio de vocabulis ad ſacra & Religionem. Sed redeo ad ſermonem de procuratione fulminum, & prodigiorum intermiſſum, & pergo porro.

Ex præcepto haruſpicum Tuſcorum prodigia Romæ expiata, ut dixi. Dio Coccejan. libr. 37. Τά τε ἄλλα ἐξεδύοντο τοῖς μάντεσι πειθόμενοι. *Reliqua prodigia ſecundum præcepta haruſpicum procurata.* Et mirum ſane, cum idem ſcriptor luculentus variis in locis prodigia commemoret, nullibi, niſi hic, eorum procurationem retuliſſe: puto, quia haruſpicum auctoritas ævo illo abolita, quæ olim ſummo in pretio. Diodor. Sicul. libr. 5. Bibliothec. pag. 316. Γράμματά τε καὶ φυσιολογίαν ἐξεπόνησαν ἐπὶ πλεῖστον καὶ τὰ περὶ τὴν κεραυνοσκοπίαν μάλιστα πάντων ἀνθρώπων ἐξειργάσαντο: διὸ καὶ μέχρι τῶν νῦν χρόνων οἱ τῆς οἰκουμένης σχεδὸν ὅλης ἡγούμενοι θαυμάζουσί τε τοὺς ἄνδρας, καὶ κατὰ τὰς ἐν τοῖς κεραυνοῖς διοσημείας τούτοις ἐξηγηταῖς χρῶνται. *Literis vero, & imprimis Naturæ perſcrutationi plurimum ſtudii impenderunt, fulminum conſiderationi præ cunctis mortalibus intenti ſummopere; quapropter hac etiamnum ætate totius prope orbis moderatores hos viros admirantur, & prodigiorum per fulmina & oſten-*

torum

torum interpretibus utuntur Tyrrheni ſive Etruſci. Aureum teſtimonium de excellentia Tuſcorum, quæ etiam Diodori ævo, hoc eſt ad Auguſti imperium invaluit.

Cærimoniæ iſta *ars Etruſca* vocatur, & *diſciplina Etruſca*. M. Cicero libr. 6. Familiar. Epiſt. 6. Ammian. Marcellin. libr. 23. fuſiſſime: cujus locum, quia non eſt mihi ad manum, tu conſule. Feſtus Pompejus libr. 18. *Tages nomine, Genii filius, Jovis nepos, puer dicitur diſciplinam haruſpicii dediſſe duodecim populis Etruriæ*. Atque, ut ſemel dicam, quicquid ad Religionem, aut res ſacras pertinebat, id omne *Etruſcam diſciplinam* appellabant Romani; quia jam tum ante Romam conditam non minus cultu Deorum, quam bellica virtute inſignes habebantur Tuſci; eaque de cauſa Numa Rex nullum Deum tanti, ac Janum fecit; quia ille primus Italos docuiſſet, & bene de Diis ſentire, & eosdem reverenter colere. Plutarch. in Problemat. Roman.

Etruſcorum inventis accenſendus mos orandi manibus ſupinis, & ſtando.

CAP. VI.

MOdus orandi Deos a ritualibus Etruſcorum libris etiam petendus eſt; nam ex ea diſciplina precaturi ante omnia in ipſo templi ingreſſu vertebant ſe ſe: poſtea facie in orientalem mundi plagam obverſa, recti in pedes, aut verius pedum primores digitos erecti, ſupinas manus ad cœlum tollebant: quæ ſingula ſunt probanda. Ac primum, quod ſe verterent C. Sueton. in Vitellio cap. 2. *Idem miri in adulando ingenii, primus C. Caſarem adorari ut Deum inſtituit, cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, convertenſque ſe, deinde procumbens*. Adulatorios hos in Vitellio Cæſare geſtus carpit C. Tacitus libr. 6. Annal. Dio Coccejan. libr. 58. L. Seneca libr. 4. Natural. Quæſtion. cap. 1. *Adulandi Plancus artifex ante Villium maximus:* locum corruptum ita reſtitue, & lege: *ante Vitellium maximus*. Sed ad rem noſtram idem Suetonius in Veſpaſ. cap. 7. *Hic cum de firmitate imperii capturus auſpicium, ædem Serapidis, ſummotis omnibus, ſolus intraſſet, ac propitiato multum Deo, tandem ſe convertiſſet, verbenas, coronaſque, ac panificia, ut illic aſſolet, Baſilides libertus obtuliſſet*. C. Plin. libr. 28. cap. 2. *In adorando totum corpus circumagimus*. Poſidonius de *moribus Celtarum* apud Athenæum libr. 4. conſulatur. Notat Obertus Giſanius & Petrus Pithæus libr. 1. Adverſarior. cap. 7. Ratio autem, cur

ſe

ſe converterent, totúmque corpus circumagerent, hæc putabatur: vel ut cœleſtes motus, cœlorum mundique vertigines exprimerent: vel ut nihil in orbe hoc inferiori ſtabile ac firmum, ſed omnia veluti rota verſatili in gyrum agi, vertique ſignificarent. Cœl. Rhodigin. libr. 12. Variar. Lection. cap. 2. Pythagoras in ſymbolis, obſervante Jacobo Dalechampio, Medico & Critico doctiſſimo. Ita Poëtæ. T. Lucret. libr. 5. Rer. Natur.

Nec pietas ulla eſt, velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Ante Deum delubra.

P. Ovid. libr. 3. Faſtor.

Atque aliquis modo trux, viſa jam vertitur ara,
Vinaque dat tepidis farraque ſalsa focis.

Et libr. 5. Faſtor. idem:

Cuinque manus pure fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.

Sext. Propert. libr. 2. Eleg. 16.

Ante tuos quoties verti me perfida poſtes,
Debitaque occultis vota tuli manibus?

Idem libr. 3. Eleg. 6. corrupte legitur hoc pacto:

Quæ mulier gravida jactat convitia lingua,
Et Veneris magnæ volvitur ante pedes.

Joann. Paſſeratius, Doctor Regius, quem ego Pariſiis, res Antiquarias eruditiſſime profitentem, audivi, ex MS. corrigit, & legit:

Et Veneris magnæ vertitur ante pedes.

Verſio hæc ad imaginem cœli fiebat ἐπὶ δεξιὰ, *ad dextram*. M. Plaut. Curcul.

. . . . *quo me vertam neſcio.*

Non eo ſenſu deinde, ſed per jocum reſpondetur:

Si Deos adoras, dextroverſum cenſeo.

Valer. Flacc. libr. 8. Argonautic.

Inde, ubi ſacrificas, cum conjuge venit ad aras
Æſonides, unaque adeunt, unaque precari
Incipiunt, ignem Pollux, undamque jugalem
Prætulit, & dextrum pariter referuntur in orbem.

Huc trahunt illud Virgilii libr. 4. Æneid.

Aut ante ora Deum pingues ſpatiatur ad aras

2. *Ad orientem* ſe convertebant, ut Andreas Tiraquellus, & Barnabas Briſſonius multis obſervarunt, quæ non exſcribo hoc loco. Virgil. libr. 8. Æneid.

Surgit, & ætherei ſpectant orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Suſtulit, & tales effundit ad æthera voces.

3. *Toto* deinde *corpore erecti ſtabant*, quo geſtu Deorum magnitudinem, ſuamque in precando alacritatem ac ſedulitatem exhibebant. Martial. libr. 12. Epigr. 77.

Multis dum precibus Jovem ſalutat
Stans ſummos reſupinus uſque in ungues
Æthon in Capitolio.

4. *Manus* denique *ſupinas tollebant*. Servius ad libr. 4. Æneid. pag. 326. MANIBVS SVPINIS, *juxta rationem; nam Inferos demiſſis ad terram manibus invocamus, ut Homerus inducit Altæam matrem Meleagri, manibus in longum porrectis, ut alibi ipſe*: paſſis de litore palmis: *Cæleſtes leva ad cælum, ut modo, & alibi:* Duplices tendens ad ſidera palmas. Corrige aperto & neceſſario ſenſu: *Cæleſtes levatis ad cælum*. Ipſe Poëta ibidem loci:

Dicitur ante aras, media inter numina divum
Multa Jovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.

Pierius Valerianus libr. 35. Hieroglyphic. pag. 365. *In Etruſcis quoque inſtitutis hoc geſtu manuum ad preces utebantur, neque non in devovendis civitatibus, evocandiſque diis, cumque Jovem dicebant, manus ad cælum ſuſtollebant*. In nummo Gordiani palmæ expanſæ cujusdam parvæ icunculæ cum Inſcriptione PIETAS AVGVST. Helen. Acron, & Porphyrio grammatici ad Q. Horatii libr. 3. od. 23. *Supinas manus, ſupplices* interpretantur. Ipſe Lyricus:

Cælo ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente luna, ruſtica Phidile.

C. Petron. in Fragm. Satyrici in bello civili:

Heſperiæ campos late proſpexit, & ambas
Intendens cum voce manus ad ſidera, dixit.

Virgil. libr. 3. Æneid.

Corripio e ſtratis corpus, tendoque ſupinas
Ad cælum cum voce manus.

Hic habitus eſt orantis Deos ſuperos: in ſacris vero, aut votis Deorum inferorum *terram manibus pulsabant*, ut jam ex Servio didicimus. Scholiaſtes Eſchyli, & Scholiaſtes Sophoclis, Euſtathius ad libr. 9. Iliad. v. 564.

Πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία
Κικλήσκουσ' Ἀΐδην, καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν,
Πρόχνυ καθεζομένη.

Multum & terram multa nutrientem manibus pulsabat,
Invocans Plutonem, & gravem Proſerpinam,
In genua conſidens.

Papin. Stat. libr. 1. Thebaid. v. 54.

. . . . *crudum ac miſerabile vitæ*
Supplicium oſtentat cælo, manibuſque cruentis

Pulsas

Pulſat inane ſolum, ſævaque ita voce precatur:
Dii ſontes animas, anguſtaque Tartara pœnis
Qui regitis. &c.

Parentalia Tanitii Etruſci, cauſa hereditatis nata: exequiæ anniverſariæ: cenotaphium: Romuli nutrix.

CAP. VII.

TUſci cujusdam nomine *Tanitii* hereditas in cauſa fuit, ut a Romulo parentalia ſtatuerentur, ut C. Licinius Macer libr. 1. Hiſtoriar. Romanar. prodidit, referente Aurelio Macrobio libr. 1. Saturnal. cap. 10. *Fauſtuli conjugem Accam Larentiam, Romuli & Remi nutricem eſſe confirmat. Hanc regnante Romulo, Tanitio cuidam Tuſco diviti denuptam, auctamque hereditate viri, quam poſt Romulo, quem educaſſet, reliquit: & ab eo parentalia, diemque feſtum, pietatis cauſa, ſtatutum.* In aliis editionibus, non *Tanitius*, ſed *Carutius* appellatur. Parentalia autem, ut a Tanitii hereditate excogitata primum, ita a Numa mirum in modum aucta. Plutarch. in vita ejus. Ovid. libr. 2. Faſtor. pleniſſime. Anniverſaria hæc celebritas ad tumulos vacuos fieri ſolita; quare κενοτάφιον, *cenotaphium* vulgo audit. Andreas Alciatus, & alii plerique critici, ſed maxime eruditiſſimus Barnabas Briſſonius. Æl. Lampridius in Alexandr. *Cenotaphium in Gallia, Romæ ſepulchrum ampliſſimum meruit*. C. Suetonius Claudio cap. 1. *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit. Tumulus honorarius* nihil aliud eſt, quam Cenotaphium, ſcilicet *ſepulchrum corpore vacuum*. C. Julius Hyginus in Fabulis: *Fecit in Ilio Priamus cenotaphium Paridi*. Dio Coccejan. libr. 55. de obitu Druſi, privigni Auguſti, κενοτάφιον. diſerte vocat: & Pauſanias in Meſſeniacis de Ariſtomene κενὸν μνῆμα, *vacuum monimentum*. Flavius Vopiſcus in Floriano: *Horum ſtatuæ fuerunt Interamnæ duæ, pedum tricenum ex marmore, quod illic eorum cenotaphia conſtituta ſunt*. Palæmon in Gloſſis: *Funus imaginarium*, fuiſſe exponit *tumulum ſine corpore*. Suidas in voce Κενοτάφια. Sopater in Commentar. Hermagoræ. C. Tacit. libr. 1. Annal. & doctor meus Juſtus Lipſius, doctrinæ immenſæ, judicii ſummi. Servius Maurus ad illud Virgilii libr. 3. Æneid.

Solemnes tum forte dapes, & triſtia dona
Ante urbem in luco, falſi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat

 Hecto-

3. *Toto* deinde *corpore erecti ſtabant*, quo geſtu Deorum magnitudinem, ſuamque in precando alacritatem ac ſedulitatem exhibebant. Martial. libr. 12. Epigr. 77.

Multis dum precibus Jovem ſalutat
Stans ſummos reſupinus uſque in ungues
Æthon in Capitolio.

4. *Manus* denique *ſupinas tollebant*. Servius ad libr. 4. Æneid. pag. 326. MANIBVS SVPINIS, *juxta rationem; nam Inferos demiſſis ad terram manibus invocamus, ut Homerus inducit Altaam matrem Meleagri, manibus in longum porrectis, ut alibi ipſe*: paſſis de litore palmis: *Cæleſtes leva ad cælum, ut modo, & alibi:* Duplices tendens ad ſidera palmas. Corrige aperto & neceſſario ſenſu: *Cæleſtes levatis ad cælum*. Ipſe Poëta ibidem loci:

Dicitur ante aras, media inter numina divum
Multa Jovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.

Pierius Valerianus libr. 35. Hieroglyphic. pag. 365. *In Etruſcis quoque inſtitutis hoc geſtu manuum ad preces utebantur, neque non in devovendis civitatibus, evocandiſque diis, cumque Jovem dicebant, manus ad cælum ſuſtollebant*. In nummo Gordiani palmæ expanſæ cujuſdam parvæ icunculæ cum Inſcriptione PIETAS AVGVST. Helen. Acron, & Porphyrio grammatici ad Q. Horatii libr. 3. od. 23. *Supinas manus, ſupplices* interpretantur. Ipſe Lyricus:

Cælo ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente luna, ruſtica Phidile.

C. Petron. in Fragm. Satyrici in bello civili:

Heſperiæ campos late proſpexit, & ambas
Intendens cum voce manus ad ſidera, dixit.

Virgil. libr. 3. Æneid.

Corripio e ſtratis corpus, tendoque ſupinas
Ad cælum cum voce manus.

Hic habitus eſt orantis Deos ſuperos: in ſacris vero, aut votis Deorum inferorum *terram manibus pulsabant*, ut jam ex Servio didicimus. Scholiaſtes Eſchyli, & Scholiaſtes Sophoclis, Euſtathius ad libr. 9. Iliad. v. 564.

Πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία
Κικλήσκουσ' Α'ΐδην, καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν,
Πρόχνυ καθεζομένη.

Multum & terram multa nutrientem manibus pulsabat,
Invocans Plutonem, & gravem Proſerpinam,
In genua conſidens.

Papin. Stat. libr. 1. Thebaid. v. 54.

. . . . . crudum ac miſerabile vitæ
Supplicium oſtentat cælo, manibuſque cruentis

Pulsat

Pulſat inane ſolum, ſævaque ita voce precatur:
Dii ſomes animas, anguſtaque Tartara pœnis
Qui regitis. &c.

Parentalia Tanitii Etruſci, cauſa hereditatis nata: exequiæ anniverſariæ: cenotaphium: Romuli nutrix.

CAP. VII.

TUſci cujusdam nomine *Tanitii* hereditas in cauſa fuit, ut a Romulo parentalia ſtatuerentur, ut C. Licinius Macer libr. 1. Hiſtoriar. Romanar. prodidit, referente Aurelio Macrobio libr. 1. Saturnal. cap. 10. *Fauſtuli conjugem Accam Larentiam, Romuli & Remi nutricem eſſe confirmat. Hanc regnante Romulo, Tanitio cuidam Tuſco diviti denuptam, auctamque hereditate viri, quam poſt Romulo, quem educaſſet, reliquit: & ab eo parentalia, diemque feſtum, pietatis cauſa, ſtatutum.* In aliis editionibus, non *Tanitius*, ſed *Carutius* appellatur. Parentalia autem, ut a Tanitii hereditate excogitata primum, ita a Numa mirum in modum aucta. Plutarch. in vita ejus. Ovid. libr. 2. Faſtor. pleniſſime. Anniverſaria hæc celebritas ad tumulos vacuos fieri ſolita; quare κενοτάφιον, *cenotaphium* vulgo andit. Andreas Alciatus, & alii plerique critici, ſed maxime eruditiſſimus Barnabas Briſſonius. Æl. Lampridius in Alexandr. *Cenotaphium in Gallia, Romæ ſepulchrum ampliſſimum meruit.* C. Suetonius Claudio cap. 1. *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit. Tumulus honorarius* nihil aliud eſt, quam Cenotaphium, ſcilicet *ſepulchrum corpore vacuum.* C. Julius Hyginus in Fabulis: *Fecit in Jlio Priamus cenotaphium Paridi.* Dio Coccejan. libr. 55. de obitu Druſi, privigni Auguſti, κενοτάφιον. diſerte vocat: & Pauſanias in Meſſeniacis de Ariſtomene κενὸν μνῆμα, *vacuum monimentum.* Flavius Vopiſcus in Floriano: *Horum ſtatuæ fuerunt Interamnæ duæ, pedum tricenum ex marmore, quod illic eorum cenotaphia conſtituta ſunt.* Palæmon in Gloſſis: *Funus imaginarium,* fuiſſe exponit *tumulum ſine corpore.* Suidas in voce Κενοτάφια. Sopater in Commentar. Hermagoræ. C. Tacit. libr. 1. Annal. & doctor meus Juſtus Lipſius, doctrinæ immenſæ, judicii ſummi. Servius Maurus ad illud Virgilii libr. 3. Æneid.

Solemnes tum forte dapes, & triſtia dona
Ante urbem in luco, falſi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat

Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſam lacrimis, ſacraverat aras.

Meminere & J. C. Ulpian. l. 6. §. ult. ff. de Relig. & ſumptib. funer. *Si cenotaphium ſit, poſſe hoc venire dicendum eſt.* Florentinus J. C. libr. 7. Inſtitutionum, κενοτάφιον reddit *inane ſepulchrum*. l. 42. ff. eod. tit. Marcianus J. C. libr. 3. Inſtitutionum: *Cenotaphium quoque magis placet eſſe locum religioſum, ſicut teſtis eſt ea in re Virgilius*, ut habetur l. 6. §. ult. ff. diviſ. rer. & qualit.

Nutrix hæc Romuli Acca Larentia, nomen dedit Larentalibus feriis, quæ menſe Decembri celebrari notius eſt, quam ut dici debeat. Ceterum hæc, quia parum pudicæ vitæ, ideo a lupa Romulum nutritum fama erat, quod ſic proſtitutas vocarent. Hiſtoricos omitto. Iſidor. libr. 10. Etymologiar. Lactant. Firmian. libr. 1. cap. 20. Poëtæ paſſim. D. Auſonius Epigr. 25.

Credo, quod illi nec pater certus fuit,
Et mater eſt vere lupa.

Martial. libr. 1. Epigr. 35.

Abſcondunt ſpurcas hæc monimenta lupas.

Eam ob cauſam poſtribula impudicarum *lupanaria* audiebant, quæ non tantum in litoribus, verum etiam in fornicibus ſepulchrorum, in itineribus publicis; quare *devium ſcortum* dictum eleganter ab Horatio libr. 2. od. 11. Eruditus Savaro ad Sidonium Apollinarem libr. 9. Epiſt. 6. Q. Catull. Epigr. 35.

Omnes puſilli, & ſemitaria mœchæ,

Martial. libr. 3. Epigr. 91.

Admittat inter buſtuarias mœchas.

Non deſunt tamen gravi nomine ſcriptores, qui veram belluam fuiſſe Romuli nutricem velint. C. Plin. libr. 8. cap. 17. Joann. Saresberienſis libr. 1. Policratici cap. 13. Jul. Hygin. Auguſti libertus in Fabulis cap. 252. Junianus Juſtinus corruptus libr. 38. *Ipſi ferunt conditores ſuos lupæ vulneribus alitos.* Ita Gryphiana editio, & Pariſienſis; ſed corrige: *Lupæ uberibus alitos*. Poëtæ. M. Tull. libr. 1. Divinat.

Hic ſilveſtris erat Romani nominis altrix
Bellua.

Aur. Prudent. in Romani Martyris agone:

Antiquitatem Romuli, & Mavortiam
Lupam renarrat.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 119.

Præbuit intrepido mammas lupa fœta Quirino.

Et Carm. 5. in principio:

. . . . . . videas hic fuſa metallis
Antra Rheæ, fœtamque lupam.

Sext. Propert. libr. 2. Eleg. 6.

Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.

Et

Et libr. 3. Eleg. 8. Idem:

Eductoſque pares ſilveſtri ex ubere Reges.

Et libr. 4. Eleg. 1.

Optima nutricum noſtris lupa Martia rebus
Qualia creverunt mœnia lacte tuo?

Ejusdem libri Eleg. 4.

. . . . . *quem non ſine matris honore*
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Martial. libr. 2. Epigr. 75.

A noſtra pueris parcere diſce lupa.

Ovid. libr. 2. Faſtor.

Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino?

Claudian. libr. de Bello Getico:

Nutricemque lupam Romæ.

Et Paneg. de Conſul. Olyb. & Prob.

Hinc patrius Mavortis amor, partuſque notantur
Romulei, poſt amnis ineſt, & bellua nutrix.

Atque adeo ſtatuam ei belluina ſpecie erigebant Romæ, & in omnibus Italiæ municipiis. Feſt. libr. 18. in voce *Ruminalis*. Et C. Plin. libr. 15. cap. 18. Geſtus autem lupæ erat, ut pendentibus ab uberibus ſuis puerilis reclinata cervice adblandiretur. Servius Honoratus Maurus ad libr. 8. Æneid. verſ. 632. Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad v. 104. Sat. 11.

Romuleæ ſimulacbra feræ manſueſcere juſſa.

Sidon. Apollinar. Carm. 5. in clypeo Romæ ipſius:

. . . . . *fatamque lupam, quam fauce retecta*
Blandiri quoque terror erat, quamquam illa vorare
Martigenas & picta timet.

Ex Virgilio indubie mutuatus libr. 8. Æneid.

. . . . . *illam tereti cervice reflexa*
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Plura de Parentalibus, veriſque ſepeliendi ritibus vide libr. 5. Antiquitat. Roman. cap. ult.

Etru-

Digitized by Google

Etruſcorum inventum Salii ſacerdotes: Samothracum ſacra: ii poſtea ad Martem & Herculem a Romanis traducti: Præſul: amptruare, redamptruare: cœnæ Saliares ex decimis: pollu̇ctus: ſcyphus Herculaneus ad ſacra: axamenta: chori Saliorum duo.

CAP. VIII.

Quemadmodum cæremonias colendi Deos Etruſci primi Italos docuerunt, ita & ſacerdotes primi iidem Diis inſtituerunt. Servius Maur. ad libr. 8. Æneid. pag. 503. *Salii ſunt, qui tripudiantes aras circumibant: ſaltabant autem ritu veteri armati, poſt victoriam Tiburtinorum de Volſcis. Sunt autem Salii Martis & Herculis, quoniam Chaldæi ſtellam Martis Herculem dicunt, quos Varro ſequitur: & Tiburtes Salios etiam dicaverant. Quidam hos a ſaltu appellatos tradunt, quos alii a Numa inſtitutos, ut arma ancilia portantes ſaltarent, ergo bene a ſaltu appellati. Horum numerum Hoſtilius addidit; nam duo ſunt genera Saliorum, ſicut Saliaribus carminibus invenitur: Collini & Quirinales a Numa inſtituti: ab Hoſtilio vero Panorii & Pallorii inſtituti. Habuerunt ſane & Tuſculani Salios ante Romanos. Alii dicunt Salium quendam Arcadem fuiſſe, qui Trojanis junctus, hunc ludum in ſacris inſtituerit. Nonnulli tamen, hos a Dardano inſtitutos volunt, qui Samothracibus Diis ſacra perſolverent. Quidam etiam dicunt, Salios a Morro Rege Vejentorum inſtitutos, ut Aleſus Neptuni filius eorum carmine laudaretur, qui ejusdem Regis familiæ auctor ultimus fuit* (1). Ex hiſce diſſentientibus ſententiis duæ ortum Saliorum Etruſcis tribuunt: prima *Vejentum* principi: altera *Dardano*, qui & ipſe Regis Etruriæ filius erat, quique cæremonias Deorum Samothraciorum inſtituit, quibus nihil in veteri de Diis diſciplina illuſtrius continetur, ut ſequenti capite dicetur. Salios hoſce Numa, *ad cuſtodiam Anciliorum* excubare voluit. Plutarch. in Numa. Quod feſtum erat V. Nonas Martii. Vetus Calendarium Romanum. Aldus Manutius libr. 2. Quæſit. per Epiſtol. Polemon & Critolaus, vetuſtiſſimi auctores, in varia ſententia videantur apud Feſtum Pompejum libr. 17. in voce *Salios*. Ovid. Faſt.

.... *qua-*

(1) Hoc magis elucet ex antiqua ſculptura in achate in Muſæo Magni Ducis Etruriæ apud Maffeum ad gemmas Leonardi Auguſtini par. 3. tabul. 80. ubi cernere licet duos Salios ancilia ferentes, additis nonnullis Etruſcis literis.

. . . . quare cœleſtia Martis
Arma ferant Salii, Mamuriumque vocent.

Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 2. Antiquitat. pag. 130. Καὶ ἔισιν ἔτι τῆς πομπῆς ἡγεμόνες καλούμενοι πρὸς αὐτῶν ἐπὶ τῆς παιδιᾶς τῆς ὑπὸ Λυδῶν ἐξευρῆσθαι δοκούσης Λυδίωνες. *Suntque hi pompæ ductores, & ex ludicro, a Lydis, ut videtur, invento, Ludiones appellantur.* Sic ille concludit totum de Saliorum inſtitutione ſermonem. Unde appareat a Lydis, hoc eſt Etruſcis, originem ſuam eos traxiſſe. D. Juvenal. Sat. 2. v. 124.

Arcano qui ſacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis Ancilibus.

Antiquiſſimo ergo ritu *Aleſi ſacerdotes* erant Salii, ut ex Servio proxime ſupra didicimus: tum Martis ex inſtitutione Pompilii Regis. T. Livius 1. Decad. libr. 1. in Numa, & in Tullo Hoſtilio. Tum demum ad Herculem traducti a Virgilio libr. laudato:

Tum Salii ad cantus incenſa altaria circum
Populeis adſunt evincti tempora ramis.

Quod Evangelus Virgilio vitio vertit, ſed Prætextatus eum tuetur ex auctoritate M. Terentii Varronis Rer. humanar. libr. 11. Chaldæorum diſciplinæ, Octavii Herſenii, Antonii Eniphonis, & Ennii, ut recitat Macrobius libr. 3. Saturnal. cap. 12. Chori duo ſaltantes carmina illa ſolemnia proferebant: unus erat *juvenum*, ut fuſiſſime Halicarnaſſ. loco proxime ſupra laudato: Virgil. loco etiam citato, alium chorum *ſenum* facit:

Hic juvenum chorus, ille ſenum.

Carmina hæc laudes Deorum continebant, quæ *axamenta* veteri vocabulo dicebantur. Feſt. Pomp. libr. 1. Fueruntque hæc *carmina Romanæ poëticæ initium*, in quæ condidit *interpretationem Ælius, homo in Latinis literis exercitatiſſimus*. Varro libr. 4. de Ling. Lat. Quod inventum & ſcriptum putatur a Numa Pompilio Rege, ideo obſcuriſſimum genus loquendi habebatur. Horat. libr. 2. Epiſt. 1.

Jam Saliare Numæ carmen canit.

Verſus iſti a Diis nomina ſumebant, in quorum honorem ſcripti, ut *Jovialis*, quod Jovis facta, *Junonii*, quod Junonis, *Minervii*; quod Minervæ, *Apollinii*, quod Apollinis laudes continebant; ut notavit Hadrianus Turnebus libr. 22. Adverſ. cap. 25. Gloſſæ veteres Philoxeni tamen generaliter omnes eos verſus ad Herculem trahunt: *Axamenta*, is inquit, ςίχοι ἐπὶ θυσιῶν Ἡρακλέως, *verſus in ſacrificiis Herculis*. Ad horum ſacrificiorum pertinet ſolemnitatem locus M. Ciceronis libr. 5. Epiſtolar. ad Atticum, Epiſt. 12. ubi *ſtrues Satinarum* legitur, pro quo *ſtrues Saliorum* legendum; nam extruebantur ingentes ignes ad ſacrificium Herculis peragendum. Qui Saliis hiſce præerat, *Magiſter*, *Præfectus*, & *Præſul* interdum nominabatur, qui chorum incipiebat, & modum ſaltandi ceteris præſcribebat, quod & illi obſoleto vocabulo exprimebant, ut alia omnia; dicitur enim Præſul *amptruare*:

cho-

chorus deinde, ſive qui ſequebantur undecim, motu ei reſpondebat idonco, quod voce ſacra eſt *redamptruare*. Lucilius:

Præſul ut amptruat, inde & volgu' redamptruat olli.

Denique Romano ritu hi omnes duodecim patricii erant, & lautiſſimis epulis accumbebant, ut *Saliares cœnæ* pro opiparis in proverbium ceſſerint. Flor. Tertullian. Apolog. cap. 39. *Saliis cœnaturis creditor erit neceſſarius, Herculanarum decimarum, & pollučtorum ſumptus tabellarii ſupputabunt*. Franc. Zephyrus Florentinus Paraphraſtes: *Quid Saliis? nonne ſuas cœnas tanto inſtruunt ſumptu, ut principibus publicanorum decumanis, Herculis decimas locare cogantur? Unde & opipare lautioreſque epulæ Saliares vulgo vocantur*. Quem Tertulliani locum putarunt aliter legendum, & pro *pollučtorum*, ſubſtituendum *pollinčtorum*; ſed male, nam *pollučtus* libamentum ex decimis aræ Herculis impoſitum. Varro libr. 4. Ling. Lat. Plautus in Rudente:

Ut decumam partem ex voto Herculi polluceam.

Convivio iſti ſeu cœnæ capaciſſima pocula adhibebantur, quæ *Herculanei ſcyphi* dicti, cujus meminere Macrobius libr. 5. Saturnal. cap. 21, Plutarchus in vita Alexandri ad finem. Q. Curtius libr. 10. Athenæus libr. 11. & libr. 12. Dipnoſophiſt. abundantiſſime. L. Seneca Epiſt. 83. Cicero Actione 6. in C. Verrem. Nicetas Choniates hiſtoricus inſignis, ubi de Camatero Logotheta: quorum omnium verba poſita vid. libr. 5. Antiquitat. Romanar. cap. 30. Virgilius libr. 8. Æneid. & ad eum locum Servius Honoratus:

Et ſacer implevit dextram ſcyphus.

Etruſcorum inventum Samothracia Deorum ſacra, & quæ illa: Dii magni, boni, potentes.

CAP. IX.

SAcra etiam Samothracia ab Etruſcis originem ducunt, ut ſuperiori capite oſtendi, inſtituta ſcilicet *a Dardano Corithi Regis Etruriæ filio*, ut libr. 2. dictum cap. 10. Q. Flor. Tertullian. Apolog. cap. 7. *Cum vel ex forma omnibus myſteriis ſilentii fides debeatur, Samothracia & Eleuſinia reticentur*. Idem libr. de Spectacul. cap 8. *Columnas ſeſſias a ſementationibus, meſſias a meſſibus, tutelinas a tutelis fructum ſuſtinent: ante has tres aræ, trivis Diis parent, magnis, potentibus, valentibus, eoſdem Samothracas exiſtimant*. Feſt. Pomp. libr. 17. in voce *Salios*. M. Varro libr. 4 Ling. Lat. *Terra enim & cælum, ut Samothracum initia docent, ſunt Dii magni, & hi, quos dixi multis nominibus; nam neque quas Ambraſia ante portas ſtatuit, duas*

viri-

viriles ſpecies ahænias, Dei magni, neque, ut vulgus putat, hi Samothraces Dii, Caſtor & Pollux; ſed his mas & femina, & hi quos augurum libri ſcriptos habent ſic, Divipotes: & ſunt pro illis, qui in Samothrace θεοὶ δυνατοὶ, *hæc duo, cœlum & terra, quod anima & corpus.* In quibusdam editionibus hæc verba: *quas Ambraſia ante portas ſtatuit:* aliter paulo, *quas Imbraſia;* ſed corrige, *quas Samothracia*; de illius enim gentis ſacris & initiis ſermo hoc loco. Nigidius Figulus, diligens Antiquitatis illuſtrator, libr. 19. de Diis, Cornelius Labeo libr. de Diis: Penatibus, *ad Apollinem & Neptunum* traducunt. Sed M. Varro Rer. Humanar. libr. 2. ad Dardanum Etruſcum initiorum horum & Sacrorum inventionem refert, quibus Demarathus Corinthius, & filius ejus Tarquinius, gente Tuſcus, initiati fuerint. Caſſius Hemina *eosdem Samothracas Deos & Penates* apud Romanos eſſe cenſet, ſcilicet θεὺς μεγάλυς, θεὺς χρηςὺς, θεὺς δυνατὺς, *Deos magnos, Deos bonos, Deos potentes;* quæ omnia tria volunt Virgilium expreſſiſſe variis in locis. libr. 5. Æneid.

Cum ſociis natoque Penatibus & magnis Diis

Hic *Magnos Deos* libr. 1. *Bonos Deos* expreſſit:

Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.

Denique *potentes*, ſive, ut Tertullianus ait, valentes Deos deſcribit. libr. 8. Æneid.

. . . . *dominamque potentem*
Supplicibus ſupera votis.

Eoſque omnes intelligi putant ab eodem libr. 2. Æneid.

Sacra ſuoſque tibi commendat Troja Penates.

Nam eos Dardanus in Aſiam ex Samothracia, Æneas vero ex Aſia in Italiam tranſtuliſſe cenſetur. Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 4. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 2. Antiquitat. Romanar. pag. 127. Idemque curioſa indagine inveſtigat, qui nam illi ſint ex Calliſtrato hiſtorico, & ex antiquarum fabularum collectore Satyro, & Arctino, omnium poëtarum antiquiſſimo, quorum placita conſule apud eundem libr. 1. pag. 55. Servius Honoratus ad libr. 3. Æneid. in principio pag. 262. *Alii Deos magnos Cœlum ac Terram putant, ac per hoc Jovem & Junonem, Dii Penates a Samothracia ſublati, ab Ænea in Italiam advecti ſunt, unde Samothraces cognati Romanorum eſſe dicuntur: quos inter cetera ideo Magnos appellant, quod de Lavinio translati Romam, bis in locum ſuum redierint; quod Imperatores in provincias ituri, primum apud eos immolabant, quod eorum nomina nemo ſciat, quod præſentes . . . . . ſentiantur.* Vide quæ ſequuntur. Nemo tam docte, nec tam accurate de iſtis diſſeruit: & hoc ſane præclarum, Romanos Imperatores iis ſacra inſtituere ſolitos, priuſquam in provincias proficiſcerentur. Quin & præcipua illi dignatione Romæ, adeo ut jusjurandum nullum efficacius haberetur, quam quod per illos concipiebatur. Juvenal. Sat. 3. v. 144.

. . . . *jures licet & Samothracum*

Et noſtrorum aras.

Imagunculæ horum, dum primum transferrentur, *ligneæ*, poſtea *ſtatuæ ferreæ*, ut Halicarnaſſeus libr. 1. loco laudato, quo illud plerique doctorum trahunt T. Lucretii libr. 6.

Exultare etiam Samothracia ferrea vidi.

Templorum apud Etruſcos uſus antiquiſſimus. Templi variæ ſignificationes, quæ plerique populi aſpernati: jure belli non ſunt ſacra, ſed pro libidine victorum polluebantur.

CAP. X.

TEmpla quoque Diis iidem Etruſci antiquitus erexerunt (1). Pollio Vitruvius libr. 4. Architect. cap. 7. *De Tuſcanis rationibus ædium ſacrarum* epigraphe eſt; deinde ordine ſuo fabricam exequitur: tanta autem Tuſcorum in templis condendis ſolertia & dignitas erat, ut Romani eos advocarent ædes ſacras ſtructuri, quorum opera uti poſſent. Tit. Livius 1. Decad. libr. 1. ad finem. *Intentus* Tarquinius *perficiendo Templo* Capitolino, *fabris undique ex Etruria accitis, non pecunia ſolum ad id publica uſus eſt, ſed operis etiam ex plebe*. Erat autem templorum Tuſcorum *forma rotunda*, qualem deſcribit Halicarnaſſeus libr. 4. pag. 259. Ἐποιήθη δ' ἐπὶ κρηπῖδος ὑψηλῆς βεβηκὼς ὀκτάπλεθρος τὴν περίοδον, διακοσίων ποδῶν ἔγγιστα τὴν πλευρὰν ἔχων ἑκάστην. ὀλίγον δ' ἔστι τὸ διαλλάττον εὕροι τις ἂν τῆς ὑπεροχῆς τοῦ μήκους παρὰ τὸ πλάτος, οὐδ' ὅλων πεντεκαίδεκα ποδῶν. *Fundatum eſt in alta crepidine, octo jugerum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera ſingula, exigua longitudinis, & latitudinis differentia; latitudinem enim a longitudine non totis quindecim pedibus ſuperari comperies*. Xenon hiſtoricus vetus libr. 1. Rerum Italicarum refert apud Macrob. libr. 1. cap. 9. Saturn. *Janum in Italia primum Diis Templa feciſſe, & ritus inſtituiſſe ſacrorum*.

Sed variæ ſunt ſignificationes. 1. *Templum* eſt *cœli regio*. Jacobus a Cruce Bononienſis Annotation. in Ovidium. Septimius poëta in hymno Jani, ut ſcripſit Victorinus Rhetor:

Cui reſerata mugiunt aurea ſe cœli Templa.

Licet Terentianus Maurus libr. de metris non *templa* legat, ſed *clauſtra*. Multus eſt in hac ſignificatione T. Lucretius Carus libr. 1.

. . . . . . *nec cœli lucida templa.*

Et

(1) Etruſcos templa erexiſſe oſtendunt etiam picturæ ex vaſibus deſumptæ, & hic appoſitæ.


Tab. XXVI
Tom. I. pag.
Vas Fictile Altum Ped. II Un. VI
C. M. sculp.
Romæ Apud Emi. Card. Gualterio





Digitized by Google

Tab XXVII Tom. I. pag. 26



Vas Fictile Alt. Ped. III. In Musaeo Medicæo



Pars Postica

V. Franceſchini ſcul.

Digitized by Google




Figuræ depictæ in antica uaſis antecedentis not. lit A


A. Equus et capiſtrum coloris albi

B. Partes nudæ huius figuræ sicuti earum, quæ sunt in Tab. XXXII. coloris carnei Chlamys rubei coloris, galea flaua, eius pars anterior, buccula et criſta, et haſta et corona in dextra, albæ; globus in uertice haſtæ rubeus. Parmula et gladius suſpensi albis uittis, flaui coloris, sed gladius magis saturi. Huius uaſis et alterius Tab. XXXII. figuræ eleganter delineatæ sunt in fundo nigro: ædiculæ uero et ornamenta per totum uas, nigro, flauo alboque coloribus uarie diſpoſitis depictæ, et figurarum et ornamentorum partes liueis nigris uel ſuburſis diſtinguntur et in umbris colores magis saturi adhibiti sunt.



Tab.XXIX. *Tom.I.pag.266*





Figuræ Superioris Vasis Notati Litera A Hinc Inde Depictæ

V.Franceschini sculp.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. XXX. Tom. I. pag. 266



Vas Fictile Alt. Ped. IV In Museo Mediceo

Pars Antica

Vin. Franceschini sculp.





Idem Vas B Ex Parte Postica

Vin Franceſchini sc.

Digitized by Google



Figuræ in parte antica eiuſdem Vaſis. B

Figuræ A. Chlamys ſpadicei, pileus, capilli, barba et bacillus albi; gladius flaui coloris.

Figuræ B. pallium flaui coloris, capilli et barba albi ſuburſi coloris: uittæ ad brachium et ad ſummum pectus et haſta rubræ. ſella et ſubſellium col; flaui. Puluillus et regula in fronte ſubſelly rubri coloris.

Figuræ C. Chlamys âlbâ bullâ adstricta, rubri coloriſ, capilli flaui, corona alba; haſta alba, in aſpide et in una parte flaua; petaſus post humerum albus. Pendent abepiſtylio clypeus et galea ad formam pilei, clypeus coloris albi, gladius flaui cum uittis albis quo ad cætera uid. deſcript. Tab. XXIIX.



Tab. XXXIII. Tom. I. pag. 266.





Picturæ In Latere Sinistro Eiusdem Vasis B

Vin. Franceſchini ſcul.

Digitized by Google




Tab. XXXIV Tom. I. pag. 266.





Picturæ In Latere Dextero Eiusdem Vasis B



Tab. XXXV.

Figuræ In Operculo E

Digitized by Google



Tom. I. pag. 266.



eodem Vase B

Vin. Franceschini scul.

Digitized by Google

Et libr. 2. Idem:

Id rurſum cæli relatum Templa receptant.

Et rurſus libr. 5.

Per cæli volvunt paſſim ſe immania Templa.

Feſt. Pomp. libr. 11. in voce *Minora templa*. Q. Ennius in Annalibus:

Quamquam multa manus ad cæli cærula Templa
Tendebam lacrimans.

2. *Templum* eſt quilibet *locus clauſus*, etiam profanus, nec augurio conſecratus. Janus Parraſius in quæſitis Epiſt. 57. Feſt. Pomp. libr. 3. in voce *contemplari*. M. Varro libr. 6. Ling. Lat. *Curia Hoſtilia Templum eſt, & tamen ſanctum non eſt.* Hoc eſt, *quidquid palis, baſtis, aut aliqua re ſimili claudi poteſt*, Templi nomen meretur. Servius Maurus ad libr. 4. Æneid. v. 199.

Templa Jovi centum latis immania regnis,
Centum aras poſuit.

3. Nomine templi ſignificare ſolent *ſepulchrum;* nata inde veteribus ſuperſtitio, ut cippi ſeu tumuli amicorum morte obitorum pro templis religioſe colerentur, ut oſtendit Clemens Alexandrinus in Protreptico, Lilius Gyraldus Ferrarienſis Syntagmate de Diis gentilibus 17. Non. Marcell. cap. 6. num. 92. intelligenduſque Virgilius eo ſenſu libr. 4. Æneid. v. 457.

Præterea fuit antiquo de marmore Templum . . .
Conjugis antiquæ.

4. Denique *Templum* eſt *Deo conſecratum ædificium* (de quo Rudolphi Hoſpiniani Tubingenſis ingens eſt volumen) hinc ſcite *Penates hominum ſunt, Deorum Templa*. Luctatius Placidius ad v. 643. libr. 1. Thebaidos Statianæ. Artemidor. Daldian. libr. 3. Onerocritic. cap. 63. & libr. 4. cap. 39. & libr. 5. cap. 1. Jul. Pollux libr. 1. Onomaſt. cap. 1. num. 22. Et de cauſis orandi in templis Deos Flavius Blondus varie diſcutit libr. 1. de Roma Triumphante. Corrigendi quidam Scriptores. D. Agobardus Lugdunenſium Archiepiſcopus, coætaneus Carolo Magno, in obitu Caroli & Ledradi Epiſcopi.

Hic dum baſilicas Deo dicatas
Et Chris ſubeunt veneranda Templa.

Maculam ſic elue, & lege:

Et Chriſto ſubeunt verenda Templa.

P. Ovidius libr. 2. Faſtor. vitio etiam infectus, ubi hæc ad Auguſtum ſcribit:

Cetera ne ſimili caderent labefacta ruina,
Cavit ſacrati provida cura ducis.
Sub quo delubris ſentitur nulla ſenectus,
Nec ſatis eſt homines, obligat ille Deos.
Templorum poſitor, templorum ſancte repertor,
Sit ſuperis, oro, mutua cura tui.

Non poteſt ſane Auguſtus eſſe templorum repertor, cum ante illum & templa, & eorum ornamenta eſſent in honore; corrigendus itaque:

Templorum poſitor, Templorum ſancte reſector.

Ratio ex C. Suetonio in Auguſto cap. 40. petatur: *Ædes ſacras, aut incendio conſumptas, aut vetuſtate collapſas, refecit.* Eginartus, ſeu verius Kynehardus Scotus, Caroli Magni Cancellarius, in ejus vita: *Ædes ſacras tamen ubicumque in regno ſuo vetuſtate collapſas comperit, pontificibus &c. patribus, ad quorum curam pertinebant, ut reſtaurarentur, imperavit.* Quem locum, ut ſolet, ex Suetonio ille mutuatus eſt.

Etruſcus itaque Janus primus in Italia templa excogitavit: extra Italiam vel Pelasgus, vel Theſſalus, vel Eleutherus, vel Phoroneus, vel Otrita Amazon, vel Lycaon Diis fana conſtituerunt, ut ſcribit C. Julius Hyginus fabular. cap. 225.

Neque vero omnes gentes conſenſerunt, ut Dii Templis ſtructis colerentur, atque, ut exclamat Arnob. libr. 5. Cont. Gent. *Non omnibus Diis Templa devota.* Et *Coronidi Deæ* nullum fanum Sicyonii erexerunt. Plutarch. & Pauſan. in Corinthiac. Et eorum exemplo Athenienſes *Clementiam* ſine fano colebant, nec ſtatuam ei dedicabant, ſed in aperto luco aram adorabant. Claudian. libr. de Bello Gildonico:

. . . . flentibus aram
Et proprium miſeris numen ſtatuiſtis Athenæ

Stat. Papin. libr. 12. Thebaid. v. 493.

Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo
Forma Deæ, mentes habitare, ac pectora gaudet.

Perſæ Templa reſpuebant, quod *majeſtatem Solis*, quem venerabantur, putarent *nullis tectorum anguſtiis coërcendum.* Strabo libr. 15. ſive, ut loquitur M. Tull. libr. 2. de Legib. *non eſſe parietibus includendos Deos, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis Templum eſſet ac domus.* Quod inſtitutum ex doctrina Magorum profectum, Laërt. libr. 1. Eſt & locus Herodoti apud B. Briſſonium libr. 2. de Regio Perſar. Princip. pag. 216. Quare in Græciam cum numeroſo exercitu irrumpentes *Templa omnia vaſtarunt.* Maxim. Tyrius ſerm. 38. ob id eos *Diis hominibuſque inviſos* appellat Aſconius Pædianus in Act. 2. Verrin. quod *Diis dedita Templa ruinis ac ignibus deleviſſent;* ut loquitur apud Q. Curtium Rufum libr. 3. Alexander. Soliſque Deliaco templo, ac Epheſino pepercerunt, quod Soli, & Lunæ, quos ipſi colebant, ſacra ea eſſent. Scholiaſtes Ariſtophanis in Pacem. Neque deinde vaſtata ea Templa Græci reſtaurare deinceps voluerunt, *ut hoſtilis impietatis & barbaricæ truculentiæ monimentum maneret.* Pauſan. Phocic. quo nomine præſertim Jones præ aliis Græciæ populis laudati. Iſocrat. in Paneg.

Et licet ſacrum eſſet Templorum jus, ut libr. 2. Antiquitat. Rom. cap.

cap. 2. oſtendi; tamen jure belli, non minus quam profana, victori cedebant, licet Alexander Macedo, *Thebis captis, ſacris pepercerit, agros reliquos in prædam dederit*. Arrian. libr. 1. de Geſt. Alexandri; nam & *reverentia iis ſumma debetur*. Salvian. Maſſilienſis libr. 3. de Provid. Dei. Id memorabili exemplo Ageſilaus præſtitit. Xenophon libr. 4. Græcar. *Jus belli*, ut dixi, plenam poteſtatem in ea faciebat. Balthazar Ayala Belgicorum exercituum quæſtor. Unde illud JCtorum celebre, *capta ab hoſtibus deſinere ſacra aut religioſa eſſe*. Paulus J.C. l. 4. ff. de ſepul. violat. Pomponius J.C. l. 36. ff. relig. & ſumpt. Heliodorus Emeſenus Phœnix cultiſſimus auctor libr. 8. Æthiop. *captivi fiunt* πολέμου νόμῳ *belli lege*. M. Cicero libr. 2. in Rullum. Ex Trogo Pompejo Junianus Juſtinus libr. 31. Liv. 1. Decad. libr. 2. Curt. libb. 4. 5. 7. 8. Q. Symmachus libr. 1. Epiſt. 64. videantur a me laudati, aut correpti in Antiquitatib. Ita poëtæ. Statius libr. 12. Thebaid. v. 561.

Non querimur cæſos, hæc belli jura viceſque
Armorum.

Horat. libr. 4. od. 4.

Vaſtata Pœnorum tumultu
Fana Deos habuere rectos.

Valer. Flacc. Argonautic. libr. 5.

. . . . *an Martia Templa*
Intemeranda minus, tacitus mihi lucus, & agger
Quod rudis & ſola colimur frigentibus umbra.

Pet. Apollonius Collatius Excidii Hieroſolymitani libr. 1.

Nil ſupereſt, tandem veteri niſi lege relicta
Crudeles iterum Templum ſpoliare Quirites.

Et eodem libro poſt:

Magnus & hanc domuit, Templique in limina victor
Irruit, hicque ſuos juſſit ſtabulare jugales.

Et libr. 4. de Tito urbe potito:

. . . . *nam parcere ſacro*
Ille loco, ſaltemque urbis monimenta manere
Una cupit.

Aurel. Prudent. libr. 2. in Symmach.

Ah quoties ductor Macedum fortiſſimus altos
Templorum cineres victis cumulaſſet Amyclis.

Ultimus hic, & poſterior verſus & corruptus eſt, & hiſtoriæ repugnat; quid enim Alexandro cum Spartanis? Optime MS. reſtituit:

Templorum cineres victis cumulavit ab Indis.

Nec non mendo non vacat Silius Italicus libr. 13. Punic.

Ne flammam tædaſque velint, ne Templa ſub uno
In cinerem tranſiſſe rogo.

Vi-

Viderunt pleriqué erratum, ſed pauci potuerunt ei mederi. Lege ex MS. Franc. Modii Novantiquar. Lection. Epiſt. 62.

In cinerem traxiſſe rogo.

M. Lucan. libr. 1. Pharſal. v. 381.

Si ſpoliare Deos, ignemque immittere Templis
Numina miſcebit caſtrenſis flamma Monetæ.

Et iratus Cæſar apud eundem libr. 5. v. 304.

Non illis urbes, ſpoliandaque Templa negaſſet,
Tarpejamque Jovis ſedem.

Nobiliſſimum eſt & hiſtoricum exemplum de Templo Hieroſolymitano, bis a Romanis, capta urbe, profanato, devaſtatoque, primum a Pompejo Magno, iterum a Tito Veſpaſiani filio. Pompejus quidem *Templum reſerat, jure victoris; non devotione ſupplicis*, ut loquitur D. Auguſtinus libr. 18. Civitat. Dei cap. 44. & ante illum C. Tacit. libr. 5. Hiſtoriar. & poſt eundem Otto Friſingenſis libr. 2. Chronicor. cap. 46. Et de legatione Philonis Judæi ſub Tiberio Aug. idem libr. 3. Chronicor. cap. 13. & Hegeſippus libr. 5. Excid. Hieroſolymit. cap. 46. ſi tamen auctor non eſt ſpurius, quod probabilius mihi.

A Tito vero idem Templum captum, direptum, incenſum, hiſtoriæ profanæ. Dio Coccejanus diligentiſſimus libr. 66. Hiſtor. Roman. Contigit hæc clades anno poſtquam conditum fuerat *milleſimo octuageſimo nono*, Ado Viennenſ. Ætate 6. Chronicor. pag. 115. aut *milleſimo centeſimo ſecundo*. Paul. Oroſ. libr. 7. cap. 9. ſed id tamen deleturus flevit Titus. Conſtantin. Manaſſes Chronicor. pag. 55. quod ſe videret unicum puniendis Judæis a Deo deſtinatum. Michaëlius Glycas Annal. part. 3. pag. 334.

Etru-

Apud Etruſcos aræ Deorum: ſepulchris appoſitæ: in Comœdiis: morituri eas amplectebantur: immunitatem præſtabant: eas juraturi tenebant: dedicatio: fluviis erectæ.

CAP. XI.

APud Etruſcos aræ Deorum in uſu erant, ut clariſſime patet ex Livio, egregium Mutii Scevolæ facinus referente libr. 2. Decad. primæ: qui etiam Mutium ſic inducit loquentem ad Porſenam, qui minitabundus extorquere ab eo volebat, quænam illi a Romanis inſidiæ pararentur: *En tibi, ut ſentias, quam vile corpus ſit iis, qui magnam gloriam petunt, dextramque accenſo ad ſacrificium foculo iniicit: quam cum velut alienato ab ſenſu torreret animo, prope attonitus miraculo Rex, cum ab ſede ſua proſiluiſſet, amoverique ab altaribus juvenem juſſiſſet &c.* Valerius Max. quoque libr. 3. cap. 3. eandem hiſtoriam narrans altare in caſtris fuiſſe commemorat: *Quum a Porſena Rege Etruſcorum urbem noſtram gravi ac diutino bello urgeri ægre ferret, caſtra ejus clam ferro cinctus intravit: immolantemque ante altaria conatus eſt occidere.* Videndus eſt etiam Sextus Aurel. Victor de Viris Illuſtribus cap. 12. *Accepta poteſtate, in caſtra Porſennæ venit, ibique purpuratum pro Rege, deceptus occidit. Apprehenſus, & ad Regem pertractus, dexteram aris impoſuit.*

Q. Fabius Pictor apocriphus libr. 1. refert, Janum aras primum intuliſſe in Etruriam: quod quidem valde veroſimile videtur (quamvis ſcriptor hic ſit ſuppoſitus) nam Janus templa Deorum, & alia ad ſacrificia pertinentia in hanc Regionem invexit [1].

Ad ſepulchra erigi ſolitæ. Hieronym. Magius obſervat; unde in Apotheoſi illa myſtica Cæſaris ſub perſona Daphnidis apud Virgilium Eclog. 5.

. . . . en quattuor aras
Ecce duo tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo.

Et libr. 3. Æneid. vittatas eas aras funebres indicat:

Aggeritur tumulo tellus, ſtant manibus aræ
Cæruleis mœſtæ vittis.

Et

(1) Quod ara fuerit in caſtris Porſennæ, cui manum impoſuerit Scævola, conſentiunt gemmæ antiquæ apud Leonardum Auguſtinum, & in additionibus Maffæi par. 4. n. 9. & 10. Uſum ararum apud Etruſcos evincunt plura anaglypha in urnulis ſepulchralibus, quorum icones in hoc ipſo opere alibi afferuntur, ex quo etiam patere videtur, ab Etruſcis adhibitas fuiſſe in funebribus gladiatorum ludis.

Et libr. 5. Æneid. in anniverſariis exequiis collocatas docet:

. . . . . . : mæſtaſque ſacravimus aras.

Et de Hectore Andromache uxor libr. 3. Æneid.

Et geminas, cauſam lacrimis, ſacraverat aras.

In comœdiis agendis *aræ* etiam in ſcæna erigebantur *duæ*; ſed eo diſcrimine, ut in comœdia *Apollini dextra ara* eſſet vota; *ſiniſtra* vero ei *heroi*, *Deove*, aut illi *Deæ*, in cujus honorem ludi celebrarentur, ſeu *parentalia*, aut *funebria ſacra*. At in tragœdia *dextra ara* erat dicata Baccho. At Olympiodorus comediæ etiam Bacchum facit præſidem: cujus verba habes apud Franc. Lindenbruchium, licet Donatus in Andriam Terentii Act. 4. ſc. 3. contradicat. *Ex ara, ſcilicet Apollinis, quem* Δήλιον *Menander vocat, aut quod Apollini comœdia dicata eſt, in cujus honorem aram conſtituebant comœdiam celebrantes; Apollini ergo comœdia, Libero patri tragœdia eſt ſacra*. Ipſe Terentius:

Ex ara hinc ſume verbenas tibi.

Quia ſcilicet aræ Apollinis *verbenæ* impoſitæ, ut Bacchi *hederæ*. Jul. Scaliger libr. 1. Poëtices cap. 21.

Easdem *aras morituri jubebantur amplecti*. quod a nullo vidi adhuc obſervatum. C. Plin. libr. 35. cap. 10. *Timanthi vel plurimum affuit ingenii; ejus enim eſt Iphigenia, oratorum laudibus celebrata, qua ſtante ad aras peritura, cum mæſtos pinxiſſet omnes &c. patris ipſius vultum velavit.* T. Lucret. libr. 1. Rer. Nat.

Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianaſſai turparunt ſanguine fœde
Ductores Danaum delecti.

Vel ut ex Priſciano Cæſarienſi legunt:

Iphianaſſæo, turparunt ſanguine.

L. Sen. in Herc. Furente Act. 2. ſc. 3. ubi Lycus Megaram interfecturus:

Conjugia quoniam pervicax noſtra abnuis,
Regemque terres, ſceptra quid poſſint, ſcies,
Complectere aras, nullus eripiet Deus
. Te mihi.

Virgil. libr. 2. Æneid. v. 255.

. . . . . vos aræ enſeſque nefandi
Quos fugi, vittæque Deum quas hoſtia geſſi.

Q. Horat. libr. 2. ſat. 3.

Tu cum pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam
Ante aras, ſpargiſque mola caput, improbe ſalſa.

Ad aras confugientes immunitatem, & asylum conſecuti cenſebantur. Cicero Orat. poſt reditum in Senatu. *in aram Tribunatus confugere*. L. Flor. libr. 2. Hiſt. Rom. cap. 12. de Samothracum religioſis aris. Ad aras confugientes eas amplectebantur. Lutatius Placidius ad libr. 12. Thebaidos Statianæ v. 481. Terent. Heautontimerumeno Act. 5. ſc. 2.

Nec te admiſce, nemo accuſat, Syre, te, nec tu aram tibi

Nec

Digitized by Google

Nec precatorem pararis.

Stat. loco laudato:

Sic ſacraſſe loco commune animantibus egris
Perfugium.

Ovid. libr. 4. Eleg. 5.

Unica fortunis ara reperta meis.

Et libr. 2. de Ponto, Eleg. 8.

Vos eritis noſtræ portus & ara fugæ.
Vos ego complectar, Geticis ſi cingar ab armis:
Utque meas Aquilas, veſtra ego ſigna ſequar.

Et libr. 2. Æneid. Hecuba cum natis ad aram Hercæi Jovis, veluti locum religione tutum, confugit:

Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum
Præcipites, atra ceu tempeſtate columbæ,
Condenſæ, & Divum amplexæ ſimulacra tenebant.

Origo hujus ritus habetur ex Martiano Auguſto, Calliſtrato J.C. diſſertatione Cæſtii apud Tacitum libr. 3. Annal. Æmilio Probo, ſive Cornelio Nepote in vita Pauſaniæ, & in vita Timothei, Plutarcho in vita Cimonis, quos laudavi libr. 1. Antiquitat. Romanar. Regione Urbis. 1. Euripid. in Hecuba:

Ἀλλ' ἴθι ναοὺς, ἴθι πρὸς βωμοὺς
Sed vade ad templa, vade ad aras.

Confugium illud deſperato ſtatu rerum, & deplorata vitæ conditione. Virgil. libr. 2. Æneid. v. 574. de Helena:

. . . . . *atque aris invisa ſedebat.*

Ab aris ſine piaculo & ſacrilegio nemo avelli poterat; ideo Pyrrhus ille Virgilianus vituperatur libr. 2. Æneid. v. 550.

. . . . . *altaria ad ipſa ſedentem*
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati.

Si tamen magni alicujus ſceleris reus quis fuiſſet, igne admoto cogebatur aram deſerere. Scholiaſtes Euripid. in Hecuba apud Hadrianum Turnebum libr. 9. Adverſarior. cap. 12. M. Plaut. Rudente Act. 3. ſc. 4. ubi ſic Labrax:

Mihi non liceat ancillas meas
De Veneris ara abducere?

Dæmones deinde reſpondent:

Ego dabo ignem.

L. Seneca Hercule furente v. 505.

Congerite ſilvas, templa ſupplicibus ſuis
Injecta flagrent.

Aut certe, ſi ignem admovere nollent, obſtructis vallis, fame enecabantur. Claud. Ælian. libr. 9. Var. Hiſtor. cap. 41. Idemque jus ſtatuis Principum conceſſum. l. 17. ff. ædilit. edict. L. Seneca libr. 1. Clement. cap. 18. C. Sueton. Tiberio cap. 53. & eſt a viris doctis obſervatum.

Aras tenebant juraturi, quaſi religione interpoſita vera dicturi, teſteſque Deos ſibi facturi. Æmil. Prob. aut Cornel. Nepos in vita Hannibalis. Cicero pro L. Cornelio Balbo. M. Junian. Juſtin. libr. 24. Aurel. Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 2. Briſſonius eruditiſſime in Formulis probavit. Virgilius libr. 12. Æneid. inducit fœdus ferientes Principes, araſque tenentes; ut & Ludovicus Arioſtus in Rolando ſuo od. 38. qui meo judicio magnus Poëta. Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad v. 89. Sat. 13.

Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.

Idem ad Sat. 14. v. 219.

Falſus erit teſtis, vendet perjuria ſumma
Exigua, Cereris tangens aramque pedemque.

Hinc Ariſtophanes:

Οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει.
Quibus nec ara, nec fides nec juramentum manet.

Sil. Italic. libr. 1. Punicor. jusjurandum Hannibalis deſcribens:

Stant aræ cælique Diis.

Et paucis interjectis ſubjungit:

Hanc mentem juro noſtri per numina Martis,
Per manes, regina, tuos.

Sequitur, ut de dedicatione pauca proponam: & quia alias fuſe diſcuſſi, hic antiquis Inſcriptionibus ero contentus: quarum una extat Patovione (1).

PRAESTITI. IOVI
S.
TRIB. COH. X. PRAETOR
CVLTOR. NVMINIS. IPSIVS
PROFICISCENS. AD. OPPRI
MENDAM. FACTIONEM
GALLI. IVSSV. PRINCIPIS
SVI. ARAM. ISTAM. POSVIT

Altera eſt in Bavaria, ut refert Wolfgangus Lazius libr. 6. Commentarior. Reip. Rom. cap. 1. (2)

IVNO. R. ET. MINER. SAC
GENIO. COH. III. BRIT. ARAM
T. FL. FELIX. PRAEF. EX
VOTO. POSVIT. L. M
DEDICAVIT. KAL. DEC.
GENTIANO. ET
BASSO. CoS.

Deni-

(1) Apud Grut. pag. 22. num. 1. (2) Apud Grut. pag. 24. num. 7.

Digitized by Google

Denique aræ fontibus & fluminibus, qui Deorum cultu honorabantur, erectæ reperiuntur, quæ forte *graminee* audiunt, de quibus Hadrian. Turneb. libr. 11. Adverſar. cap. 1. C. Plin. nepos libr. 8. Epiſt. 8. & Claudius Minos notavit. Erigi illæ ſolitæ vel in ipſo mari, vel in ripa. Prioris teſtis Virgilius libr. 1. Æneid.

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras.

Poſterioris D. Auſonius Epiſt. 9. ad Paulinum:

Culpabam properos adverſo flumine curſus.
Quis fuit ille dies? non annus longior ille eſt,
Attica quem docti collegit cura Metonis
Deſertus, vacuis, ſoliſque exerceor aris.

Ad alia properandum.

Apud Etruſcos ſacrificia: Inſtituta ea initio tenuia, far, lac, libum: poſtea litatum hoſtiis animalibus, etiam ablegminibus, majoribus, minoribus, auratis cornibus, albis, nigris, homine, animantibus, omnibus, niſi piſcibus.

CAP. XII.

SAcrificia omnia Diis propitiandis Tuſcorum Rex Janus inſtituit, ut ex Xenone apud Macrobium libro hoc, capite decimo dictum eſt. Addendus Strabo Amaſianus libro 5. Geogr. pag. 521. a quo inter præclara ejus gentis inventa, ἱεροποιΐας ſacrificia reponuntur. Locum integrum alibi habes, nec repeto. Initio certe ea omnia erant valde tenuia, ſcilicet pro populorum, ea ætate, paupertate, inopiaque: lar, far, aut ut ſummum, libum; & ubi ditiſſimæ gentes, thurea acerra contentæ. Vet. gloſſ. Philoxeni. *acerra*, λιβανωτρὶς, quæ aliis *ara*, aliis cenſetur *arcula thuraria*: quæ paſſim ab aliis peti poſſunt. Poëtæ paſſim. Ovid. libr. 3. Faſtor.

Farraque dat tepidis, libaque ſalſa focis.

Micam vocant Salii in arcano ſuo carmine. Alb. Tibull. libr. 4. principio:

Parvaque cæleſtes placavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu.

Feſt. Pomp. libr. 16. in voce *mola*, & in ſchedis Urſinianis. Optime omnium, ut ſolet, C. Plin. libr. 18. cap. 2. ex Heminæ Caſſii auctoritate: *Numa inſtituit fruge Deos colere, & mola ſalſa ſupplicare, atque, ut auctor eſt Hemina, far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet,*

id uno modo conſecutum, ſtatuendo, non eſſe purum ad rem divinam, niſi toſtum. Quare cum primi hominum libo, farre, hordeique tantum primitiis Deos placandos cenſuiſſent, dicti ideo κριθολόγοι. Et licet mutati ab opulentiori ſeculo mores, tamen in pleriſque ſacris vetuſtatis frugalitas pertinaciter obſervata. Idem Plinius libr. 18. cap. 8. *Et hodie ſacra priſca, atque natalium pulte fritilla conficiuntur*. Et in præfatione divini ſui operis, idem: *Verum & Diis lacte ruſtici, multæque gentes ſupplicant, & mola tantum ſalsa litant, qui non habent thura, nec ulli fuit vitio Deos colere, quoquomodo poſſet*. Sed hoc inter ſacra, & cultum Deorum intererat, hominesque frugibus veſcentibus, quod eæ molitæ erant, ſive freſæ, quæ diis oblatæ; quum hominum eſui ante molas inventas, integræ deſtinarentur; plures notarunt ex Theophraſto, ſed optime Hadrianus Turnebus libr. 7. Adverſar. cap. 13. licet interdum more Latino fruges integræ, Græcis ὀλαὶ, ſive ὀλοχύται in ſacrificiis locum haberent. Videndi Interpretes Virgiliani ad illud libr. 4. Æneid.

Ipſa mola, manibusque piis altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veſte recincta
Teſtatur moritura Deos.

Creſcente in dies gentium opulentia, animalibus hoſtiis litari cœptum, ſed ita, ut ſemper in primorum & tenuium ſacrorum recordationem, mola ſalsa caput hoſtiæ aſpergerent. L. Seneca in Thyeſte Act. 4.

Et mœſta vitta capita purpurea ligat,
Non thura deſunt, non ſacer Bacchi liquor,
Tangensque ſalsa victimam culter mola.

Horatii Scholiaſtæ ad libr. 3. od. 23. conſulantur:

Farre pio & ſaliente mica.

Virgil. libr. 12. Æneid.

Dant fruges manibus ſalsas.

Alb. Tibull. libr. 3. Eleg. 4.

At vatum in curas hominum genus, omina noctis
Farre pio placant, & ſaliente ſale.

Atque hoſtiis quidem adhuc vivis aſperſa mola ſalsa: mactatis vero pinguedo addita, quo facilius arderent. A. Perſius Sat. 2.

Tot tibi cum in flamma junicum omenta liqueſcant.

Homer. libr. 2. Iliad. v. 422. Euſtathius ibidem:

Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' εὔξαντο, καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο,
Αὖ ἔρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν
Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν.

Quæ totidem verbis Latinis ſic reddere poteris:

Sed poſtquam oraverunt, & molas projecerunt;
Cervicem primum reflexerunt, & jugularunt, & excoriarunt,
Femoraque abſciderunt, & pinguetudine cooperuerunt.

Q. Ca-

Q. Catull. Epigr. 88.

Gnatus ut accepto veneretur carmine divos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

De promiſcuo victimarum quarundam, imo & quarumlibet uſu, ſanis, tabidiſque, Q. Flor. Tertullian. Apolog. cap. 13. *Volo & veſtros ritus recenſere: non dico, quales ſitis in ſacrificando, cum enecta & tabioſa quæque mactatis, cum de opimis & integris ſupervacua quædam truncatis capitula & ungulas, quæ domi quoque pueris vel canibus deſtinaſſetis.* Vult ergo Tertullianus ex opimis hoſtiis nihil Diis oblatum, niſi *ablegmina*, ſive partes illas viliores & extremas, cum reliquis ſacerdotes veſcerentur.

Erant autem unicuique numini ſuæ hoſtiæ propriæ: de qua re Andreas Tiraquellus libr. 3. cap. 12. ad Geniales dies Alexandri ab Alexandro. Hoc tantum hic noto, quaſcumque hoſtias fuiſſe vel *minores*, vel *majores*: & poſtremas has, gravioribus de cauſis, potentioribuſque Diis ſolere offerri, dictæque *animales*. Trebatius libr. 1. de Religionibus apud Macrobium libr. 3. Saturnal. cap. 5. quibus & cornua inaurabantur. L. Seneca libr. 1. Benefic. cap. 6. Plin. libr. 33. cap. 3. T. Liv. 3. Decad. libr. 5. in quibus Decemviri Apollini bove aurata, & duabus capris auratis, Latonæque bove aurata, ſacra Græco ritu facere aſſeverant. Feſt. Pomp. libr. 1. in dictione *Apollinares*. Tertullian. libr. de Corona Milit cap. 12. *Hunc tibi bovem Jupiter cornibus auratis decoratum vovemus eſſe futurum.* Juvenal. ſat. 6.

. . . . auratam Junoni cæde juvencam.

Valer. Flacc. libr. 1.

. . . . dabit auratis & cornibus igni
Colla pater.

Et libr. 3. Argonautic.

Ibat agens lectas aurata fronte bidentes.

P. Ovid. libr. 7. Metamorph.

. . . . indutaque cornibus aurum
Victima, vota facit.

Et libr. 10. Metamorph. fab. 8.

. . . blandis indutæ cornibus aurum
Conciderant ictæ nivea cervice juvencæ.

Virgil. libr. 9. Æneid.

Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum.

Martial. libr. 9. Epigr. 43.

Felix tunc ego, debitorque voti
Caſurum tibi ruſticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum.

Aurel. Prudent. περ. ςεφάν. in Romani agone:

Huc taurus ingens fronte torva & hiſpida
Sertis revinctus, aut per armos floreis,

Aut

Aut impeditis cornibus deducitur:
Nec non & auro frons coruſcat hoſtia,
Setaſque fulgor bractealis inficit.

L. Seneca in choro Oedipi:

Aureo taurus rutilante cornu.

Diſtinguebantur etiam victimæ ſecundum Deos ipſos, quibus oblatæ; nam Diis ſuperis *albæ*, inferis *nigræ* convenire credebantur; quod multis variorum ſcriptorum locis a me probatum in Antiquitatibus Romanis libr. 4. cap. 9. hoc loco non repeto.

Denique & quadrupedes, & ſerpentes, & aves ſolitæ immolari, ac ne homines ipſi ab illa ferali clade immunes; nam Carthaginienſes Junonem immolato homine placabant, fuſe deſcribit Silius Italicus: Dianam Scythæ, Teuthatem Galli, ſed & ipſi Romani Saturnum: ac ut ſemel dicam, ſoli inter animantes liberi piſces. Et ratio hæc Theologica aſſignatur a Simone Majolo Dier. Canicular. Dialog. 9. quod cum ceteris animantibus maledictionem ii non acccepiſſent, & in aqua illi vivant; cum tantum terra & ejus cultores ei maledictioni fuerit ſubjecta: quod aperte probat caput ſeptimum Geneſeos, & D. Auguſtinus libr. 1. de Mirabilibus Scripturæ cap. 4.(1)

Apud Etruſcos artificium & uſus ſtatuarum Deorum, & virorum fortium: inviolabiles, & religioſæ: fictiles aut ligneæ: in foro eminenti loco poni ſolitæ.

CAP. XIII.

AD cultum Deorum non mediocre momentum contulere ſtatuæ, præclarum in iis recolendis, magnumque & pæne neceſſarium opus, quod & ab Etruſcis excogitatum. Flor. Tertullian. Apologet. cap. 25. *Etſi a Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulacris, aut templis res divina apud Romanos conſtabat, frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo, ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipſe nuſquam; nondum enim tunc ingenia Græcorum, atque Tuſcorum fingendis ſimulacris urbem inundaverant*. Quem locum ſuggeſſit mihi literis ſuis elegantiſſimis Illuſtriſſ. D. Balduinus de Monte Simoncellio, avita nobilitate, ſcriptiſque diſſer-

(1) Damus hic Sacrificiorum imagines, deſumptas ex urnularum Etruſcarum anaglyphis. Ad ſacrificia ejusdem generis ſpectant quoque pateræ, quas appoſuimus in fine cap. 17. libr. 1. & quam apponimus hoc loco. Præterea apud eandem gentem in uſu fuiſſe ſacras pompas, quæ ſacrificia comitabantur, nos docere videtur pictura Vaſis Medicei, hic etiam appoſita, & quam adferimus infra cap. 93.

Tab. XXXVI. *Tom. I. pag. 278*



Vrna Fictilis Apud Bartolum De Antiquis Sepulchris
Tunc Perusiæ
V Fran Sculp

1



Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles De Conſtanzii

V. Fran. Sculp.

2



Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles De Conſtanzii

V. F. Sculp.

Digitized by Google



Florentiæ in Musæo S MD Etruriæ



Vas Fictile Altum Ped. I. Vn. IIII





Florentiæ In Musæo Mediceo

F. A. L. Sculp.

Digitized by Google

Digitized by Google

ſertiſſimis clariſſimus. Addendi Porphyrio vetus grammaticus ad Q. Horatii libr. 2. Epiſt. ult. *Tyrrhena ſigilla, Tuſcana, apud Tuſcos in primo Italiæ ex marmore ſigna proceſſerunt*. Ipſe Horatius ibidem loci:

Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena ſigilla, tabellas,
Argentum, veſtes Getulo murice tinctas.

C. Plin. libr. 34. cap. 7. *Signa quoque Tuſcanica per terras diſperſa, quæ in Etruria factitata non eſt dubium. Deorum tantum putarem ea fuiſſe, niſi Metrodorus Scepſius, cui cognomen a Romani nominis odio inditum eſt, propter duo millia ſtatuarum Volſinios expugnatos obiiceret: mirumque mihi videtur, cum ſtatuarum origo tam vetus in Italia ſit, lignea potius aut fictilia Deorum ſimulacra in delubris dicata, uſque ad devictam Aſiam, unde irrepſit & luxuria*. Ex laudatis auctoribus colligo, ortum ſtatuarum in Italia Tuſcis deberi, non etiam extra Italiam; nam & in Græcia prius illæ fortaſſis fuerint, apud quos inclaruerint Saurus Samius, Crato Sicyonius, Cleanthes, Theodorus Mileſius, Dædalus, & ejus diſcipulus Eudyus, Theodorus, Thelocles, Idictæus, Angelio, Smilides, Phidias, & Praxiteles: quos omnes extulit Plinius, & æterno memoriæ fano dedicavit, libro laudato. Hinc deceptus Athenagoras, omnem artis ſtatuariæ elegantiam Græcis tantum deberi in Apologetico pro Chriſtianis pronuntiat.

Ex iisdem proxime laudatis etiam patet, ſtatuarum alias fictiles, alias marmoreas, eaſque ab Etruſcis inventas, fuiſſe, alias aureas, alias cæreas, alias argenteas, alias denique æreas, ut paulo infra dicetur. Sed & quasdam Deorum in honorem, nonnullas in virorum fortium perpetuam memoriam erigi conſueviſſe. Sidon. Apollinar. libr. 5. Epiſt. 5. Et libr. 8. Epiſt. 2. Q. Symmachus libr. 10. Epiſt. 25: *Ut viri memorabiles monimentorum diuturnitate, poſterorum oculis commendarentur*. Ammian. Marcellin. libr. 14. Hiſtor. *Quidam æternitati per ſtatuas ſe commendari poſſe affirmantes, eas ardentes affectant, quaſi plus præmii ex figmentis æneis, ſenſibus carentibus, adepturi, quam ex honeſte recteque factorum conſcientia*. Quam alii efficacem retinendæ æternitatis, famæque conſequendæ rationem putabant, hiſtoricus Græculus jure deridet. Neque enim primis illis ſeculis Deorum ulla ſimulacra, niſi fictilia. M. Varro libr. 1. de Vita Populi Romani: *Hæc ædis, quæ nunc eſt, multis poſt annis facta fuit, quia omnia regiis temporibus delubra parva facta ſunt, ut in cetero cultu quæ ſunt conſentanea, quæ ſint paupertina ſine elegantia atque caſtimonia. Quid inter hos Joves interſit, qui ex marmore, ebore, auro nunc fiunt, potes animo advertere, & horum temporum divitias, & illorum paupertates*. Nec Romani ſolum hi mores, ſed & Græci. Pauſan. Corinthiacis ubi de Apollinis Lycii ſtatua.

Utcumque cette non minor ſtatuis iſtis, quam Diis ipſis reverentia deberi cenſebatur, atque adeo inviolabiles habebantur. Marcianus Heracleota in Carmine Geographico v. 694.

Lati-

Ὧν τὸν μὲν Ἰασίωνα δυσσεβήματι
Πρᾶξαι περὶ Δήμητρος λέγουσ' ἄγαλμα, καὶ
Πληγῇ κεραυνωθέντα δαιμονίᾳ θανεῖν.

Latinis verſibus eleganter donavit Federicus Morellus, Profeſſorum Regiorum Pariſienſium Decanus:

Ex his Jaſiona facinus impium
Signum in ſacratum patraſſe Cereris aſſerunt,
Et cælitus miſſo interemptum fulmine.

Ut ſacra quadam veneratione Deorum ſtatuæ, ita & Principum ſemper cultæ, dixi alibi hoc opere. Ex ære illæ. L. Seneca libr. 6. Natural. Quæſt. cap. 29. *Cur ergo aliquis ad hoc ſtupet, quod æs unius ſtatuæ, nec id ſolidum quidem, ſed concavum ac tenue, diſruptum eſt?* Et ſtatua Antonio Muſæ Medico *ære collato* ponitur. Sueton. Auguſto cap. 59. Aurelius Caſſiodorus libr. 7. Variar. Epiſt. 44. Statuarum enumerat materiam, *æs, plumbum, marmora*. Poëtæ. Virgil. libr. 6. Æneid.

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo equidem ducent vivos de marmore vultus.

Claudian. Conſul. Theodori in ipſo limine:

. . . . populumque clientem
Publica manſuris teſtantur vocibus æra.

Et libr. 3. de laudib. Stilic. ubi plura:

Ob ſacrum, quod in ære colis.

Corrigendus ejusdem locus corruptus in præfatione belli Getici:

At prior effigiem tribuit ſucceſſus amœnam.
Oraque patricius noſtra dicavit honor.

Ex MS. meo legendum, quod & MS. Stephani Claverii confirmatur:

At prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam.

Sidon. Apollinar. Carm. 8.

Ulpia quod rutilat porticus ære meo.

Sed & aureæ argenteæque quoque ſtatuæ ſub Imperatoribus Dio Coccejan. libr. 52. & libr. 53. imo eo uſque luxus proceſſit, ut nullæ Imperatoribus niſi aureæ ſtatuæ locarentur: quod deplorat in panegyrico Theodoſii Latinus Pacatus Drepanius. Solebant autem ſtatuæ iſtæ erigi in porticibus, in balneis, in areis, in Capitolio, in compitis, in Campo Martio, ſed maxime loco fori valde conſpicuo. Caſſiodor. libr. 8. Variar. Epiſt. 2. Sueton. libr. de clar. Grammat. cap. 17. Sidon. Apollinar. Carm. 9.

Et carus popularitate Princeps
Trajano ſtatuam foro locavit.

Idque fiebat in provincia, a municipali magiſtratu impetrato loco. Pomponius J. C. l. 14. ff. de condit. & demonſtrat. Paulus J. C. l. 2. ff. de loco publ. fruend. At in civitate ipſe Princeps id faciebat. Plinius Junior libr. 1. Epiſt. 17. atque id *miſſo libello*. L. Apul. libr. 3. Floridor. Claudian. præfatione proxime laudata:

An-



Literæ Sculptæ Sunt in Limbo, Vestis inferiore





Literæ Etruſcæ Inciſæ Sunt In Tergo
Florentiæ Ex Ære Alt. Ped. I Unc. III. In Muſæo Mediceo

Vin. Fran. ſculp.

Digitized by Google

Tab. XXXXII. Tom. I. pag. 281



Volaterris In Marmore Alt. Ped. III. Vnc XI Apud Nobiles De Maffeis

Vin. Fran. sculp.


Tab. XXXXIII
Tom. I pag. 281.
In Marmore Alt Ped IV Apud
Stufa In Suburbano Prope
Nobil Della
Florentiam
V. F.

Digitized by Google

Annuit his princeps, titulum poſcente Senatu.

De ornamentis ſtatuarum, & minio, quo diebus feſtis illungebantur, de jure aſyli iis conceſſo, qui ad eas fugiſſent, alibi commodius. (1)

Etruſcorum inventum Idola: aut, ut aliis viſum, Seruchus, aut Syrophanes, aut Cham ea excogitavit: aut Græci, aut Ninus: eorum varietas, & vanitas Εἴδωλον, *ſive* Εἴδωλα *a Poëtis dici.*

CAP. XIV.

UT Statuarum fuere artifices Etruſci, ita & Idolorum. Cæl. Rhodigin. libr. 29. cap. 24. *Quin etiam quiſquis hujus argumenti inventor extitit primus, cum religione profecto videntur prodiiſſe. Sunt qui Etruriæ hoc contribuant.* Teophantus Monachus Scotus MS. ad D. Juvenalis ſat. 15. in principio. *Tuſcia, mater omnis impietatis, & ſuperſtitionis, & templa in falſorum Deorum honorem erexit, & Idola in iis collocavit. Ejus deinde exemplo tota Europa miſere infecta, diis dæmonum cultui adhæſit; ſed diu ante Romam, adeoque etiam ante Ægyptum, quæ ſerius monſtra ſua tranſtulit in Italiam. Virgil. libr. 8. Æneid.*

Omnigenumque Deum monſtra.

Et de inventione Idolorum huc uſque ille. Alii primum Idolum volunt Ignem fuiſſe. Ludovicus Cario in Chronico notavit: & ante illum Scriptores Eccleſiaſtici. Socrates libr. 7. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 8. Theodoretus libr. 5. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 39. Hiſtoria Tripartita libr. 10. cap. 30. Suidas in voce Κάνωπος. Gregor. Turonenſ. libr. 4. cap. 33. Agathias Scholaſticus libr. 2. de Bello Getico: apud quos omnes templa ideo *Pyræa* ſive πυρεῖα dicuntur, quod Deum haberent *Ignem*. Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 85.

. . . . juratur ab illis
Ignis & unda Deus.

Inventor autem hujus Idoli *Cham* fuiſſe legitur. Marius Victor Maſſilienſis libr. 3. in Geneſin:

. . . Cham ſervo e ſemine natus,
Mole & mente gigas, Babylonica ſceptra gubernans,
Perſarumque animos capiens venator iniquus,

(1) Tuſcanici fortaſſe operis multa adhuc ſimulacra, & ſigilla in Muſæis ſuperſunt: hic aſferimus tantum ea, quæ literæ Etruſcæ iis adſcriptæ aperte demonſtrant ab Etruſco artifice confecta fuiſſe.

A vera domini cultu traduxit ad Ignem.

Altera opinio eſt tantæ vanitatis, auctores fuiſſe Græcos. Tertullian. Apologet. cap. 25. ſuperiori capite laudatus. Aurel. Prudent. περὶ στεφ. in Romano Martyre:

Sed pulchra res eſt forma in ære ſculptilis:
Quid imprecabor officinis Graciæ,
Quæ condiderunt gentibus ſtultos Deos?
Forceps Myronis, Polycleti malleus,
Natura veſtrum eſt, atque origo Cælitum.

Quarto graves quidam, nec contemnendæ auctoritatis viri ad Syrophanem eorum inventionem rejiciunt. D. Fulgentius libr. 1. Mythologicωn ex Diophante Lacedæmonio libr. 14. Antiquitatum. *Syrophanes Ægyptius, ſubſtantia familiaque locuples, filium genuit, quem voluit enormis ſubſtantiæ ſucceſſorem, ineffabili, ultra quam paternitas exigebat, affectu erga filium deditus: iſque dum adverſis fortunæ incurſibus rapetur, patri crudele geminæ orbitatis dereliquit elogium, & ut poſteritati perpetuale ſuffragium denegaſſet, & ſubſtantiæ propagandæ ſubitam interceptionem obiceret. Quid igitur faceret aut fecunda paternitas, hac ſterilitate damnata, aut felix ſubſtantia in ſucceſſione curata? Parum erat non habere quod habuit, niſi etiam eſſet, qui obtineret, quod reliquit. Denique doloris anguſtia, quæ ſemper inquirit neceſſitatis ſolatium, filii ſibi ſimulacrum in ædibus conſtituit: dumque triſtitiæ remedium quærit, ſeminarium potius doloris invenit, neſciens, quod ſola ſit miſeriarum medicina oblivio; fecerat enim ille, unde luctus reſurrectionis in dies acquireret, non in quo luctus ſolatium inveniret. Denique* Εἴδωλον *dictum eſt* εἰδοδίνην, *quod nos Latine ſpecies doloris dicimus; namque univerſa familia in domini adulationem, aut coronas plectere, aut flores inferre, aut adoramenta ſimulacra ſuccendere conſueverat.* Egregia hæc, & prædicanda.

Quinta ſententia eſt Suidæ, aſſerentis Idolorum inventorem fuiſſe Seruchum quendam: in quam ſententiam ivit etiam Conſtantinus Manaſſes, cujus hæc ſunt e MS. Auguſtiſſimi Britanniarum Regis bibliothecæ, & ſuppeditavit eruditus juvenis Græce Latineque doctus Petrus Goldmanus Scotus:

Σερούχ δὲ πρῶτος ἤρξατο χρῆσθαι γλυπτοῖς καὶ στήλαις
Ὄγδοος ὢν ἀπόγονος τοῦ Νῶε τοῦ δικαίου.
Οὗτος οὖν πρῶτος ὁ Σερούχ τιμῶν τοὺς παλαιτέρους
Ὡς ἀγαθῶν ἐφευρετὰς ὡς ἰσχυροὺς ἐν μάχαις
Ὡς τῆς σοφίας ἀρχηγοὺς, ὡς ἐμπειροπολέμους
Εἰκόνας κατεσκεύασεν, ἀγάλματα καὶ στήλας
Ὡς δῆθεν εἰς ἀνάμνησιν καλῶν τῶν ἐξ ἐκείνων.
Ὅπερ οἱ γνόντες μὴ πολλοὶ τῶν μεταγενεστέρων,
Μὴ καταστοχασάμενοι Σερούχ τῆς διανοίας,
Ὥσπερ θεοὺς ἐτίμησαν τὰς στήλας τὰς ἀψύχους,

Καὶ

Καὶ προσεκύνησαν γλυπτοῖς ἀνθρώπων χειροκμήτοις,
Ἐντεῦθεν εἰς ἀλλόκοτον θρησκείαν ἐκτραπέντες
Θρησκεύειν ἐπενόησαν ἄλλοι θεοῖς ἀλλοίοις.
Αἰγύπτιοι δ' ἐξώκειλαν πάντων τῶν ἄλλων πλέον
Καὶ τὴν θρησκείαν ἤγαγον ἄχρι καὶ τῶν γελοίων.
Εὐτεῦθεν ἐσεβάσθησαν αἰλούρους, καὶ πιθήκους
Ἴβεις, καὶ τράγους, βόας τε, κύνας, καὶ κροκοδείλους,
Καὶ τ' ἄλλα προσωχθίσματα τῆς σφῶν φρένος βλαβείσης.

Quos quidem verſus politicos ſic verbatim pæne reddere potes: *Primus autem Seruchus uti ſculptilibus & ſtatuis cœpit, octavus e juſti Noæ poſteris. Nimirum hic Seruchus honorem priſcis deferens, tanquam rerum præclararum inventoribus, tanquam in præliando fortibus, tanquam principibus ſapientiæ, tanquam belli peritis, imagines, ſimulacra, columnas extruxit, velut ad memoriam beneficiorum ab iis profectorum: quod non intelligentes poſterorum plerique, non recte accepta Seruchi ſententia, ſtatuas inanimas, ceu Deos coluerunt, & ſculptilia mortalium facta manibus adorarunt. Inde peregrinum ad cultum cum deflexiſſent, alii Deos alios excogitarunt, quos venerarentur. Magis autem quam cæteri alii exorbitarunt Ægyptii, & uſque ad ridiculas res ſuperſtitioſi eſſe perrexerunt. Hinc factum, ut feles, & ſimias coluerint, ibides, & hircos, boveſque, canes, crocodilos, abominationes alias ab errore mentis profectas.*

Sexto denique quibuſdam placuit, Ninum illum Regem antiquiſſimum Idolorum primum cultorem facere: quem & D. Auguſtinus Κρόνον Saturnum interpretatur. Unius Gottofredi Viterbienſis locum adſcribam neceſſarium ex Chronicorum Parte 4.

Idola terrigenis referam quis condidit olim,
Regna cœli, cur jure poli, voluere coloni,
Expedit exponi pro ratione boni.
Dum moreretur homo Belus Rex in Babylone,
Filius ipſius Ninus dum regnat honore,
Mentis in ardore fata paterna dolet.
Patris ad effigiem fit regia grandis imago,
Quæ fuit in reliquis primæva maligna propago,
Idola nam peperit de quibus actor ago.
Nomen habet Beli, nimio venerata favore:
Servit ei regio, dat munera, placat adore;
Sic patrii effigiem Ninus honore fovet.
Quiſquis in imperio meruit proſcriptus haberi,
Aut aliquas pœnas potuit peccando mereri,
Ante pedes belli ſtans, bene ſalvus erat.
Hujus ad exemplum veterum cenſura parentum
Defunctis patribus ſic erigit Idola centum,
Et ſimili more ſemper honore fovet.
Idola fingentes per climata, per regiones,

 Per

Per varias linguas variabant Idola nomen,
Sicut & antiqui fama vocare ſolent.
A Belo dixere Bachal, lingua variatur:
Belzebus, & Balabum, ſeu Belſegor inde vocatur,
Sic variabat atrum nomen imago patrum.
Indeque falſorum data ſunt reſponſa Deorum:
Idola ſic fuerant habitacula Dæmoniorum,
Decipiunt populum, decipiuntque ſolum.
Verſus in errorem ſic idola mundus adorat:
Mundus eos putat eſſe Deos, veneratur, honorat,
Nulla creatoris juſſa vel acta ſonant.
Inde fit, ut quod Roma ſuis utens ſimulacris,
In ſummis ſervare ſuis ſolet Idola ſacris,
Et reveretur eos, dum putat eſſe Deos.
Quomodo Romana potuit ſapientia falli,
Sub ſpecie lapidis, vel ligni, ſive metalli?
Non alios miror deſipuiſſe viros.

Verſus decimus quintus corruptus eſt; ſed facilis cura, ſi legas:

Ante pedes Beli ſtans, bene ſalvus erat.

Verſus item vigeſimus primus mendoſus, quem ſic reſtitue manifeſto ſenſu:

Sicut & antiqui fana vocare ſolent.

Idolum certe quid ſit, deſcribit, & unde nomen deſumatur, docent eleganti volumine D. Cyprianus, & Iſidorus Hiſpalenſis libr. 8. Etymolog. cap. 8. verbatim tranſcribens Florentem Tertullianum libr. de Idololatria cap. 3. qui ibidem loci multiplicem uſum, & varietatem exponit: *Neque enim intereſt, an plaſtes effingat, an cælator exculpat, an phrygio detexat, quia nec de materia refert, an gypſo, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur Idolum.* Porro nonnulli a *dolo*, facto rei divinæ & cœleſti majeſtati, etymologiam deducunt; ſed quam bene, ipſi viderint; cum convenientibus nomini rebus aptius ab εἶδος, ſeu *forma* fuerit deducenda. Utcumque certe, Poëtis juxta Εἴδωλον atque Εἴδωλον uſurpatur, qui & ipſi acerbiſſime eorum graves pudendoſque cultus execrantur: & obſervat, licet rem parvi momenti, Menradus Moltherus. Aurel. Prudent. περὶ ςεφῶν.

Nunc monſtruoſis Idolis
Imponis Imperj jugum.

Et eodem opere:

Stabunt & vera innoxia
Quæ nunc habentur Idola.

Et in Romani Martyris agone:

Intrare ſervis Idolorum ac Dæmonum
Sanctam ſalutis non licet noſtræ domum.

Arator Diaconus in Acta Apoſtolorum libr. 2. fine:

Idola

Idola tot Romæ mundo collecta ſubacto:

Cœlius Sedulius Epiſcopus Scotus cultior iis libr. 1. Paſchalis Operis in principio:

Quid lapides, atque æra coli, quid fana profanis
Proderit, aut mutis animas damnare metallis?

Et eodem opere ad finem:

Quis furor eſt, quæ tanta animos dementia ludit,
Ut volucrem, turpemque bovem, tortumque draconem
Semihominemque canem ſupplex homo pronus adores?

Et paucis interjectis ibidem loci:

Lignea ligna rogas, ſurdis clamare videris,
A mutis reſponſa petis.

Commodianus MS. libr. 1. Cont. Gent. num. 2.

I *n lege præcepit dominus cœli, terræque mariſque:*
N *olite, inquit, adorare Deos inanes,*
D *e manibus veſtris factos ex ligno vel auro,*
I *ndignatio mea ne vos diſperdat ob iſta.*
G *ens ante Moſen rudis, ſine lege morata,*
N *eſcienſque Deum, morientes Deos orabant,*
A *d quorum effigies faciebant Idola vana,*
T *ranslatis Judæis Dominus de terra Ægypti*
I *mpoſuit legem poſtmodum, & iſta præcepit*
O *mnipotens, ſibi ſoli deſervire, non illis.*
D *e reſurrectione quoque docetur in ipſa,*
E *t ſpe, fortunatum rurſum in ævo vivendi,*
I *dola ſi vana relinquantur, neque colantur.*

Aurel. Prudent. libro toties laudato:

Condigna veſtris ſenſibus
Coli jubetis numina,
Exciſa fabrili manu,
Cavis recocta follibus,
Quæ voce, quæ greſſu carent,
Immota, cæca, elinguia.

Etru-

Etruſcorum inventum Religio, & modus urbem condendi: ea fuit, vomere æreo arare, taurum candidum vaccæ albæ jungere, quod in evertendis civitatibus obſervatum: iſque ritus Etruſcus dictus.

CAP. XV.

Religioſe, captatiſque auguriis *urbem condere* primi mortales omnes, ſaltem Italos, Etruſci docuere. M. Varro libr. 4. de Ling. Lat. *Oppida condebant in Latio, Etruſco ritu, multa, ideſt junctis bubus, tauro & vacca, interiori aratro circumagebant ſulcum: hoc faciebant religionis cauſa die auſpicato, ut foſſa & muro eſſent munita: terram unde excalpſerant, foſſam vocabant, & introrſum factum, murum: poſtea quod fiebat orbis, urbs: principium, quod erat poſt murum, pomœrium dictum, ejuſque ambitu auſpicia urbana finiuntur. Cippi pomœrii ſtant & circum Ardeam, & circum Romam; quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & urbo, urbes: & ideo coloniæ noſtræ omnes in literis antiquis, ſcribuntur urbes, quod item conditæ, ut Roma, & ideo coloniæ ut urbes conduntur, quod intra pomœrium ponuntur.* Locus clariſſimus, quo docemur omnem religionem in condendis urbibus ab Etruſcis profectam. Quod & Plutarchus confirmat in Romulo pag. 23. Ῥωμύλος ᾤκιζε τὴν πόλιν ἐκ Τυῤῥηνίας μεταπεμψάμενος ἄνδρας, ἱεροῖς τισθεσμοῖς καὶ γράμμασιν ὑφηγουμένοις ἕκαστα καὶ διδάσκοντας ὥσπερ ἐν τελετῇ. *Romulus condidit urbem, ad quod excivit Etruſcos, qui velut in myſteriis, ut quidque faciendum erat cærimoniis quibusdam & ſcriptis præſcripſerunt, docueruntque.* Quæ ſi vera ſunt, falsus Plinius, qui Cecropem urbem primam condidiſſe vult: nec verax Homerus, qui id Phoroneo adſignat: Ægyptiique decepti, qui Dioſpolim omnium urbium apud ſe primam fuiſſe volunt. Strabo libr. 17. niſi Etruſci primas in Italia urbes condidiſſe dicamus, quod & verum eſt. Ex hac Etruſca diſciplina cautum, ne quis urbem condere aggrederetur, prius quam captaſſet auguria, deorumque voluntatem exploraſſet. Jul. Solin. Polyhiſtor. cap. 2. *Auſpicato fundamenta murorum jecit.* M. Cicero libr. 1. Divinat. *Hujus urbis parens Romulus, non ſolum auſpicato urbem condidiſſe, ſed etiam ipſe optimus augur fuiſſe traditur.* Servius Maurus ad v. 136. libr. 3. Æneid.

Conubiis arviſque novis operata juventus.

Et ad illum v. 780. libr. 6. Æneid.

. . . viden, ut geminæ ſtent vertice criſtæ?

Pru-

Prudent. in Romani martyris agone:

Quod Roma pollet auſpicato condita,
Jovi ſtatori debet, & Diis ceteris.

Q. Ennius apud Iſidorum libr. 15. Etymologiar. cap. 1.

His nata auſpiciis illa inclyta Roma.

Idem apud M. Varronem libr. 3. de Re Ruſtica cap. 1. & Suetonium in Auguſto cap. 7.

Septingintei ſunt paulo plus minus anni
Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.

Idem apud Tullium libr. 1. de Divinat.

Curantes cura cum magna, concupientes
Regni, dãt operam ſimul augurio, auſpicioque
Huic Remus auſpicio ſe devovet.

Claudian. libr. de Bello Getico: ubi ipſa Roma de ſe:

Si mea manſuris meruerunt mœnia naſci
Juppiter, auſpiciis, ſi ſtant immota Sybillæ
Carmina.

Arabatur deinde. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 1. pag. 75. Καλέσας ἅπαντας εἰς τὸν ἀποδειχθέντα τόπον, περιγράφει τετράγωνον σχῆμα τῷ λόφῳ, βοὸς ἄῤῥενος ἅμα θηλείᾳ ζευχθέντος ὑπ' ἄροτρον ἑλκύσας αὔλακα διηνεκῆ, τὴν μέλλουσαν ὑποδέξεσθαι τὸ τεῖχος, ἐξ οὗ Ῥωμαίοις τοῦτο τῆς περιαρόσεως τῶν χωρίων ἐν οἰκισμοῖς πόλεων παραμένει. *Convocatis in deſtinatum locum omnibus, circumſcripſit collem figura quadrangula, junctis ad aratrum bubus, mare ac femina, ductoque ſulco perpetuo, unde Romanis hic mos circumarandi loca in condendis urbibus durat.* Poëtæ in hunc ſenſum paſſim. Sil. Italic. libr. 13. Punic.

Hoc agreſte Capys donum, cum mœnia ſulco
Signaret, parvæ jam tum deceptus amore
Nutrierat.

Q. Ennius in Andromeda apud Feſtum Pompejum libr. 19. in voce *urvat*. Et libr. 14. idem Feſtus *Sulcum primigenium* vocat. Ovid. libr. 4. Faſtor.

Apta dies legitur, qua mœnia ſignet aratro,
Feſta Palis ſuberant, inde movetur opus.

Virgil. libr. 5. Æneid.

. . . . urbem deſignat aratro
Sortiturque domos.

Et libr. 7. Æneid.

. . . ipſe humili deſignat mœnia foſſa,
Moliturque locum.

Mapphæus Vegius in ſupplemento Æneidos Virgilianæ:

Æneas urbem curvo deſignat aratro,
Fundabatque domos, & amictas aggere foſſas.

Vomer, quo arabant, erat æreus: quod, nullo auctore laudato, ut ſolet, notavit Cœlius Rhodiginus libr. 19. Variar. Antiquar. Lection. cap.

cap. 6. in principio. Sed id prodidit Carminius, *curioſiſſimus & doctus* vir, ut loquitur Aurelius Macrobius libr. 5. Saturnal. cap. 19. Hæc itaque Carminii ſunt libr. 2. de Italia verba: *Prius itaque & Tuſcos æneo vomere uti, cum conderentur urbes, ſolitos, in trajectitiis eorum ſacris invenio, & in Sabinis ex ære cultros, quibus Sacerdotes tonderentur*. Plutarchus loco proxime ſupra laudato: Ο' δὲ οἰκιςὴς ἐμβαλὼν ἀρότρῳ χαλκῆν ὕνιν, ὑποζεύξας δὲ βοῦν ἄῤῥενα καὶ θήλειαν, αὐτὸς μὲν ἐπάγει περιελαύνων αὔλακα βαθεῖαν τοῖς τέρμασι. *Conditor aratro æreum vomerem adjungit, junctiſque bobus, mare & femina, ipſe circum lineamenta profundum inducit ſulcum*. Aratrum vero ipſe conditor tenebat. Si tamen, ut in Carthagine condenda, Babylone, aliiſque civitatibus contigit, *mulier ponendæ urbis auctor fuiſſet, id muneris penes architectos relinquebatur;* ut loquitur Servius Honoratus ad illud Virgilii libr. 1. Æneid.

Inſtant ardentes Tyrii.

Aratrum qui dirigebat, laciniam togæ in humerum dextrum rejiciebat, ſeſeque cingebat, vel quia ille ſacris operantium erat habitus, atque opus illud inter ſacra numeratum: vel ut commodius ſtivam tenere poſſet: vel denique ut multitudinem civium togato, hoc eſt pacifico ſtudio, fovendam oſtenderent, neque ſolum bellicis artibus civitates vigere, ſed multo magis pace florere. M. Manil. libr. 4. Aſtronom.

. . . . rituque Gabino
Mœnia ſuccinctus, curvo deſcribit aratro.

Boves duo tantum eſſe poterant, iique albi coloris, & ſexus diſparis, puto, ut lætitia numeroſæ ſobolis proventu denotaretur, matrimoniique ratio haberetur, quod legitimum inter marem & feminam Reſpublicas auget ac tuetur. Ovid. libr. 4. Faſtor.

Ipſe tenens ſtivam, deſignat mœnia ſulco,
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

Exteriori aratri parti taurus, interiori vero vacca jungebatur. Servius Maurus ad libr. 4. Æneid. pag. 326.

. . . . cui littus arandum
Cuique loci leges dedimus:

Et quoniam *unumquodque eodem modo definit, & ſolvitur, quo cœperat;* ut verbis utar Ulpiani J.C. l. 30. ff. Reg. Jur. & Pauli J.C. l. 295. ff. eod. aratro circumducto, ut condebantur urbes, ita evertebantur aratione. Servius loco proxime laudato, notatque Cœlius Rhodiginus libr. 7. Antiquar. Lection. cap. 18. & libr. 14. cap. 5. Modeſtinus J.C. l. 21. ff. quib. mod. Uſusfr. amitt. *Si uſusfructus civitati legetur, & aratrum in ea ducatur, ut paſſa eſt Carthago, civitas eſſe deſinit, ideoque quaſi morte ceſſat habere uſumfructum*. Et ſicuti conſul, prætor, aut tribunus conſulari poteſtate, aut quilibet alius exercituum Romanorum imperator, dum coloniam deduceret, aratro muros deſignabat; ita in coloniis, municipiiſque delendis, penes eundem poteſtas erat. M. Lucan. libr. 7. Pharſal. Sar-

Sarmaticumque premet ſuccinctus Conſul aratrum.

Helenius Acron ad Horat. libr. 1. od. 16. *Hæc conſuetudo fuit condendis, atque evertendis urbibus, ut aratro fieret.* Ipſe Poëta:

. . . . , urbibus ultimæ
Stetere cauſæ, cum perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

Alludunt Poëtæ. P. Ovid. Epiſt. 1. Heroidum:

Nunc ſeges eſt, ubi Troja fuit, reſecandaque falce
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.

Virgil. libr. 3. Æneid. principio:

Et campos, ubi Troja fuit.

Denique, quemadmodum civitas dicitur habere uſumfructum, ita & vivere, ſeneſcere, florere, mori, eodem, quo homines, more. Vetus Poëta Græcus apud Petrum Fabrum Saviorianum libr. 1. Semeſtr. cap. 9. Et alius anonymus in Anthologia libr. 1. cap. 90.

Τὴν πόλιν οἱ νέκυες πρότερον ζῶσαν κατέλειψαν
Ἡμεῖς δὲ ζῶντες τὴν πόλιν ἐκφέρομεν.
Hanc civitatem mortui prius vivam reliquerunt,
Nos vero vivi civitatem efferimus.

Etruſcorum inventum Pomœrium: & ipſum locus conſecratus.

CAP. XVI.

Ex ejuſdem Etruſcæ diſciplinæ præſcripto, & inventione *Pomœrium* profluxit, ideſt locus ſacer, augurioque inviolabilis, intra & extra deſcriptam foſſam. M. Varro, initio capitis præcedentis laudatus, & Plutarchus etiam eodem, quo ibi expoſui, loco: πωμήριον, ὄπισθεν τείχους, καὶ μετὰ τεῖχος. *Pomœrium poſt muros, & prope muros.* Quo loci Romulum ea religione a Tuſcis ordinaſſe docet. Nec ſane ulla civitatum extra Italiam Pomœria habuit, claro argumento a religioſa Etruſcorum obſervatione id tractum. Elegans eſt locus T. Livii 1. Decad. libr. 1. in rebus Servii Tullii: *Aggere, & foſſis, & muro urbem circumdat, ita pomœrium profert. Pomœrium, verbi ſolam vim intuentes, poſt mœnium interpretantur eſſe. Eſt autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus, quondam Etruſci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis augurato conſecrabant; ut neque interiori parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt: & extrinſecus puri aliquid ab humano cultu pateret ſoli,*

ſoli. Hoc ſpatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod poſt murum, quam quod murus poſt ipſum, Pomœrium Romani appellarunt. Et in urbis incremento ſemper, quantum mœnia proceſſura erant, tantum termini hi conſecrati proferebantur. Ut res tota clarior ſit, neque amplius, quin hoc ſit inventionis Tuſcanicæ, dubitari a doctis poſſit, unum Q. Fabii Pictoris libr. 1. de Aureo Seculo locum apponam. *Vinum & far primus illos docuit Janus, ad ſacrificia verius & religionem, quam ad eſum; primus enim aras, & Pomœria, & ſacra docuit.* De quo auctore, & ſi eum genuinum non credam; tamen ne quid Lector deſideraret, ſiluiſſe eum nefas duxi, qui in hoc ſaltem operi huic noſtro prodeſſet, quod ab aliis probatis ſcriptoribus digniſque fide, dicta approbaſſet.

Pomœrium vero hoc proferre ii tantum poterant, qui Rempublicam agris ab hoſtibus captis auxiſſent. Fl. Vopiſc. in Aureliano. C. Tacit. libr. 12. Annal. *Mox pro fortuna Pomœrium auctum.* Nec id inconſultis auguribus. Meſſalla libr. 1. de Auſpiciis. Et Elis Grammaticus in veteri Commentario, apud A. Gell. libr. 13. cap. 14. Et licet Numa nihil novo regno adjeciſſet, tamen protulit pomœrium. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 2. Huc pertinet Tabulæ æneæ fragmentum, in qua Romæ ad Lateranenſem ædem privilegium hoc Veſpaſiani repertum (1).

Utique . ei . fines . pomerii . proferre .
promovere . cum . ex . republica . cenſebit .
Eſſe . liceat . ita . uti . licuit . Ti. Claudio .
Caeſari . Aug. Germanico .

Vetus etiam marmor Romæ, ad D. Luciæ effoſſum, huc quadrat (2):

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII.
CENSOR. P. P
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAℲIT. TERMIAℲITQ.

Terminabatur autem Pomœrium cippis quibuſdam, ut ex M. Varronis verbis ſupra capite præcedenti laudatis liquet. Et docent antiquæ Inſcriptiones apud Onufrium Panvinium. Prima (3).

C. MAR-

(1) Apud Grut. pag. 244. (2) Apud eund. pag. 196. n. 4. (3) Apud eundem pag. 196. n. 2.

C. MARCIVS. L. F. L. N.
CENSORINVS.
C. ASINIVS. C. F. GALLVS.
COS
EX. S. C. TERMIN.
A. R. PROX. PED. XLV.

Et alia extra portam Flaminiam reperta (1):

IMP. CAESAR. DIVI. F
AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. XVII.
EX. S. C. TERMINAVIT.
R. PROX. CIPP. PED. CLXVIS

Tertia reperta non longe Tiberi, in hæc verba (2):

C. MARCIVS. L. F. L. N.
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS
EX. S. C.

FIN. POMER. TERMIN.

(1) Apud Grut. pag. 196. n. 3. (2) Apud eund. pag. 196. n. 2.

* *Etruſcorum inventum foſſa muniendis urbibus, quæ & ipſa conſecrata.*

CAP. XVII.

MUnimentum urbium, ſive foſſam, mœnibus adjectam, invenerunt etiam Etruſci, docent M. Varronis verba cap. 15. ſupra a me laudata. Plutarch. in Romulo pag. 23. ubi ait, eum *ab Etruſcis edoctum, ut Etruſco ritu foſſam deſcriberet:* βόθρος γὰρ ὠρύγη περὶ τὸ νῦν Κομίτιον κυκλοτερής. *In comitio foſſa eſt rotunda circumducta.* Adſcribam Latina, quæ ibidem loci ſequuntur verba, brevitatis ergo. *In eam foſſam primitias detulerunt omnium, quæ de more, ut bonis natura, utebantur ut neceſſariis: poſtremo ex qua quiſque advenerat regione, ejus terræ portiunculam collatam, eo conjecerunt, & commiſcuerunt: foſſam hanc eodem, quo cælum nomine, Mundum vocaverunt.* Sane ex Etruſco ritu nihil aliud eſt foſſa hæc, quam ſulcus, qui aratro circumducto, ut jam docui ſuperius, imprimebatur. Servius Maurus ad libr. 7. Æneid. pag. 455. Neo adeo fuiſſe veterem morem foſſis mœnia includero innuit P. Ovid. libr. 1. Metamorph.

Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ.

De quibus, qui plura cupis, adi ad Fl. Vegetii de Romana Militia opus elegans, & Juſti Lipſii doctoris quondam Lovanii mei libros Poliorceticωn, qui omnia huc ſpectantia te docebunt. Ego ad alia pergo.

Etruſcorum inventum muri urbium: & ipſi ſacra religione erecti: ampliari, reficique ab imperatore ſoliti.

CAP. XVIII.

SEquitur in Varrone cap. 15. ſupra laudato, muros ab eadem diſciplina Etruſca ortos. Plutarch. in Romulo pag. 23. Verba Latina, quia propero, ne duplicato labore majus opus excreſcat, hæc ſunt: *Ubi portam deſignare viſum eſt, vomere exempto, atque aratro ſublato, ſpacium relinquunt, unde totum habent Etruſci murum, præter portas, ſacrum; nam eas ſi ducerent ſacras, religioſum eſſet neceſſaria & impura in urbem recipere & exportare.* Quæ

accu-

accuratius in Problematis Romanis repetit cap. 27. tu vide locum: M. Cato in fragmentis: *Captato augurio qui urbem novam condebat, tauro & vacca arabat: ubi araſſet, murum faciebat: ubi portam volebat eſſe, aratrum tollebat, & portam vocabat.* Quomodocumque ergo muri poſterioribus turriti, ornati, pinnati fuerint, prima certe ſua exordia, ſecundum hos auctores, ab Etruſcis habuerunt: neque audio indoctiſſimum Polydorum Virgilium, qui libr. 3. de Rer. Invent. cap. 9. Thraſonem omnium primum contendit muros feciſſe.

Etruſci, ut foſſam urbis vocabant *Mundum*, ex Plutarcho proxime ſuperiori adducto capite; ita & Cœlum eleganter *Mundi mœnia* dixerunt. Notat Obertus Giſanius in Indice Lucretiano. Ipſe T. Lucretius libr. 1.

. . . . extra
Proceſſit longe flammantia mœnia mundi.

Et eodem libr. ad finem. Et libr. 5.

Lunamque efficerent, & magni mœnia mundi.

Imitatus eſt M. Manilius libr. 3. Aſtronomic.

Cum tantas ſtrueret moles per mœnia mundi.

Muros hos, ſeu mœnia, non magis quam pomœrium, nemo niſi imperator exercitus, aut magiſtratus, qui Rempublicam auxiſſet, aut transferre, & alio loco erigere, aut reparare poterat. Videnda Inſcriptio vetus apud Gruterum pag. 165. n. 1.

De hac murorum urbis Romæ, per Stiliconem Auguſtorum tutorem, & utriuſque militiæ præfectum, reſtauratione, Zoſimus libr. 2. Hiſtor. & alii, quos omitto, Poëtis contentus. Cl. Claudian. de 6. Honorii Conſulatu:

. . . . addebant pulchrum nova mœnia vultum
Audito perfecta recens rumore Getarum,
Profecitque opifex decori timor, & vice mira,
Quam pax intulerat, bello diſcuſſa ſenectus,
Erexit ſubitas turres.

D. Paulin. Nolæ Epiſcopus Natali 4.

. . . . . fidant legionibus illi
Perfugioque parent reparatis mœnia muris.

Etru-

Etruſcorum inventum ſacrum Nuptiale, quod porco fiebat, auſpiciis præviis.

CAP. XIX.

Religioſa Etruſcorum inventa claudet hic ſolemnis, ſacerque Nuptiarum apparatus, quo nullus illuſtrior, aut in Italia, ut puto, vetuſtior. M. Terentius Varro libr. 2. Rei Ruſt. cap. 4. *A Suillo enim genere pecoris immolandi initium primum ſumptum videtur, cujus veſtigia, quod initiis Cereris porci immolantur: & quod initiis pacis, fœdus cum feritur, porcus occiditur: & quod Nuptiarum initio antiqui Reges, ac ſublimes viri in Etruria in conjunctione nuptiali, nova nupta, & novus maritus primum porcum immolant. Priſci quoque Latini, & etiam Græci in Italia idem factitaſſe videntur; nam & noſtræ mulieres, & maxime nutrices, naturam, qua feminæ ſunt, in virginibus appellant porcum, & Græci χοῖρον, ſignificantes eſſe dignum inſigni nuptiarum.* Ex quibus certum, primam hoſtiam ex Etruſca diſciplina fuiſſe porcam, eamque Cereri immolatam: vel quod illa Dea Nuptiis præſit. Calvus antiquus Poëta:

Et leges ſanctas docuit, & chara jugavit
Corpora conjugiis, & magnas condidit urbes.

Multa invenies libr. 2. Antiquitat. Romanar. annotata a me cap. 11. vel certe, quia animal illud frugibus ſit valde inimicum. Ovid. libr. 1. Faſtor.

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ,
Ulta ſuas merita cæde nocentis opes.
Nam ſata vere novo teneris lactentia ſuccis
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.

Ex hoc fonte defluxit, ut porcum immolarent initiandi ſacris ejus Deæ, qui ideo myſticus dictus, aut myſtica hoſtia. Alb. Tibull. libr. 1. Eleg. 10.

At nobis ærata lares depellite tela,
Hoſtiaque a plena myſtica porcus hara

Qui locus in pleriſque corruptiſſimus eſt, legiturque:

Hoſtiaque a plena ruſtica porcus hara.

Sed doctior convenentiorque eſt prima lectio, quæ debetur eruditiſſ. Hadriano Turnebo libr. 29. Adverſar. cap. 32. Poſteriorem tamen lectionem ſecuti ſunt Achilles Statius Neapolitanus, & Lævinus Torrentius ad Horat. libr. 3. od. 23: Et de Eleuſinæ Cereris ſacris abunde dixi ad Claudianum libr. 1. de Raptu Proſerpinæ ſtatim in principio. Porca eadem Laribus immolata juxta ac Cereri. Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 1. Par-

Parva ſaginati luſtrabant compita porci.

Horat. loco laudato:

Si thure placaris, & horna
Fruge Lares, avidaque porca.

Et libr. 2. Sat. 3.

. . . . : *immolet æquis*
Hic porcum Laribus.

Ex eadem Etruſca diſciplina porcus immolari ſolitus in ſanciendis fœderibus; unde Grammatici deducunt *fœdus* a porca *fœde* mactara. Feſtus Pompejus libr. 6. in voce *fœdus*, & Iſidorus libr. 18. cap. 1. Servius Maurus ad libr. 1. Æneid. pag. 172. *Fœdus autem dictum, vel a Fœcialibus, qui olim fœdales dicebantur, ideſt Sacerdotes, per quos fiunt fœdera: vel a porca fœde, hoc eſt lapidus . . . . occiſa*; ſed corrige, & lege *lapidibus occiſa*. Et ad libr. 8. Æneid. pag. 525. *Fœdera, ut diximus, dicta ſunt a porca, fœde & crudeliter occiſa; nam cum ante gladiis configeretur, a Fœcialibus inventum, ut ſilice feriretur, ea cauſa, quod antiquum Jovis ſignum lapidis ſilicini putaverunt eſſe. Cicero fœdera a fide putat dicta; ſed hujus porcæ mors optabatur ei, qui a pace reſiliſſet: falſo autem ait, porca; nam ad hoc genus ſacrificii porcus adhibebatur.* Forma univerſa fœderis ita graphice a T. Livio deſcripta eſt in rebus Tulli Hoſtilii 1. Decad. libr. 1. ut nihil poſſit addi; in fine hæc ſunt: *Si prior defexit publico conſilio, dolo malo, tu illo die, Jupiter, populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque. Id ut ita dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit.* Vide locum ipſum.

Porcum hunc non prius ſponſus ſponſæque mactabant, quam ex Etruſco ritu auſpicia fuiſſent legitime captata, & renuntiata. Valer. libr. 2. cap. 1. *Apud antiquos, non ſolum publice, ſed etiam privatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto: ex quo more Nuptiis etiamnum interponuntur auſpices, qui quamvis auſpicia petere deſierint, ipſo tamen nomine veteris conſuetudinis veſtigia uſurpant.* Quæ ille, ut pleraque alia a Cicerone mutuatus eſt libr. 1. Divin. *Quod in nuptiarum auſpiciis declarant, qui re omiſſa, nomen tenent.* Et in Orat. pro A. Cluentio. *Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis actoribus.* Frequentiſſima ejus ritus mentio apud probatos Scriptores, obſervatioque C. Tacit. libr. 11. de Nuptiis Silii & Meſſalinæ: *Prædicta die adhibitis qui obſignarent, velut ſuſcipiendorum liberorum cauſa conveniſſe, atque illam audiſſe auſpicum verba, ſubiiſſe, ſacrificaſſe apud Deos, diſcubitum inter convivas, oſcula, amplexus, noctem denique actam licentia conjugali.* Idem libr. 15. Annal. in Nuptiis Neronis principis, & Pythagoræ exoleti. *Paucos poſt dies uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit, in morem ſolemnium conjugiorum denupſit, inditum Imperatori flammeum, miſit auſpices duos.* C. Sueton. Claudio cap. 26. *Quam, cum comperiſſet, ſupra cetera flagitia, atque dedecora, C. Silio etiam nupſiſſe, dote inter auſpices*

ſpices conſignata, ſupplicio affecit. Q. Symmach. libr. 4. Epiſt. 14. *Cum filios noſtros jugali fœdere ſociare vellemus, primum ſuper hoc magnificentiam tuam meditatio noſtra conſuluit, ut cœpti felicis auſpicium a parente publico ſumeretur*. Ubi Symmachus auſpicium pro Nuptiis uſurpat. Idem libr. 6. Epiſt. 3. *Sororem Poppæam olim viro maturam, te auſpice, in manum optat accipere*. Critici Servii Mauri ad libr. 1. & libr. 6. Æneid. verba alibi poſuere, quæ non exſcribo. Vetus Scholiaſtes D. Juvenal. ad Satyr. 10. v. 336. *Auſpices ſolebant Nuptiis intereſſe*. Vetus marmoris cujusdam Gallici fragmentum, quod adſcribam, quod eo & *coëmptio* & *faces* Nuptiales, & *deductio domum* contineantur.

COS. AVG. PVB. CLAVDIO
QVAES. AER. ANTONINAM
VOLVNIAM. VIRGINEM. VO
LENT. AVSPICIB. A. PARENTIBVS
SVIS. COEMIT. ET. IIII. FAC.
IN. DOM. DVX.

Ita & Poëtæ Latini intelligendi. Cl Claudian. libr. 1. in Ruffin.

. . . . hac auſpice tæda
Oëdipodem matri, natæ junxere Thyentem.

Et libr. 2. in Ruffin.

. . . . . . dilecta hic pignora certe,
Hic domus, hic proprium tædis genialibus omen.

Et in Epigrammatis de laude Serenæ:

Atque utinam ſub luce tui contingeret oris
Conjugis in caſtris, vel ſolio generi,
Optatum celebrare diem, me jungeret auſpex
Purpura, me ſancto cingeret aula choro.

Et libr. 2. de Raptu ad finem:

. . . . tangēſque cubile
Omina perpetuo genitalia fœdere ſancit.

Sic ex MS. meo repoſui, cum antea legeretur:

Omnia perpetuo genitalia fœdere ſancit.

L. Apul. libr. 1. Mileſiar. *Vix effatum, me ſtatim familiares omen nefarium execrati, raptis cujuſque modi telis proſequuntur*. Peſſime antea legebatur: *familiares omnes nefarium execrati*. Et in libro de Deo Socratis idem ſcriptor corruptus in eadem dictione: *quum præterea ſi omnia obſervitaret*; ſed legendum eſt omnino: *ſi omina obſervitaret*. Ita legit cultiſſimus Joſias Mercerus ad Ariſtenætum libr. 1. Epiſt. 3. Omina igitur ſunt Nuptialia auſpicia, & ut in genere dicam, *rerum futurarum, ſeu bonarum, ſeu malarum ſigna*. Ut prodidit Luctatius Placidius ad libr. 6. Thebaidos Statianæ v. 932. in qua voce plerique auctores corrupti, ut oſtendi libr. 3. Antiquitat. Romanar. cap. 8. In hiſce captan-

ptandis auguriis apud Romanos *optimum augurium ab accipitre circo*, ut verbis utar C. Plinii libr. 10. cap. 8. at in Etruſca diſciplina principatum tenebat *Aquila*, cujus volatu illa gens regebatur, obſervavit Porphyrius philoſophus libr. 3. περὶ ἀποχῆς, & ex eo Iſaacus Caſaubonus ad Lampridii Severum. Præſides hiſce auſpiciis ſive auguriis *Pilumnus & Picumnus*. M. Varro referente Nonio Marcello cap. 12. Iterum audiendi Poëtæ. Martian. Capella libr. 1. de Nupt. Merc. & Philolog. princ.

Connubium Divum componens Calliopæa
Carminis auſpicio te probat annuere.

Et eodem libro ad finem:

Junguntur paribus, nam decet, auſpiciis,
Et noſtris cumulent aſtra nepotibus.

Corruptus eſt prior verſus imperitorum librariorum incuria, ut frequenter alias, qui pentametrum putarunt, cum ſit Aſclepidiadus; ſed levi opera corrigi poteſt, ſi legatur:

Jungantur paribus, nam decet, auſpicls.

M. Plaut. Caſina in fine prologi:

Ultro ibit nuptum, non manebit auſpices

L. Seneca Medæa:

Per ego auſpicatos Regii thalami rogos.

Et ead. Tragœd. in choro Act. 1.

Et tu qui facibus legitimis ades
Noctem diſcutiens auſpice dextera.

Et in Troade Act. 4. ſc. 1.

Quicumque Hymen funeſtus, illætabilis,
Lamenta, cædes, ſanguinem, gemitus habens,
Et auſpice Helena dignus.

M. Lucan. libr. 2. Pharſal. de Martiæ & Catonis Nuptiis:

Junguntur taciti, contentique auſpice Bruto.

Virgil. libr. 1. Æneid.

. . . . *primiſque jugarat*
Ominibus.

Et libr. 4. Æneid. de Nuptiis Didonis & Æneæ:

Dis equidem auſpicibus reor, & Junone ſecunda
Huc curſum Iliacas vento tenuiſſe carinas.

Dos deinde in manus auſpicum conſignabatur. Tacit. libr. 11. Annal. ſupra laudatus hoc capite. Veteres gloſſæ Philoxeni pag. 80. *Dos* φερνὴ, προὶξ, & ibidem *dotale ſtrumentum*, lege *inſtrumentum* προικῷον, *dotanda*, προικιζομένη. & pag. 387. ἀποδημητικὴ προὶξ, ἡ παρὰ τοῦ πατρὸς διδομένη *profectitia dos*. Non legi alibi tam belle dotis profectitiæ naturam explicatam. Obiter quædam P. Auguſt. Morlana Lentinus Emporio Juris

ris pag. 82. Qui plura de Nuptiarum antiquo ritu, Romanaque conſuetudine cupis, non erit operæ, ut puto, pœnitendæ, ea conſulere, quæ ſcripſi libr. 5. Romanar. Antiquitat. cap. 37.(1)

Janus apud Etruſcos Monarchiam invexit: perfectiſſimus regnandi ſtatus: Regis elevatio in clypeo.

CAP. XX.

SIc ſe habent ſacra Etruſcorum inventa, qui altiſſimas ſuperſtitionis ſuæ radices olim egerunt: ſequuntur Regalia. Itaque cum gentes omnes, ac maxime Itali, ferina quadam conditione, totaque vita longe ab humanitate remota, ævum agitarent, repertus eſt Italiæ conditionem miſertus Janus, Etruriæ indigena, qui primus Regiam Majeſtatem ſtabilivit, manſuramque poſteris tranſmiſit. Arnob. libr. 3. Cont. Gent. *Incipiamus ergo ſolemniter a Jano & nos patre, quem quidam ex vobis Mundum, Annum alii, Solem eſſe prodidere nonnulli; quod ſi accipiemus, ut verum ſit, ſequitur, ut intelligi debeat, nullum unquam fuiſſe Janum, quem ferunt Cœlo atque Hecate procreatum, in Italia regnaſſe primum, Janiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generum, Juturnæ maritum.* Ex quibus verbis clariſſime liquet, Janum primum omnium in Italia regnandi optimum ſtatum, ſive Monarchiam inſtituiſſe: ad quam ſi Etruria longo jam veluti poſtliminii jure, tot vexata ſeditionibus, ſolida pace fundata redierit, id non tam fortunæ omnia volventi, quam incredibili Sereniſſimorum Medicæorum virtuti, & ſanctitati adſcribendum. Jam vero Monarchiam longe præſtantiſſimum imperandi genus eſſe, & Democratiam furori tumultuantis plebeculæ ſubjectam, & Ariſtocratiam libidine paucorum Rempublicam exhaurire, in confeſſo eſt, & civitates eas dominandi formas ſecutæ, magno ſuo malo edoctæ loquuntur, cum ab uno capite facilius in omnia membra imperium demandetur, & minori invidia premantur populi, qui facilius ab uno, quod cupiunt, quàm a multis, videntur conſecuturi. Ideo Reges ſunt in Jovis tutela, non minus quam milites in Martis eſſe poteſtate crediti. Callimachus Hymno Jovis. Sed hæc extra orbitam meam, & diſputat docte Fr. Junius Quæſtionum Politicarum parte 1. Unici Homeri teſtimonium ſufficiet, & Euſtathii Archiepiſcopi judicium libr. 2. Iliad. v. 204.


Οὐκ

(1) Hic apponenda duximus duo monumenta, ex quibus apparet, Etruſcos in Nuptiis dexteras conjungere, faceſque adhibere ſolitos fuiſſe, ac nonnulla Numina Nuptiarum præſides reputaſſe.



Vrna Fictilis Clusii In prospectu Templi Coenobitarum S. Francisci

2



Clusij In Vrna Fictilis : Apud C.V. Antonium Bottarelli Sozzi.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω
Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας . . . .
Non eſt bonum multorum dominatus, unus Dominus eſto,
Unus Rex, cui dederit Saturni filius verſuti
Sceptrumque & jura . . . .

Exemplum Jani poſtmodum ſecutæ aliæ Italiæ, & totius mundi habitabilis gentes; nam ſi verum eſt, quod multi tradunt, ſexageſimo, aut, ut ſummum, centeſimo poſt diluvium Noæ anno Janum vixiſſe, pauca erunt in toto orbe terrarum regna, Etruria antiquiora. Sic & Romani primis ducentis quadraginta quatuor annis Reges habuere: quibus exactis, tanto odio flagravit, tantæque ſubjectum invidiæ nomen Regis fuit, ut nullum gravius crimen Cæſari objectum, quam quod Rex eſſe voluerit; & tamen Cajus Caligula, ut narrat Suetonius in eo cap. 22. *Non multum abfuerit, quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemque principatus in Regni formam converteret*. Quod poſt eum Aurelianus Auguſtus cupide affectavit. Fl. Vopiſc. in illo. Appianus & Synæſius ab Iſaaco Caſaubono, viro docto, in hoc laudati. Tum vero iterum in contumeliam idem illud nomen eſt verſum, & Reges per contemptum *ῥῆγας* vocarunt. Procop. libr. 1. de Bello Gotthico.

Illud denique de Regibus addendum, electos, aut ut frequentius, jure ſuccedentes hæreditario, conſueviſſe clypeo imponi, humeriſque attolli militum, ut ab omnibus viſi agnoſci poſſent, & adorari. Jul. Capitolin. in Gordiano: *Propere ventum ad oppidum Tyſdrum, inventuſque ſenex venerabilis, poſt juriſdictionem jacens in lectulo, qui circumfuſus purpura, humi ſe abjecit, & detrectans, elevatus, & imperatorem ſe appellari paſſus eſt*. Idem in Maximo & Balbino: *Inter hec Gordianus Cæſar ſublatus a militibus, imperator eſt appellatus*. Nicephorus Gregoras non uno loco, & video præoccupatum ab erudito Petro Pithæo libr 2. Subſicivor. cap. 6. Curopalates, ſive Georgius Codinus libr. de Offic. aulæ Coſtantinop. *Νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου καθεσθεὶς ἐπαίρεται εἰς ὕψος*. *Novus imperator ſcuto inſidens, in altum attollitur*. Nicephorus Choniates in Alexio Emanuelis filio. Zonaras Drungarius in Juſtiniano. Ammian. Marcellin. libr. 20. *impoſitus*, Julianus a Gallicanis militibus, *ſcuto pedeſtri, & ſublatius eminens, populo ſilente, Auguſtus renunciatus, jubebatur diadema proferre*. Pulcherrimum habes exemplum apud Nicephorum Calliſtum libr. 4. Caſſiodorus videtur mendoſus libr. 10. Epiſt. 31. *Judicamus parentes noſtros Gothos inter procinctuales gladios, more majorum ſcutorum ſuppoſito, regalem nobis contuliſſe, Deo præſtante, dignitatem*. Hæc eſt in vulgatis pæne omnibus Codicibus lectio, ſed corrige, *more majorum ſcuto ſuppoſito*. C. Tacit. libr. 4. Hiſtor. *Impoſituſque ſcuto, more gentis* Caninefatium, *& ſuſtinentium humeris vibratus, dux eligitur*. Poëtæ. Claudian. de 4. Hon. Conſul.

 At

At mox cum ſolita miles te voce levaſſet.

Corrige, & fidenter lege:

At mox cum ſolito miles te more levaſſet.

Corippus African. num. 5. lib. 2. de Reb. Juſtini:

Quatuor ingentem clypeis ſublimibus orbe
Attollunt lecti juvenes, manibuſque levatus,
Ipſe miniſtrorum ſupra ſtetit.

Etruſcorum inventum inſignia Regni, ſeu Principatus: obiter de Diademate Regio.

CAP. XXI.

MAjeſtatem hanc Regiam a ſe inventam, & veluti pro ſeculi illius rudis conditione, nudam, inermemque, inſignibus iidem Etruſci decorarunt, & præſidii terrore cinxerunt. Q. Symmachus libr. 3. Epiſt. 11. *Non ſilebo alterum munus opuſculi tui, quo priſcam Rempublicam civitatis bujus ex libro Græco in Latinum tranſtuliſti: arma a Samnitibus, inſignia a Tuſcis, leges de lare Lycurgi, & Solonis ſumpſeramus: tuus nobis poſt hæc addidit labor peregrina monimenta, quæ jam ſeneſcunt. Nunc vero civitas noſtra populorum omnium parens facta eſt: docere poteſt ſingulas antiquitates ſuorum.* Hæc qualia ornamenta Regia, aut inſignia fuerint, partim vide libr. 2. cap. 2. hujus operis, partim in ſequentibus hoc ipſo libro dicetur. Et quoniam Suetonius, proxime laudatus, dixit, Caligulam voluiſſe ſe Regem profiteri, ſumpto diademate; hic pauca de eo. Uſus ſcribitur illo omnium Romanorum Principum primus Aurelianus Auguſtus. Pub. Victor in eo. Nam maximam affectatæ tyrannidis opinionem incurrit Cæſar Dictator, quod a Collega ſuo M. Antonio *Diadema* voluerit *capiti ſuo imponi*. Narrat Suetonius cap. 79. Et Caſſiodorus in Chronico Conſulari. Erat enim externorum magis Principum, quam Romanorum geſtamen, quod *purpureum Perſis* ſcribit libr. 6. Curtius, eſſe *diſtinctum albo*. Et ea de cauſa Tacitus libr. 6. Annal. *Albentibus ſpumis in modum diadematis ſinuare orbes* dixit. Ex quibus apertum puto, nihil aliud eſſe Diadema, quam vittam verſicolorem, ſeu tæniam cingendo capiti, licet ſciam Heliogabalum *gemmato diademate voluiſſe uti*, ut ab Ælio Lampridio in ejus vita proditum eſt; illa enim bellua omnia miſcebat, cum Romano more nudum eſſet Diadema. Juvenal. Sat. 8. v. 259. & Satyr. 13. v. 105. Artemidorus videatur libr. 1. Oneirocriticon cap. 18. Sidon. Apollinar. carm. 2. princip. Sil. Italic. libr. 16. Punicor.

Indui-

Induitur chlamydem, regnique inſigne vetuſti.
Geſtat læva decus, cinguntur tempora vitta
Albenti, ac lateri de more aſtringitur enſis.

Dixi ad illud Claudiani de 3. Hon. Conſul.

Et ſacro ornatus meritos diademate crines.

Et ad illud libr. 2. de laudib. Stilicon.

Nam domus hæc utroque petit diademata ſexu.

Et ad illud de Nupt. Honorii & Mariæ:

Accipe fortunam, generis diadema reſume.

Illud tamen addendum hic, moris fuiſſe olim, ut nobiliores defunctos aurea corona inſignirent; quod ex Cicerone in Oratione pro Q. Flacco, & ex Ariſtophane, genere ſcriptiſque clariſſimus Petrus Victorius obſervavit libr. 11. Variar. Lect. cap. 7. & præcipuè Reges, Corippus Africanus libr. 1. num. 13. & de omni regio cultu Ælianus Var. Lect. libr. 12. cap. 64. Diadema etiam imponebatur novi Imperatoris capiti. Idem libr. 2. num. 6. geſtabatque illud idem, cum Legatos admittebat. Idem libr. 3. num. 7. Sed & dum conſulatum inibant Principes, Diadema induebant. Idem libr. 4. num. 3. quem vide, nec enim otium excribendi.

Nobiles Romani ſe ab Etruſcis originem ducere gloriabantur: Nobilitatis diſcretio, & nota, ſcilicet bulla, aurea illa: Laribus ſuſpendebatur: plebeii, & libertini lorum geſtabant.

CAP. XXII.

MAjeſtatem ſic inſtitutam, armatamque ſequitur nobilitas, quæ iisdem Tuſcis auctoribus prodiit. Pſeudocornutus, aut quilibet vetus Grammaticus ad A. Perſii Satyt. 3. v. 27. *Stemmate quod Tuſco. An oporteat te arrogantia inflatum diſſilire, quod in aliquo nobili Tuſco ſtemmate, milleſimus a magno auctore numereris, & ramum aliquem ac lineam ſucceſſionis a genealogo in ſtemmate numeratus obtineas?* Et paucis lineis interjectis, apud eundem ſequitur: *Tuſco autem dixit, quod nobiliter in Etruria natus eſt, vel quod Tuſci fuerunt nobiles apud antiquos.* Thomas Farnabius Anglus in eundem locum: *Nobiliſſimæ & antiquiſſimæ Romanæ familiæ ex Etruria ortum habuerunt.* Ipſe Perſius:

Hoc ſatis? an deceat pulmonem rumpere ventis
Stemmate quod Tuſco ramum milleſime ducis?

Nec ſane ſatis erat nobilitatis fundamenta jeciſſe Etruſcos, niſi iidem eam

eam a plebejo ordine & ignobilium conditione ſeparaſſent, diſcreviſſentque, nota addita, qua a nobili plebejus internoſci poſſet. Ea autem fuit bulla, quam Etruſcis deberi non eſt dubium. Vide quæ ſupra hoc opere libr. 2. cap. 2. diſcuſſi, ubi bullam inter Regum Etruſcorum ornamenta & inſignia poni docui:

. . . . . quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruſcum puero ſi contigit aurum? (1)

Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 6. *Sed poſtea Tarquinius Demarathi Corinthii exulis filius Priſcus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt, Rex tertius ab Hoſtilio, quintus a Romulo, de Sabinis egit triumphum: quo bello filium ſuum, annos quatuordecim natum, quod hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudavit, & bulla aurea prætextaque donavit, inſigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis & honoris; nam ſicut prætexta magiſtratum, ita bulla geſtamen erat triumphantium, quam in triumpho præ ſe gerebant, incluſis intra eam remediis, quæ crederent adverſum invidiam valentiſſima. Hinc deductus mos, ut prætexta & bulla in uſum puerorum uſurparentur ad omen & vota conciliandæ virtutis, & ſimilis, cui primis in annis munera iſta ceſſerunt. Alii putant eundem Priſcum, cum is ſtatum civium ſolertia providi principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxiſſe, inſtituiſſeque, ut patricii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur, dumtaxat illi, quorum patres curulem geſſerant magiſtratum: ceteris vero, ut prætexta tantum uterentur, indultum; ſed uſque ad eos, quorum parentes equo ſtipendia juſta meruiſſent.* Sive igitur notam hanc nobilitatis Etruſci ante Romam conditam inſtituerint, ſive Romæ Rex Tarquinius Priſcus, gente & domo Etruſcus, parum refert; utroque enim modo ſequitur ab Etruſcis ejus rei inventionem profectam. Quod & C. Plinius teſtatur libr. 33. cap. 1. *Sed a Priſco Tarquinio omnium primo filium, cum in prætexta annis occidiſſet hoſtem, bulla aurea donatum conſtat, unde mos bullæ durat.* Meminit C. Suetonius in Tiberio cap. 6. quem locum vide. Et eleganter L. Apulejus libr. de Dogmate Platonis: *Auri tantum, quantum puer nobilitatis inſigne geſtavit.* Quod & Etruſcum morem uſurpans Virgilius ad nobiles pueros Trojanos traduxit libr. 5. Æneid.

. . . . it pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

M. Plautus Rudente ſc. *Serio edepol.* fine:

Et bulla aurea eſt, pater quam dedit mihi natali die.

Triumphantes itaque ex prima Tuſcorum conſuetudine, ante Tarquinium Priſcum, bullam geſtabant, cui remedia contra faſcinum includebant, ut ex loco Macrobii laudato liquet: quod miror omiſſum a Leonardo Vairo Beneventano, qui tres libros de faſcino ſcripſit, maxime

(1) Videat Lector, in figura pueri, quam hic afferimus, præter armillas, & pediſcelides, bullam de collo pendentem.

Tab. XXXXV. Tom. I. pag. 302.



Ex Aere Alt. Pe. I. Peruſiæ Apud Nobiles de Grazianis

Digitized by Google

xime cum de faſcino currui triumphantium ſubjecto appenſoque ex Joanne Zonara in Camilli Triumpho notare potuiſſet. Habebat cordis effigiem forma bullæ, ut ſe tum dignos majoribus ſuis pueri nobiles ingenuique intelligerent, *ſi corde valerent*, cujus imaginem quandam geſtarent. Aſcon. Pædian. in 3. Verrin. Plutarch. Problemat. Rom. cap. 101. E pectore illa pendebat. Virgil. loco jam laudato. Et Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 1.

Mox ubi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo.

Quia in pectore locus *erat conſilii*, ideo pectori admotam illam præferebant, quo aliquando conſilii publici capaces ſe exhiberent. Andreas Tiraquellus in Alexand. ab Alexand. libr. 2. Genial. Dier. cap. 25. Horat. libr. 1. Epiſt. 4.

Non tu corpus eras ſine pectore.

M. Plaut. Milite Act. 3. ſc. 1.

Quique ſapit pectus.

Idem in Epidico Act. 2. ſc. 2.

Sapit hic pleno pectore.

Nec tantum ingenuorum bulla fuit geſtamen, ſed & in ſtatuis viſebatur, quæ nobilibus poſitæ, *bullatæ* dicebantur. Teſte Valerio Maximo libr. 3. cap. 1. in principio, de Æmilii Lepidi ſtatua.

Ut nobilium jus erat bullam ferre, ita libertini loro ab iis diſcerni ſolebant. Macrob. loco laudato: *Ex quo conceſſum, ut libertinorum quoque filii, qui ex juſta dumtaxat matrefamilias nati fuiſſent, togam prætextam & lorum in collo pro bullæ decore geſtarent.* Vetus Scholiaſtes D. Juvenalis Sat. 5. v. 164. *Antiquitus nobilium pueri bullas aureas habebant, pauperum de loris, ſignum libertatis.* Ipſe Satyricus:

Vel nodus tantum, & ſignum de paupere loro.

Effluxit hinc mos, ut pueriliter agentem ſenem dicamus *bulla dignum*, quaſi repueraſcentem, juxta proverbium δὶς παῖδες γέροντες, *bis pueri ſenes*. Idem Scholiaſtes ad v. 34. Satyr. 13. videatur, & Joannes Britannicus ad Satyram 14. principio.

Hanc bullam Diis ſuis domeſticis egreſſi pueritiæ annos, ſumptaque virili toga ingenui dedicabant. Porphyrio vetus Grammatic. ad libr. 1. Sat. 5. Horatii. *Ad Lares pueri generoſi, egreſſi pueritiæ annos, bullam auream ſuſpendere conſueverant.* Et tot imagines circa Lararium, quot pueri bullam depoſuiſſent: erantque illæ imagines ex ligno, cum ſervorum eſſent ex lana. Feſt. libr. 14. in voce *pilæ*. Helenius Acro conſulatur ad laudatum Horatii locum. Aſconius Pedianus ad Orationem pro Cornelio, principio. Cornutus ad Satyram 5. A. Perſii:

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Horatius libr. 1. Sat. 5.

. . . . donaſſet jamne catenam
Ex voto laribus . . . . .

Cele-

Celeres a Tuſco Celere appellati: Troſſuli, ab oppido Etruſco dicti: item Flexibuli, aut Flexamines.

CAP. XXIII.

EQueſtrem ordinem a Celere quodam Etruſco Romulus *Celeres* vocavit, quod cum plerique Hiſtoricorum tacuerint, docet nos Joannes Tzetzes Chiliad. 9. Hiſtoriar. cap. 293.

Κέλλερας ὀνομάζουσι τοὺς ταχυνοὺς Ῥωμαῖοι
Ἐκ τινὸς Κέλλερε Τυῤῥηνοῦ, ὃν Κέλλερα ἔφην.
Λέγουσι γὰρ, ὡς κτίζοντος τὴν Ῥώμην Ῥωμύλου
Ῥεμὸς ὁ τούτου ἀδελφὸς, τὸ κτίσμα διαπαίζων.
Πολλάκις ὑπερήλλατο τὴν τάφρον κτιζομένην
Ῥίπτει δ' ὑπεραλλόμενος, καὶ θνήσκει κατὰ ἐκείνην.
Celeres nominant veloces Romani
Ex quodam Celere Tyrrheno, quem Celerem dixi.
Dicunt enim, quod condente Romam Romulo
Remus hujus frater ſtructuram deridens,
Sæpe tranſilivit foſſam conditam.
Cadit autem tranſiliendo, & moritur in illa.

Hunc certe ex Etruria cum aliis Etruſcis vocatum ad tradendam condendæ civitatis religionem ſignificat Plutarchus in Romulo pag. 27. fuiſſeque fabricæ toti præpoſitum narrat Halicarnaſſeus libr. 1. pag. 74. Et in ejus honorem trecentos Equites inſtitutos, qui ab ipſius nomine *Celeres* appellarentur, auctor idem ex Valerio Antiate tradidit libr. 2. pag. 86. Sunt qui dicant hujus miniſterio Remum interfectum. Livius 1. Decad. libr. 1. Ovid. libr. 4. Faſtor.

. . . . . . *retro Celer occupat auſum*
Ille premit duram ſanguinolentus humum.

Loco laudato Tzetzes, cujus hæc Latina ſunt:

Alii vero Celerem Etruſcum, velociſſimum admodum,
Qui occiſo hoc fugit ſtatim in Etruriam:
A quo Romani Celeres omnes veloces vocant.

Equites iidem *a Troſſulo, Etruriæ civitate*, etiam & ipſi Troſſuli dicti, Pſeudocornutus ad v. 96. Sat. 1. Perſii. Et diſputat Juſtus Lipſius libr. 2. Elector. cap. 1. Et doctiſſime Theodorus Marcilius Profeſſor Regius Pariſienſis. Feſt. Pomp. libr. 18. L. Seneca Epiſt. 76. & Epiſt. 87. C. Plin. libr. 33. cap. 2. M. Varro in Satyra Seſquiulyſſe. *Itaque tum equum mordacem & calcitronem horridus miles, virque vitabat,*

nunc

nunc erunt Troſſuli nardo nitidi, vulgo Attico talento equum. Quod hic dicat, *nardo nitidi*, Nonius Marcellus *Troſſulos* quaſi *Toroſulos* dictos exiſtimat. A. Perſius loco citato:

Troſſulus exultat tibi per ſubſellia lævis.

Tertio iidem equites *Flexibulæ*, aut *Flexumenes* vocati reperiuntur ex Junio Gracchano. *Quin etiam ipſum Equitem nomen ſæpe variatum eſt certum, in his etiam, qui ad Equitatum trahebantur. Celeres ſub Romulo Regibuſque appellati ſunt, deinde Flexumenes, poſtea Troſſuli, cum oppidum in Tuſcis citra Volſinios paſſuum 9. M. ſine ullo peditum adjumento cœpiſſent: idque duravit ultra C. Gracchum, Junius certe, qui ab amicitia ejus Gracchanus appellatus eſt, ſcriptum reliquit his verbis. Quod ad Equeſtrem ordinem attinet, antea Troſſulos vocabant, nunc Equites vocant, ideo quia non intelligunt Troſſulos nomen quid valeat, pudet eo nomine appellari*. De Equeſtri dignitate, cenſu, equo publico, tranſvectione, decariis, judiciis ſelectis iis commiſſis, jure aureorum annulorum, quod ipſorum proprium erat, cenſoria in eos poteſtate & nota, in Antiquitatibus Romanis multa dixi. Vide libr. 1. cap. 17.

Etruſcorum inventum ſecures, & faſces: Vetuloniæ inventi dicuntur tolli: varius pro dignitate eorum numerus ſubmitti.

CAP. XXIV.

POſt Regiam majeſtatem, nobilitatemque ab Etruſcis profectam, ſequuntur jura Magiſtratuum & ornamenta. L. Flor. libr. 1. Hiſtor. Roman. cap. 5. *Neque pace Tarquinius, quam bello promptior, duodecim namque Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit, & inde Faſces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta, inde quod aurato curru quatuor equis triumphatur, togæ pictæ, tunicæque palmatæ, omnia denique decora & inſignia, quibus imperii dignitas eminet*. Servius Honoratus ad illud Virgilii libr. 8. Æneid. pag. 517.

Ipſe oratores ad me regnique coronam.
Cum ſceptro miſit, mandatque inſignia Tarchon,
Succedam caſtris, Tyrrhenaque regna capeſſam.

Alii inſignia *pro* faſcibus, *qui ad Romanos a Tuſcis tranſlati ſunt*. Diodor. Sicul. libr. 5. Biblioth. pag. 316. Τότε περὶ τὺς ἡγουμένυς ϛρατήγους ἀξίωμα κατεσκεύασαν περιθέντες τοῖς ἡγουμένοις ῥαβδέχους, καὶ δίφρον ἐλεφάντινον, καὶ περιπόρφυρον τήβενναν. *Summis exercituum ducibus hoc ipſo majeſtatem conciliarunt, quod lictores & ſellam curulem ex ebore totamque purpura*

prætestam illis addidere. Faſces hos & ſecures, non omnes a Tarquinio Priſco inſtitutos volunt, ſed plerique ab ipſo Romulo, qui tamen ab Etruſcis eos ſit mutuatus. T. Livius 1. Decad. libr. 1. *Jura condidit, quæ ita ſancta generi hominum agreſti fore ratus, ſi ſe ipſe venerabilem inſignibus imperii feciſſet, cum cetero habitu ſe auguſtiorem, tum maxime lictoribus duodecim ſumptis fecit. Alii a numero avium, quæ augurio regnum portenderant, eum ſecutum numerum putant. Me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, quibus & apparitores, & hoc genus ab Etruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga prætexta ſumpta eſt, numerum quoque ipſum dictum placet; & ita habuiſſe Etruſcos, quod ex duodecim populis communiter creato Rege, ſingulos ſinguli populi lictores dederunt.* Sive itaque Romulus, ſive Tarquinius Priſcus horum auctor fuit, certe & hic, & ille inventionem Tuſcis debuit. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 3. pag. 195. Ὡς δέ τινες ἱςορῦσι, καὶ τὺς δώδεκα πελέκεις ἐκόμισαν αὐτῷ, λαβόντες ἐξ ἑκάςης πόλεως ἕνα, Τυῤῥηνῶν γὰρ ἔθος ἐδόκει, ἑκάςου τῶν κατὰ πόλιν βασιλέων ἕνα προηγεῖσθαι ῥαβδοφόρον, ἅμα τῇ δέσμῃ τῶν ῥάβδων πέλεκυν φέροντα, εἰ δὲ κοινὴ γίνοιτο τῶν δώδεκα πόλεων ςρατιὰ, τὺς δώδεκα πελέκεις ἑνὶ παραδίδοσθαι τῷ λαβόντι τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν, ὐ μὲν ἅπαντες γε συμφέρονται τοῖς ταῦτα λέγυσιν, ἀλλὰ παλαίτερον ἔτι τῆς Ταρκυνίυ βασιλείας πελέκεις, δώδεκα πρὸ τῶν βασιλέων φέρεσθαί φασι. κατασήσασθαι δὲ τὸ ἔθος τῦτο Ῥωμύλον εὐθὺς ἅμα τῷ παραλαβεῖν τὴν ἀρχὴν, ὐθὲν δὲ κωλύει τὸ μὲν εὕρημα Τυῤῥηνῶν εἶναι, χρήσασθαι δ᾽ αὐτῷ πρῶτον Ῥωμύλον παρ᾽ ἐκείνων λαβόντα, κομισθῆναι δὲ καὶ Ταρκύνιον σὺν τοῖς ἄλλοις κόσμοις βασιλικοῖς καὶ τὺς δώδεκα πελέκεις. Quæ verba ſic Latine ſonant. *Sunt qui prodant, allatas ei etiam duodecim ſecures, ſingulas a ſingulis populis miſſas: Etruſcorum enim mos fuiſſe videtur, quamque civitatem ſuo Regi lictorem unum addere, qui cum virgarum faſce ſecurim illi præferret: quoties vero communis duodecim eſſet populorum expeditio, duodecim ſecures ei traderentur, cujus eſſet imperium in exercitum. Non tamen omnes Scriptores his aſſentiuntur, quandoquidem ajunt, ante Tarquinii regnum ſecures Regibus præferri ſolitas, fuiſſeque hoc inſtitutum Romuli, mox ex quo principatum adeptus ſit; nihil tamen vetat Etruſcorum id eſſe inventum, primumque ab illis mutuatum Romulum.* Præclarum optimi ſcriptoris teſtimonium, præclarus locus, quo non modo certo ſcimus ab Etruſcis inventionem profectam, ſed & ſolitos faſces ſive virgas ſecuri circumdari. Obiter quædam Dominicus Floccus, qui falso putabatur Feneſtella, libello de Magiſtratibus Romanis.

Et quidem ne ullus ſit dubio relictus locus, docet nos Silius Italicus libr. 8. Punicor. Vetuloniæ faſces inventos, quæ celeberrima civitas Etruriæ erat; ſic enim ille:

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis,
Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces,
Et junxit totidem tacito terrore ſecures:
Hæc altas eboris decoravit honore Curules,
Et princeps Tyrio veſtem prætexuit oſtro.

Et

Digitized by Google

Et licet frequentius ſecures faſcibus includi ſolerent; tamen interdum ad terrorem eximendum, alter conſulum duodecim faſces ſolos, alter vero duodecim ſecures nudas præferri ſibi voluit, ut narrat plene Halicarnaſſeus libr. 5. principio. Erant hi faſces omnium Romanorum magiſtratuum inſigne, non in urbe modo, ſed in provinciis; quare non amplius, *quam ſex faſces* lex concedit Proconſuli. Ulpian. J.C. libr. 20. ad legem Juliam & Papiam. Q. Flor. Tertullian. libr. de Idololat. cap. 18. *Unius Collegii inſignia faſces & purpuram geſtant.*

Adeo ſolemnis erat faſcium uſus, ut tollere faſces ſit idem, ac magiſtratum inire. Æthicus præfatione Coſmographiæ: *Cum Conſulatus ſui faſces erigeret*. Majoriani Aug. novella de ortu & imperio D. Majoriani. *Suſcepti feliciter conſulatus ereximus faſces*. Poëtæ. Claudian. Paneg. de Conſul. Olibrii & Probini:

Unanimes fratres junctos ſtipante ſenatu
Ire forum, ſtrictaſque procul radiare ſecures,
Atque uno bijuges tolli de limine faſces.

Stat. libr. 1. Silv. 1. v. 178.

Hunc & biſſenos, ſic indulgentia pergat
Præſulis Auſonii, cernes attollere faſces
Ante diem.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. principio:

Auſpicio & numero faſces, Auguſte, ſecundos
Erige.

Non tantum ad ornamenta magiſtratuum hi faſces, ſed etiam ad improborum coërcitionem; nam minora crimina virgis, majora vero ſecuri plectebantur; cum ea ætate, ac ne ſexcentis annis poſt Urbem conditam uſus ullus gladii eſſet; ut multis a me oſtenſum eſt in Antiquitatibus Romanis, nec hic repeto. Aurel. Caſſiodor. libr. 5. Variar. Epiſt. 21. *Alii honores habeant & terribiles faſces, tibi vitæ humanæ gratiſſimi videntur militare cuſtodes*. Vetus Scholiaſt. D. Juvenal. Sat. 8. v. 134.

Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures.

Claudian. præfat. ad libr. 2. in Eutrop.

Scindere nunc alia meditatur ligna ſecuri,
Faſcibus & tandem vapulat ille ſuis.

Pro dignitate magiſtratus, quem quis gerebat, numerum ſecurium faſciumque habebat, alius alio pauciores; nam ſupremum Reipublicæ caput, puta Dictator, Appian. Alexand. libr. 1. Bellor. Civil. pag. 412. aut Decemvir ſcribendis legibus viginti quatuor faſces præ ſe agebant: minimi vero magiſtratus, ſcilicet Ædiles, duos tantum: Conſules vero ſemper duodecim. L. Sen. libr. Brevit. Vit. cap. 7. Et libr. de Tranquill. cap. 1. & libr. 3. de Ira cap. 31. Flor. Tertullian. Adverſ. Valentinian. cap. 16. Martial. libr. 8. Epigr. 65. & libr. 9. Epigr. 43. & alibi

frequentiſſime alii. Proconſules vero in provinciis tantum ſex, ut & Prætores Q. Symmach. libr. 7. Epiſt. 1. *Faſces præturæ tuæ in eum annum feliciter proferendos*. Et libr. 8. Epiſt. 70. *Urbanæ præturæ faſces filius meus Symmachus Kalendis Januarii ſortietur*. Et libr. 9. Epiſt. 22. *Nuntio filium meum, ſi favor divinus arriſerit, prætorios faſces anno ineunte ſumpturum*. Et libr. 1. Epiſt. 1.

Auroræ in populis Regum prætoria rexi,
Si faſces prætura tacet, tu reſpice faſtos.

Corruptus M. Martialis locus libr. 11. Epigr. 99.

Non Conſulatus ipſe, non Tribunatus,
Sævique faſces, & ſuperba clamoſi
Lictoris abiget virga baſiatorem.

Corrige ex MS. Cod. & lege verſu ſecundo:

Senique faſces.

Præibant lictores hiſce faſcibus magiſtratus, Auguſtas, Virgineſque Veſtales, ut ab aliis eſt cumulate obſervatum; ut juberent populum cedere, neque magiſtratui occurrere. C. Plin. libr. 7. cap. 30. verba pete ex cap. ſequenti. Quod ſi minor magiſtratus majori occurriſſet, ſubmittebat minor faſces, veluti eum deveneraturus, & de via decedebat, eleganter narrat Dionyſius libr. 8. in rebus Coriolani pag 516. Quod autem in victoria ſolenni *laureati* eſſent *faſces*, abunde alibi expoſui.

Etruſcorum inventum lictor, ſeu apparitor: ab officio dignior unus alio: januam intraturo magiſtratu percutiebat.

CAP. XXV.

EOrundem Tuſcorum inventum eſt lictor, qui a variis officii generibus, quandoque *militius*, interdum *viator*, mox & *accenſus* appellabatur. Florus, Diodorus, Livius, Halicarnaſſeus, Silius Italicus ſuperiori capite laudati. Adde Strabonem Amaſianum libr. 5. Geogr. pag. 152. Ubi enumerantur Etruſcorum inventa ex MS. Henrici Scrimgeri Scoti affinis mei, vir ſua ætate literarum Græcarum eruditiſſimus, cujuſque ſcrinia Caſaubonus compilavit, & ingrato ſilentio diſſimulavit. Hæc itaque is habet: Ῥάβδοι ϗ πελέκεις ϗ σάλπιγγες, ϗ ἱεροποιΐαι ϗ μαντικὴ ϗ μουσικὴ ὅσῃ δημοσίᾳ χρῶνται Ῥωμαῖοι. *Faſces, ſecures, tubas, ſacrificia, divinationem, & muſicam, qua publice utuntur Romani*. Macrob. libr. 1. Saturn. cap. 6. cujus verba pete ex cap. 27. infra hoc opere & libro. Hos inter magiſtratuum ornamen-

ta reponunt Aurel. Prudent. in Romani agone:

Hæc ipſa veſtra dignitatum culmina
Quid eſſe cenſes? nonne curſim tranſeunt
Faſces, ſecures, ſella, prætexta, togæ,
Lictor, tribunal, & trecenta inſignia,
Quibus tumetis, moxque detumeſcitis?

Silius Italic. libr. 10. Punicor.

Non aquilæ, non ſigna viris, non conſulis altum
Imperium, non ſubnixæ lictore ſecures.

Valgius Rufus libr. 2. de Quæſitis per Epiſtolam, *a ligando* nomen deductum putat, quod idem olim lictoris, ac nunc carnificis ſit munus. Unde illud Caſſiodori ad lictorem libr. 11. Epiſt. 40. *Ama ferrum ſplendidum, non cruentum*. Sed Tiro Tullius Ciceronis Libertus apud A. Gellium libr. 12. cap. 3. *a lino*, vel *licio* derivat, quod liciis lineis eſſent adſtricti, qui magiſtratibus miniſtrarent. Phædrus Tiberii Aug. libertus libr. 3. fab. 1.

Cui tunica ex humeris linteo pelufio
Erat diſtricta, cirris dependentibus.

Huc pertinet lex duodecim Tabularum *De furto per lancem & licium*; nam magiſtratum inquiſiturum rem furtivam præibant apparitores, licio alte cincti. Lud. Charondas & Theodorus Marcilius notarunt.

Erat autem inter lictores dignitas quædam, uti mihi perſuadeo, ſi non ea, quæ eſſet inter magiſtratus, at certe ea major, quæ inter ſervos: & ſicuti Pontifex Maximus, Veſtalis Maxima frequenter in antiquis Inſcriptionibus, & apud Suetonium, ita & *primum lictorem* dici exiſtimo, qui ceteros digniore quodam gradu ſuperaret: & ſic cenſuit Franc. Robortellus libr. 2. Emendation. cap. 20. Favet locus Ciceronis Epiſt. 1. libr. 1. Epiſtolar. ad Q. Fratrem. *His rebus nuper C. Octavius jucundiſſimus fuit, apud quem primus lictor fuit, tacuit accenſus quoties quiſque voluit dixit, & quamdiu voluit*. Eodem modo & *proximus lictor*, forte qui ſecundum a primo locum occuparet. Valer. Maxim. libr. 2. cap. 2. tit. 4. *Ne quis ſe inter Conſulem, & proximum lictorem, quamvis officii cauſa una progrederetur, interponeret*.

Hic ingreſſuro magiſtratu, domum aliquam publicam aut privatam, faſcibus januam percutiebat, veluti dominum admoniturus eo magiſtratum Populi Romani adventare. C. Plin. libr. 7. cap. 30. *Cn. Pompejus, confecto Mitridatico bello, intraturus Poſidonii ſapientia clari domum, fores percuti a lictore de more vetuit, & faſces lictorios januæ ſubmiſit is, cui ſe Oriens Occidenſque ſubmiſerat*. Stat. Papin. libr. 1. Silv. 2. v. 46.

. . . hic mecum dum fervent agmine poſtes
Atriaque, & multa pulſantur limina virga.

M. Mar-

M. Martial. libr. 8. Epigr. 65.

Biſſenos jubet en redire faſces
Noto Conſule, nobilique virga
Vatis Caſtalii domum ſonare.

Plura de lictoribus dixi ad illud Claudiani de 6. Honor. Conſul. in fine (1);

. . . . deſuetaque cingit
Regius auratis fora faſcibus Ulpia lictor.

Etruſcorum inventum trabea, & quorum eſſet geſtamen: clavata, ſeu clavis diſtincta: fibulata.

CAP. XXVI.

Ab iisdem Etruſcis inventam trabeam, auctor eſt L. Florus loco ſupra citato libr. 1. cap 5. Ugolin. Verinus libr. 1. de Illuſtratione Urbis Florentiæ MS.

Regibus expulſis Romana potentia crevit,
A Tuſcis faſces victis, biſſexque ſecures,
Et trabeam, & ſellam, Conſul Romane, petiſti.

Servius Honoratus ad libr. 7. Æneid. pag. 457. *togam augurum* interpretatur *de cocco & purpura*. Flor. Tertullian. libr. de Idololatr. cap. 18. *Prætexta quoque, & trabeæ, & laticlavi, & faſces, & virgæ præferuntur*. Et quia augures ab Etruſcis excogitati, credibile eſt ornamentum iſtud cum ipſa augurum dignitate creviſſe; creſcente deinde Romana potentia, quintuplex fuiſſe trabea reperitur, auguralis, Regia, conſularis, ſenatoria, & equeſtris: de quibus Wolfgang. Lazius libr. 2. Commentarior. Reip. cap. 3. & abundantiſſime libr. 8. idem cap. 5. quem non exſcribo. Videntur certe ſequiori ævo omnes togas Imperatorum eo nomine appellaſſe, cum tamen trabea multo brevior eſſet toga; nam ut Claudianum omittam paſſim, Corippus African. libr. 4. de Laudib. Juſtini Minoris num. 1.

Egrediens ſacra princeps trabeatus ab aula.

Eodem libr. num. 2.

Conſcendit Princeps trabea ſuccinctus avita.

Et ibidem. num. 3.

Inceſſit lætus præclara in veſte Senatus,
Pars trabeis, pars compta togis.

Erat

(1) Principem virum Etruſcum, lictoribus faſces deferentibus ſtipatum, repræſentat hic cippus ex lapide indigena. In faſcibus non apparent ſecures, temporis forte injuria detritæ.

Tab. XXXXVI · ИAHIW · Tom. I. pag. 310.



Florentiam

Vin. Franceſchi ſcul.

Erat itaque veſtis Phrygio opete curioſe elaborata, aureiſque trabibus, ut videtur, diſtincta, unde illi nomen. Nugatur Iſidot. libr. 19. cap. 24. quod eam ſic vocatam vult a *transbeando*. Inclinante deinde Imperio promiſcuus uſus trabeæ; nam & ſaga quoque trabeata Trebellius Pollio vocat in Gallienis: *Quid ergo ſine trabeatis ſagis tuta eſſe non poteſt Reſpublica?* Hinc *trabeatæ imagines* apud Sidonium Apollinarem libt. 1. Epiſt. 6. Pſeudocornutus ad A. Perſii Sat. 3. v. 26. *Trabea erat togæ ſpecies ex cocco & purpura, qua operti nobiles Romanorum initio procedebant.* Ex hoc quoque mote profluxit, ut trabea pto ipſo Conſulatu ſumatur. Idem libt. 5. Epiſt. 5. *Cui procul dubio ſtatuas dederant literæ, ſi trabeæ non dediſſent.* Latinus Pacatus Dtepanius panegyt. Theodoſii: *paſtores trabeati*; ideſt ptimi Romanorum frugi Republica magiſtratus, quos conſtat, ruſticos, paſtotes, aut agricolas fuiſſe. Conſule eruditiſſimum Joannem Savaronem ad Sidonium ſuum. In hac veſte acu majotum effigies delineatæ viſebantut; quare *trabealis molem metalli*, dixit idem Sidonius Apollinaris Catm. 2. in ptincipio. Claudian. libt. 2. de Laudib. Stilicon.

. . . . . . gremioque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas, inſigne Minervæ
Spirat opus, rutilis hic pingitur aula columnis,
Et ſacros Mariæ partus Lucina dolores
Solatur.

Vide locum. Corippus African. libt. 1. de Laud. Juſtin. Min. num. 15.

Et tulit intextam pretioſo murice veſtem,
Juſtinianorum ſeries ubi tota parentum
Nexo auro inſignita fuit, gemmiſque coruſca:
Illic barbaricas flexa cervice phalanges,
Occiſos Reges, ſubjectaſque ordine gentes
Pictor acu tenui multa formaverat arte.

Eadem hæc veſtis *clavata*, a clavis, quibus diſtinguebatur, intertextis. Ulpian. l. 23. ff. aur. & argent. leg. Unicum tantum Juvenalis locum e Satyt. 16. corrigam:

Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos
Millia clavorum.

Legendum ex MS. meo optimæ notæ:

. . . . offendere tot caligas, tot
Millia clavorum.

Rectiſſime indubie, nam caligis militaribus & calceis, non minus quam trabeis, clavi illi ſuffixi. Idem Sat. 3. v. 249.

Calcor, & in digito clavus mihi militis hæret.

Fibulis etiam erat adſtricta trabea. Fl. Vopiſc. in Carino, & in Aureliano: *Conceſſit militibus fibularum aurearum uſum.* Trabell. Pollio in Claudio: *Fibulam auream cumacum Cypream unam.* Locus certe corruptus eſt; tu corrige: *Fibulam auream cum acu Cypria unam.* Ita legit

&

& ex Rabbinis, & Callimacho explicat Iſaacus Caſaubonus. Fibulis hiſce gemmæ & uniones ingentis pretii addebantur. Unde illud Ælii Spartiani in Adriano: *Sive auro baltheum ſumeret, ſive gemmis fibulas ſtringeret*. Ulpian. J.C. libr. 44. ad Sabinum. Leo Aug. Conſtitut. Plin. libr. 33. cap. 1. Virgilius, Martialis, Juvenalis paſſim, quos non exſcribo. Antholog. libr. 4. cap. 12. Epigr. 3. Stat. Papin. ad eum morem libr. 7. Thebaid. v. 657.

Et rubet imbellis Tyrio ſubtegmine thorax
Brachiaque in manicis, & picta vincula plantæ,
Carbaſeique ſinus, & fibula raſilis auro
Tænariam fulva mordebat jaſpide pallam:

Magis ad res Romanas appoſite Corippus libr. 1. de Laudib. Juſtini Minoris num. 4.

Subſtrictoque ſinu veſtis divina pependit,
Poplite fuſa tenus, pretioſo candida limbo,
Cæſareos humeros ardenti murice texit
Circumfuſa chlamys, rutilo quæ ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra.
Aurea juncturas morſu perſtrinxit adunco
Fibula, & a ſummis gemmæ micuere catenis.

Etruſcorum inventum ſella curulis: & ipſa Regum primo, mox magiſtratuum patriciorum.

CAP. XXVII.

INter Regia inſignia Etruſci ad majeſtatem ſui Principis prædicandam inſtituerunt ſellam curulem ex ebore, ut L. Florus diſerte teſtatur libr. 1. Hiſtor. Roman. cap. 5. & multis docui libr. 2. ſupra hoc opere cap. 2. Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 6. *Tullus Hoſtilius, Rex Romanorum tertius, debellatis Etruſcis, ſellam curulem, lictoreſque, & togam prætextam, atque pictam, quæ inſignia magiſtratuum Etruſcorum erant, primus, ut Romæ haberentur, inſtituit*. Servius Honoratus ad libr. 11. Æneid. pag. 637. *Sellam Regni, trabeamque inſignia noſtri. Romanorum Imperatorum inſigne ſella curulis & trabea, nam diadema aliarum gentium Reges non habebant*. Error certiſſimus, & pudendus Servii, alioquin tam docti & gravis ſcriptoris. Ego enim multis oſtendi, cap. 21. penes aliarum a Romanis gentium Reges fuiſſe diadematis jus: poſtea vero, ut omnia alia ornamenta, ab Etruſcis mutuata, ita hanc Romani magiſtratuum ſuorum inſigne eſſe voluerunt. Q. Symmach. libr. 1. Epiſt. 95. *Fortunati curulem tuam læto agmine per-*

perſequentur. Sed & diverſorum illa, nam *ſellæ prætoris* meminit Tacitus libr. 4. Annal. Fabius Quintilianus libr. 6. Inſtitution. Oratoriar. cap. 3. & Ulpian. J.C. l. 1. ff. de poſtuland. & *ſella ædilium curulium* apud Valerium Maximum libr. 2. cap. 1. Livium 1. Decad. libr. 9. ad finem, adſtipulante Lucio Piſone libr. 3. Annalium, ut refert A. Gellius libr. 6. cap. 9. Eſſe autem cum lictoribus & faſcibus ſecuribuſque inventum hoc Vetuloniæ, Silius Italicus libr. 8. Punicor. auctor eſt.

Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces,
Et junxit totidem tacito terrore ſecures,
Et princeps Tyrio veſtem prætexuit oſtro.
Hæc eadem pugnas accendere protulit ære.

De conſulari curuli frequentius probati auctores. Savaro ad Sidonium libr. 8. Epiſt. 6. & Epiſt. 8. Carm. 2. v. 209. Corippus non uno loco. Stat. Papin. libr. 1. Silv. 2. v. 181.

. . . . *purpureos habitus, juvenique curule*
Indulgebat ebur.

Ex ebore elaboratam, ex Dionyſio Halicarnaſſeo non uno loco dixi ſupra hoc opere. In triumphali pompa uſum ejus etiam receptum, adnotavi in Antiquitatibus Roman. libr. 10. Addendus Joannes Tzetzes Chiliad. 13. Hiſtoriar. cap. 461.

Τὰ τοῦ θριαμβικοῦ πάντα τοῦ κουρουλίου δίφρου.
Triumphalis omnia curulis ſellæ.(1)

Etruſcorum inventum annuli, ferrei, aurei, Thynici, Samothracii, Regum, legatorum, matronarum, equitum, advocatorum, poëtarum: cur læva ferrentur: utenſilia eis clauſa.

CAP. XXVIII.

REgiam majeſtatem anulo a Tuſcis inſigniri ſolitam, locus ſupra adductus L. Flori libr. 1. cap. 5. Hiſtor. Roman. ſatis indicat: cumque ex religioſa cauſa in lævæ digito, minimo proximo, geſtabant, uti arcani Etruſcorum ritus demonſtrabant. Quod miror a Georgio Longo, cuſtode Bibliothecæ Ambroſianæ, prætermiſſum, opere *de Anulis Signatoriis Antiquorum*; cum alibi eo in opere multa ſint curioſa, multa a me, ſuppreſſo nomine, tranſcripta, niſi & ille ex iiſdem auctoribus eadem potuit, quæ ego, excerpſiſſe.

(1) Sellæ curulis antiquam, & veram formam, qualis apud Etruſcos fuerit, forte habes ex pictura in vaſe fictili Eminentiſſimi Gualterii poſt cap. 36. hujus libri 3.

Aurel. Macrob. libr. 7. Saturnal. cap. 13. ex Attejo Capitone, juris Pontificii perito. *Qui cum nefas eſſe ſanciret, Deorum formas inſculpi anulis, eo uſque proceſſit, ut & cur hoc digito, vel in hac manu geſtaretur anulus, non taceret: Veteres, inquit, non ornatus, ſed ſignandi cauſa, anulum ſecum circumferebant; unde nec plus habere, quam unum, licebat: nec cuiquam, niſi libero, quos ſolos fides decerneret, quæ ſignaculo continetur; ideo jus anulorum famuli nn habebant. Imprimebatur autem ſculptura materiæ anuli, ſive ex ferro, ſive ex auro foret, & geſtabatur, ut quiſque vellet, quacumque manu, quolibet digito: poſtea, inquit, uſus luxuriantis ætatis ſignaturas pretioſis gemmis cœpit inſculpere, & certatim hæc omnis imitatio laceſſivit, ut de augmento pretii, quo ſculpendos lapides paraſſent, gloriarentur; hinc factum eſt, ut uſus anulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otioſior eſt, ne crebro motu & officio manus dexteræ pretioſi lapides frangerentur. Electus autem læva manu digitis minimo proximus, quaſi aptior ceteris, ut commendaretur anuli pretioſitas; nam pollex, qui nomen, ab eo quod pollet, accepit, nec in ſiniſtra ceſſat, nec minus quam tota manus ſemper in officio eſt; unde & apud Græcos ἀντίχειρ, quaſi manus altera vocatur; pollici vero vicinus, nudus & ſine tuitione alterius appoſiti videbatur; nam pollex ita inferior eſt, ut vix radicem ejus excedat: medium, & minimum vitarunt, tamquam ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum: & electus eſt, qui ab utroque clauditur, & minus officii gerit, & ideo ſervando anulo magis accommodatus. Hæc ſunt, quæ lectio Pontificalis habet: unuſquiſque, ut volet, vel Etruſcam, vel Ægyptiam opinionem ſequatur:* Quem locum longiorem ideo adſcripſi, quia hæc eſſet ex Pontificalibus cæremoniis ſententia deprompta, quam Cæcinna Albinus Etruſcam opinionem interpretatur; ideo quia omnis Pontificum Romanorum eruditio ex Etruſcis eſſet petita. Aliam rationem adducit Appion in libris Ægyptiacis apud A. Gellium libr. 10. Noct. Atticar. cap. 10. Initio ferrei omnes Romæ anuli, nec multo poſt tempore Senatus aureos accepit. C. Plin. libr. 33. cap. 1. Ovid. libr. 4. Triſt.

Ferreus aſſiduo conſumitur anulus uſu.

Juvenal. Sat. 11. v. 129.

Anulus in digito quod ferreus.

Quod & Samothracum geſtamen, qui & ipſi a Tuſcis ritus omnium ſuorum Sacrorum hauſerant; Turnebum ſcio, jam præoccupaſſe libr. 20. Adverſarior. cap. 2. Flor. Tertullian. libr. de habitu muliebri cap. 5. *Nam & anuli ferro fiunt*. Iſidor. libr. 19. cap. 13. *Samothracius aureus eſt, ſed capitulo ferreo, a loco ita vocatus*. Plinium Obertus Giphanius, & alii adduxerunt. T. Lucret. libr. 5. Rer. Nat.

Exultare etiam Samothracia ferrea vidi,
Et ramenta ſimul ferri furere intus ahenis
In ſcaphiis.

Aurei

Aurei deinde fieri cœperunt, iidemque Thynicii appellati, a loco, ubi frequentior eorum uſus. Iſidor. loco laudato. *Tinius purus eſt, primum in Bithynia fabricatus, quam olim Tinam vocabant*; ſed corrige: *Thynicus purus eſt*. Poſtea *Flaccum* citat, non ſine mendo inſigni; ſunt enim verſus *C. Mæcenatis* in obitum Flacci Horatii, qui & ipſi ab eo portentoſe ponuntur: *Lugente mea vita nec Smaragdos, Berilloſque, mi Flacce, nec nitentes per candida margaritas quæro, nec cortinalis me perpolibit anulus, nec Jaſpius lapillus*. Monſtra hæc, & prodigia ſic elue, & expia, redditis ſic verſibus:

Lugent te mea vita, nec ſmaragdus
Berillus quoque, Flacce, nec nitentes
Nunc per candida margarita quæro,
Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos, nec Jaſpios lapillos.

Ut igitur ferrei anuli in Samothracia, ita aurei in Thynia, quæ appellata Bithynia. Claudian. libr. 2. Eutrop.

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Unde deſcendit *jus aureorum anulorum*. C. Plinius Junior libr. 8. Epiſt. 6. *Omitto, quod Pallanti ſervo prætoris ornamenta offeruntur, quippe offeruntur a ſervis: mitto, quod cenſent, non exhortandum modo, verum etiam compellendum ad uſum aureorum anulorum; erat enim contra majeſtatem Senatus, ſi ferreis prætorius uteretur*. Hoc jure, ut quibusdam placet, in ingenuitatem tranſibant. Aſconius Pædian. vel ut aliis magis videtur, equeſtri honore donabantur. Modeſtinus J.C. *χρυσῶν δακτυλίων δίκαιον*, *aureorum anulorum jus* vocat. l. 14. ff. de Excuſat. a Juſtiniano Aug. *Jus anulorum* audit ſine adjectione, Novella 74. Adi titulum in Pandectis de jure aureorum anulorum.

Erat & quoddam tertium genus anulorum, quod neque ferreum, neque aureum, ſed inauratum. Petronii elegans eſt locus in Satyrico pag 78. *Habebat etiam in minimo digito ſiniſtræ manus anulum grandem ſubauratum, extremo vero articulo digiti ſequentis, minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, ſed plane ferreis veluti ſtellis ferruminatum*. Ad quem locum Joan. a Wonceren, & Georgius Erhardus conſulantur. Ille itaque, ut jam dixi, morem illum indicat, anulos ſiniſtra geſtandi, uti & Q. Flor. Tertullian. libr. de hab. mulieb. cap. ult. *Et ſiniſtra per ſingulos digitos de ſingulis ſaccis ludit*; hoc eſt, tanta eſt copia anulorum, ut patrimonium vix ad ornandam ſiniſtram ſufficiat. Silius Italic. libr. 8. Punicor. in fine:

O dolor! hoc etiam ſuperi vidiſſe jubetis
Congeſto læva quodcumque avellitur auro
Metitur Latias victrix Carthago ruinas.

Et libr. 11. de anulis, Carthaginem ab Hanibale poſt Cannenſem pugnam miſſis:

Teſtes hi ſtragis, quos ſignum illuſtre ſuperbis

Aurel. Macrob. libr. 7. Saturnal. cap. 13. ex Attejo Capitone, juris Pontificii perito. *Qui cum nefas eſſe ſanciret, Deorum formas inſculpi anulis, eo uſque proceſſit, ut & cur hoc digito, vel in hac manu geſtaretur anulus, non taceret: Veteres, inquit, non ornatus, ſed ſignandi cauſa, anulum ſecum circumferebant; unde nec plus habere, quam unum, licebat: nec cuiquam, niſi libero, quos ſolos fides decerneret, quæ ſignaculo continetur; ideo jus anulorum famuli non habebant. Imprimebatur autem ſculptura materiæ anuli, ſive ex ferro, ſive ex auro foret, & geſtabatur, ut quiſque vellet, quacumque manu, quolibet digito: poſtea, inquit, uſus luxuriantis ætatis ſignaturas pretioſis gemmis cæpit inſculpere, & certatim hæc omnis imitatio laceſſivit, ut de augmento pretii, quo ſculpendos lapides paraſſent, gloriarentur; hinc factum eſt, ut uſus anulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otioſior eſt, ne crebro motu & officio manus dexteræ pretioſi lapides frangerentur. Electus autem læva manu digitis minimo proximus, quaſi aptior ceteris, ut commendaretur anuli pretioſitas; nam pollex, qui nomen, ab eo quod pollet, accepit, nec in ſiniſtra ceſſat, nec minus quam tota manus ſemper in officio eſt; unde & apud Græcos ἀντίχειρ, quaſi manus altera vocatur: pollici vero vicinus, nudus & ſine tuitione alterius appoſiti videbatur; nam pollex ita inferior eſt, ut vix radicem ejus excedat: medium, & minimum vitarunt, tamquam ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum: & electus eſt, qui ab utroque clauditur, & minus officii gerit, & ideo ſervando anulo magis accommodatus. Hæc ſunt, quæ lectio Pontificalis habet: unuſquiſque, ut volet, vel Etruſcam, vel Ægyptiam opinionem ſequatur:* Quem locum longiorem ideo adſcripſi, quia hæc eſſet ex Pontificalibus cæremoniis ſententia deprompta, quam Cæcinna Albinus Etruſcam opinionem interpretatur; ideo quia omnis Pontificum Romanorum eruditio ex Etruſcis eſſet petita. Aliam rationem adducit Appion in libris Ægyptiacis apud A. Gellium libr. 10. Noct. Atticar. cap. 10. Initio ferrei omnes Romæ anuli, nec multo poſt tempore Senatus aureos accepit. C. Plin. libr. 33. cap. 1. Ovid. libr. 4. Triſt.

Ferreus aſſiduo conſumitur anulus uſu.

Juvenal. Sat. 11. v. 129.

Anulus in digito quod ferreus.

Quod & Samothracum geſtamen, qui & ipſi a Tuſcis ritus omnium ſuorum Sacrorum hauſerant; Turnebum ſcio, jam præoccupaſſe libr. 20. Adverſarior. cap. 2. Flor. Tertullian. libr. de habitu muliebri cap. 5. *Nam & anuli ferro fiunt*. Iſidor. libr. 19. cap. 13. *Samothracius aureus eſt, ſed capitulo ferreo, a loco ita vocatus*. Plinium Obertus Giphanius, & alii adduxerunt. T. Lucret. libr. 5. Rer. Nat.

Exultare etiam Samothracia ferrea vidi,
Et ramenta ſimul ferri furere intus ahenis
In ſcaphiis.

Aurei

Aurei deinde fieri cœperunt, iidemque Thynicii appellati, a loco, ubi frequentior eorum uſus. Iſidor. loco laudato. *Tinius purus eſt, primum in Bithynia fabricatus, quam olim Tinam vocabant*; ſed corrige: *Thynicus purus eſt*. Poſtea *Flaccum* citat, non ſine mendo inſigni; ſunt enim verſus *C. Mæcenatis* in obitum Flacci Horatii, qui & ipſi ab eo portentoſe ponuntur: *Lugente mea vita nec Smaragdos, Berilloſque, mi Flacce, nec nitentes per candida margaritas quæro, nec cortinalis me perpolibit anulus, nec Jaſpius lapillus*. Monſtra hæc, & prodigia ſic elue, & expia, redditis ſic verſibus:

Lugent te mea vita, nec ſmaragdus
Berillus quoque, Flacce, nec nitentes
Nunc per candida margarita quæro,
Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos; nec Jaſpios lapillos.

Ut igitur ferrei anuli in Samothracia, ita aurei in Thynia, quæ appellata Bithynia. Claudian. libr. 2. Eutrop.

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Unde deſcendit *jus aureorum anulorum*. C. Plinius Junior libr. 8. Epiſt. 6. *Omitto, quod Pallanti ſervo prætoris ornamenta offeruntur, quippe offeruntur a ſervis: mitto, quod cenſent, non exhortandum modo, verum etiam compellendum ad uſum aureorum anulorum; erat enim contra majeſtatem Senatus, ſi ferreis prætorius uteretur*. Hoc jure, ut quibusdam placet, in ingenuitatem tranſibant. Aſconius Pædian. vel ut aliis magis videtur, equeſtri honore donabantur. Modeſtinus J.C. *Χρυσῶν δακτυλίων δίκαιον, aureorum anulorum jus* vocat. l. 14. ff. de Excuſat. a Juſtiniano Aug. *Jus anulorum* audit ſine adjectione, Novella 74. Adi titulum in Pandectis de jure aureorum anulorum.

Erat & quoddam tertium genus anulorum, quod neque ferreum, neque aureum, ſed inauratum. Petronii elegans eſt locus in Satyrico pag. 78. *Habebat etiam in minimo digito ſiniſtræ manus anulum grandem ſubauratum, extremo vero articulo digiti ſequentis, minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, ſed plane ferreis veluti ſtellis ferruminatum*. Ad quem locum Joan. a Woneren, & Georgius Erhardus conſulantur. Ille itaque, ut jam dixi, morem illum indicat, anulos ſiniſtra geſtandi, uti & Q. Flor. Tertullian. libr. de hab. mulieb. cap. ult. *Et ſiniſtra per ſingulos digitos de ſingulis ſaccis ludit;* hoc eſt, tanta eſt copia anulorum, ut patrimonium vix ad ornandam ſiniſtram ſufficiat. Silius Italic. libr. 8. Punicor. in fine:

O dolor! hoc etiam ſuperi vidiſſe jubetis
Congeſto læva quodcumque avellitur auro
Metitur Latias victrix Carthago ruinas.

Et libr. 11. de anulis, Carthaginem ab Hanibale poſt Cannenſem pugnam miſſis:

Teſtes hi ſtragis, quos ſignum illuſtre ſuperbis

Mos læva geſtare viris, tum funditur ante
Ora admirantum præfulgens anulus auro,
Datque fidem verbis haud parvo inſignis acervo.

Geſtamen hoc initio Regum erat, nec temere aliorum; nam & Reges morituri anulum illum ſuum, veluti imperii certum pignus ſucceſſori dabant. Q. Curt. libr. 10. Alexander *detractum anulum digito Perdiccæ tradidit* jam moriturus. Et ſimile quid narrat Lucius Seneca apud Suetonium, Tiberio cap. 73.

Secundo Legati, ad exteras gentes miſſi eo, veluti honoris ſui inſigni afficiebantur. C. Plin. libr. 33. cap. 1. *Longo certe tempore ne Senatum quidem Romanum habuiſſe aureos manifeſtum eſt; ſiquidem his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri eſſent, anuli publicæ dabantur, credo, quoniam ita exterorum honoratiſſimi intelligebantur, neque aliis, uti mos fuit, quam qui ex ea cauſa publice accepiſſent.* Inter privilegia itaque legatorum, de quibus dixi ad Corippum de Laudib. Juſtin. minor. num. 7. erat & anulorum jus.

Tertio Matronarum geſtamen anuli habiti, atque ideo in mundo muliebri repoſiti. Ulpian. J.C. l. 25. §. ornamenti. ff. de aur. & argent. legat. Atque illi quidem initio *ferrei*, ut Plinius loco laudato: vel *eburnei*, vel *electrini*, ut auctor aliquis vetus apud Suidam prodit in voce ἐλεφάντινοι, *eburnei*. Poſtea vero aurei, dicebanturque *pronubi*. Flor. Tertullian. Apologet. cap. 6. *Video & inter matronas, atque proſtibulas nullum de habitu diſcrimen relictum. Circa feminas quidem etiam illa majorum inſtituta ceciderunt, quæ modeſtiæ, quæ ſobrietati patrocinabantur; quum aurum nulla norat, præter unico digito, quem ſponſus oppigneraſſet probulo anulo.* Ille vult, aureum fuiſſe; at Plinius ferreum, ſine gemma. Alii notarunt. Trebell. Pollio in Macrino. D. Juvenalis Sat, 6. v. 27.

. . . . . *digito pignus fortaſſe dediſti.*

Quarto, Equeſtrem ordinem per anulum omnes ſciunt, a Senatorio & plebejo diſcretum: quod quomodo intelligendum, ab aliis diſputatum acerrime, & jampridem diſcuſſum. Plinius loco toties laudato. Vet. Scholiaſt. Juvenal. ad Sat. 7. v. 89. Sueton. Vitell. cap. 12. Britannicus ad Juvenal. Sat. 11. v. 41.

Talibus a dominis poſt cuncta noviſſimus exit
Anulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Quinto, Advocati inter fori ornamenta & anulum ſolebant magni pretii geſtare; quare M. Fab. Quintilianus libr. 11. cap. 2. ait, *anulum* inter agendum in foro *translatum aliud atque aliud ſignificare*. Satyrice & amare Juvenalis Sat. 7. v. 144.

. . . . . . *conducta Paulus agebat*
Sardoniche, atque ideo pluris quam Coſſus agebat.

Sexto, Poëtæ, agone Scholiaſtico, ſeu Albano, ſeu Capitolino victores, corona lemniſcata, & anulo donabantur, veluti equeſtris ordinis honore digni. Idem eadem Satyr. v. 88.

Ille

Digitized by Google

Ille & militiæ multis largitur honorem
Semeſtri vatum digito circumligat auro.

Denique Signatorios omnes cives cujuſcumque conditionis habebant in quibus ad libitum ſculpebant Deos, principes, amicos, quidlibet aliud: eaque Græci τριτόβρωτα, ut eſt apud Heſychium, Illuſtrium vocabant: & notavit diligentiſſimus Joannes Meurſius ad Lycophronem. Conſule Andream Tiraquellum ad Alexandrum ab Alexandro libr. 3. Genial. Dier. cap. 26. Cœlium Rhodiginum libr. 6. Antiquar. Lection. cap. 12. Franc. Juretum ad Symmachi libr. 1. Epiſt. 12. L. Senec. Epiſt. 13. fin. Epiſt. 22. fine. Fl. Vopiſcus in D. Aureliano fin. *Uxori & filiæ anulum ſigillaritium quaſi privatus inſtituit*. Unde liquet non virorum modo ſignatorios fuiſſe anulos, ſed & feminarum: & Græcorum, non tantum Romanorum. Alexander Macedo apud Curtium Rufum libr. 7. *Signum ejus*, Philotæ, *in poteſtate mea eſt*. Ovid. libr. 9. Metamorph. fab. 11.

Protinus impreſſa ſignat ſua crimina gemma.

Uſque eo vilitatis proceſſit hic anulorum ſigillaritiorum uſus, ut *viliſſima utenſium* eo obſignarent, ut loquitur. C. Tacitus libr. 2. Annal. & Doctor meus eruditiſſimus J. Lipſius, qui & hujus anuli formam ponit: ad quem alludunt Poëtæ. Martial. libr. 9. Epigr. 89.

Nunc ſignat meus anulus lagenam.

M. Plautus. Caſina Act. 2. ſc. 1. princ.

Obſignate cellas, referte anulum ad me.

Et in Perſa Act. 2. ſc. 3.

. . . . . . triparcos homines, vetulos avidos, aridos
Bene admordere, qui ſalinum ſervo obſignat cum ſale.

Etruſcorum inventum phaleræ: bellicus ornatus: conſularis.

CAP. XXIX.

INter Regum Etruſcorum ornamenta & phaleræ locum habuerunt, ab iis inventæ. L. Flor. libr. 1. Hiſtor. cap. 5. Itaque phaleræ ſunt ornamenta ducum militantium, vel, ut loquitur Nonius Marcellus cap. 18. *ornamenta belli*. Saluſt. Jugurthin *Ac ſibi reſtitui & haſtas, vexillum, phaleras, aliaque militaria dona*. Ex quo liquet loco, inter dona militaria & phaleras conſueviſſe militibus dari in fortitudinis præmium. Solinus Polyhiſt. cap. 6. Suetonius in Auguſto, laudati a Godeſcalco Stennechio ad libr. 2. Vegetii, item & nummus ibidem Trajani, qui mire huc facit. Vetus Lapis.

DONIS

DONIS. DONATO. A. DIVO
TRAIANO. AVG
TORQVIBVS. ARMILLIS
PHALERIS. BELLO. PARTHICO.

Juvenal. Sat. 16. fine:
Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.
Virgil. libr. 9. Æneid.
Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula.
Pſeudocornutus ad A. Perſii Sat. 3. v. 30.
Ad populum phaleras.
Anonymus Poëta apud D. Hieronymum Epiſt. de Juſt. Monachi:
Reſpicere ad phaleras, & nomina vana Catonum.
Regum itaque initio geſtamen phaleræ, poſtea militum fortium; ſed & *Conſulares Phaleræ* dicuntur ab Aurelio Caſſiodoro libr. 6. Variar. Epiſt. 20. Savaro doctiſſ. ad Sidonium libr. 4. Epiſt. 9. Poſtea tamen, ita uſu volvente ab ipſis hominibus ad equos translatus hic ornatus. L. Apul. libr. 10. Mileſiar. Superabatque ea luxuria fidem, additis auro pretioſiſſimiſque gemmis. Achilles Tatius libr. 3. de Clitophonte & Leucippe pag. 72. L. Seneca Epiſt. 80. Ægidius Maſerius ad Valerii Flacci Argonaut. libr. 6. pag. 93. Apollonius libr. 1. Excidii Hieroſolymitani. Dixi ad Epigramma Claudiani *de phaleris equi Regii:*
Dumque auro phaleræ, gemmis dum fræna renident.
Et de 6. Honor. Conſul.
Turbantur phaleræ.

Etru-

Etruſcorum inventum paludamenta, quorum geſtamen illa more Romano: dicta & chlamys eadem veſtis.

CAP. XXX.

AD bellicum apparatum ſpectat paludamentum, quod inter Etruſcorum inventa reponit L. Florus libr. 1. Hiſtor. Roman. cap. 5. Bellicum fuit ipſius Regis geſtamen. Iſidorus libr. 19. cap. 24. Saluſtius Criſpus libr. 3. Hiſtoriar. *Eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo ſanguine ſuorum defenſus, poſtquam ex ſarcinis paludamenta adſtari, & delectæ cohortes intelligi cæpere.* Sed ut reliqua omnia ornamenta, a Tuſcis accepta, Regumque tantum majeſtati debita, Romani ad ſuos tranſtulere Magiſtratus; ita & hoc eodem jure translatum voluere. Sext. Aurel. Victor. in Caligula, Cæſarum veſtem fuiſſe ſcribit *indutus aureo paludamento*. Et Tacitus libr. 12. de Claudio idem confirmat. De Juliano Ammian. Marcell. De Septimio Severo Herodian. libr. 3 notati a Wolfgango Lazio libr. 8. Commentar. cap. 11. Pleraque a me dicta ad illud Claudiani de 6. Honorii Conſulatu:

. . . . & ducibus circumſtipata togatis
Jure paludatæ jam curia militat aulæ.

Eandem veſtem chlamydem dici, Nonius ait. Æl. Spartian. Adriano. *Ingentia dona accepiſſet, atque inter hæc auratas quoque chlamydes.* Jul. Capitolin. in Pertinace Aug. *Purpureaſque chlamydas Græcanicas, atque caſtrenſes.* Trebell. Pollio in Gallienis. *Cum chlamyde purpurea, gemmatiſque fibulis & aureis Romæ viſus eſt.* Eratque hæc Principum initio, mox Senatorum, tum deinde & omnium magiſtratuum patriciorum promiſcue. Aurel. Caſſiodor. libr. 6. Variar. Epiſt. 15. & Epiſt. 21. Et libr. 12. Epiſt. 7. L. 1. C. Theodoſ. *Quo habitu uti oporteat intra urbem.* Gregor. Turonenſ. libr. 2. Hiſtor. Franc. cap. 38. Et plerumque paludati, ſive chlamydati imperatores, etiam ſtatuis poſitis. Stat. Papin. libr. 1. Silv. 1. de Domitiani ſtatua:

It tergo demiſſa chlamys, latus enſe quieto
Securum.

Sic Poëtæ audiendi. Virgilius frequenter maxime libr. 3. Æneid. & Servius ibi:

Dat Phrygiam Aſcanio chlamydem.

Corippus Africanus libr. 1. de Laudib. Juſtin. Minor. num. 4.

Cæſareos humeros ardenti murice texit

Cir-

Circumfuſa chlamys.
Claudian. libr. 2. de Laudib. Stilic. ubi multa dixi:
Quin & Sidonias chlamydes, & cingula baccis
Aſpera, gemmataſque togas, virideſque ſmaragdis
Loricas, galeaſque renidentes hiacynthis,
Geſtatoque patri ſcapulis radiantibus enſes,
Et vario lapidum diſtinctas igne coronas
Dividis ex æquo.

Etruſcorum inventum prætexta: quæ veſtis, & quorum abolla dicta.

CAP. XXXI.

PRætextam ab Etruſcis, ad ornandam Regum ſuorum majeſtatem, antiquiſſimo ſeculo diu ante Romam conditam loquitur non modo L. Florus libr. 1. Hiſtor. Rom. cap. 5. ſed & alii magnæ notæ Scriptores id ipſum teſtantur. C. Plin. libr. 8. cap. 48. Prætextæ apud Etruſcos originem invenere. C. Lucil. libr. 1. Satyrarum:
Prætexta, & tunicæ Lydorum opus ſordidum omne.
Sil. Ital. libr. 8. Punicor.
Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis
Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces,
Et junxit totidem tacito terrore ſecures,
Et princeps Tyrio veſtem prætexuit oſtro.
Hæc eadem pugnas accendere protulit ære.
Aurel. Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 6. *Tullus Hoſtilius, Rex Romanorum tertius, debellatis Etruſcis, ſellam curulem, lictoreſque, & togam pictam, atque prætextam, quæ inſignia magiſtratuum Etruſcorum erant, primus, ut Romæ haberentur, inſtituit; ſed prætextam illo ſeculo puerilis non uſurpabat ætas; erat enim, ut cetera, quæ enumeravi, honoris habitus; ſed poſtea Tarquinius Demarati Corinthii exulis filius Priſcus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt, Rex tertius ab Hoſtilio, quintus a Romulo, de Sabinis egit triumphum: quo bello filium ſuum, annos quatuordecim natum, quod hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudavit, & bulla aurea prætextaque donavit, inſigniens puerum ultra annos fortem, præmiis virilitatis, & honoris. Nam ſicut prætexta magiſtratuum, ita bulla triumphantium erat geſtamen.* Vide quæ ſequuntur Dionyſ. Halicarn. libr. 4. pag. 268. Conſularia ornamenta, ſeu verius regalia enumerat: Θρόνον ἐλεφάντινον, & λευκὴν ἐσθῆτα περιπόρφυρον, & τοὺς προηγουμένους, & δώδε-

Digitized by Google

δώδεκα πελέκεις: *Sellam eburneam, hoc eſt curulem, & albam togam purpura prætextam, & lictores, & duodecim ſecures.* Æl. Lamprid. in Alexandro Severo: *Prætextam & pictam togam nunquam niſi Conſul accepit, & eam quidem, quam de Jovis templo ſumptam alii quoque accipiebant, aut prætores, aut Conſules: accepit prætextam etiam cum ſacra faceret, ſed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris.* Qui locus docet & Imperatores, & Conſules, & Prætores, & Pontifices Maximos uti prætexta conſueviſſe. Claudian. de 6. Hon. Conſul.

Communem majore toga ſignabitis annum.

Sed Romano uſu prætexta præcipue puerile erat geſtamen, ut exequitur Macrobius loco laudato. Levinus Torrentius ad Horat. Epod. Od. 5.

Per hoc inane purpuræ decus precor.

Atque ea poſita, togam virilem induebant. Catullus Epigr. 63. Lucan. libr. 7. principio. Perſius Sat. 5. M. Cicero libr. 5. ad Atticum Epiſt. 21. libr. 6. Epiſt. 1. libr. 9. Epiſt. ult. libr. 10. Epiſt. 8. Horat. libr. 1. Od. 36. Sueton. Auguſto cap. 8. A. Gell. libr. 18. cap. 4. M. Martial. libr. 1. Epigr. 114. Vocataque hæc toga virilis a Perſio loco citato *umbo candidus*, quod ſit velut clypeus adverſus reprehenſiones. Cœl. Rhodigin. libr. 14. Antiquar. Lection. cap. 16. Sumptaque ea, ſumma erat libertas, quare & libera dicta. P. Ovid. libr. 4. Triſt. Eleg. 10.

Liberior fratri ſumpta mihique toga eſt.

Offerebatur toga hæc ſolemni die, deducto in forum tirone, ſeu prætextato, ut jam a viris doctis eſt obſervatum, & dixi ad illud Claudiani de 6. Conſul. Hon.

Romano puerum gaudens offerre favori.

T. Liv. 5. Decad. libr. 5. fin. Sueton. Aug. cap. 96. Symm. libr. 2. Epiſt. 42. Ferebatur ſupra tunicas. M. Tullius de ſuppliciis: *Sententiæ dicendæ loco, ſellam curulem, jus imaginis ad memoriam, poſteritatemque prodendam, togamque prætextam.* Plura alii.

Eadem hæc veſtis *abolla* appellata, putantque vulgo, militarem eſſe veſtem. Nonius Marcell. cap. 14. num. 9. Pallium interpretatur Hadrianus Turnebus libr. 27. Adverſarior. cap. 15. non recte; nam certum eſt, togæ genus quoddam fuiſſe, ſed forte figura aut colore ab aliis togis diſtinctum. Vet. gloſſar. Philoxeni. *Abolla, toga,* ἱμάτιον. Vetus Scholiaſt. Juvenalis ad Satyr. 3. v. 115. *Abollæ, quaſi majoris togæ.* Eſtque tam philoſophorum, quam militum. Satyricus ipſe:

. . . . . *atque audi facinus majoris abollæ.*

Satyr. 4. v. 77.

Currite, jam ſedit, rapta properabat abolla,
Pegaſus.

Servius ad libr. 5. Æneid.

. . . . *duplicem ex humeris rejecit amictum.*

Martial. libr. 4. Epigr. 53. & libr. 8. Epigr. 48.

Neſcit, cui dederit Tyriam Criſpinus abollam.

Etruſcorum inventum calcei militares, qui & Tyrrheni dicti: & crepidæ: faſciis ligati.

CAP. XXXII.

HOc quoque militiæ præſtiterunt Etruſci, ut calcei militibus alii atque in communi uſu ceteris hominibus eſſent. Julius Pollux libr. 7. Onomaſtic. cap. 22. Τυῤῥηνικὰ τὸ κάττυμα ξύλινον, τετραδάκτυλον, οἱ δ' ἱμάντες ἐπίχρυσοι, σανδάλιον γὰρ ἦν, ὑπέδησε δ' αὐτὸ Φειδίας τὴν Ἀθηνᾶν, ἐκάλουν δ' αὐτὰ Τυῤῥηνουργῆ. τὰς μέντοι Τυῤῥηνικὰς ὁ σαφφῶς μάσθλης:

Ποίκιλος μάσθλης λύδιον κακὸν ἔργον.

Quæ ſic Latine ſonant: *Tyrrhenici calcei, quorum ſolea lignea, quatuor digitorum latitudinis, lora autem inaurata, erat autem Sandalium: hoc Phidias induit Minervam, & hos quidem Tyrrhenicos vocabant. Tyrrhenicorum Sappho dixit lorum:*

Lorum varium, Lydium malum opus.

Servius Honoratus ad illud Virgilii libr. 8. Æneid. pag. 515.

Conſurgit ſenior, tunicaque inducitur artus
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Tyrrhena vincula, Tuſca calceamenta, & dicit crepidas, quas primo habuere Senatores, poſt equites Romani, nunc milites. Alii calceos Senatorios volunt, quia hoc genus calceamenti a Tuſcis ſumptum eſt. Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad v. 14. Satyræ ultimæ: *Daruſpis militibus calceamenta dixit*. Corrigendum eſt: *pro ipſis militibus*. Ipſe Poëta:

Bardaicus judex datur hæc punire volenti
Calceus, & grandes magna ad ſubſellia ſuræ
Legibus antiquis caſtrorum.

Æl. Lamprid. in Alexandro: Epiſtola Aureliani Aug. apud Fl. Vopiſcum in eo. *Milites arma terſa, ferramenta Samiatâ habeant, & calciamenta fortia*. Clavis quibusdam ferreis compacti erant, ut milites in eodem veſtigio, defixis in terram clavis, immobiles conſiſtere poſſent, neque facile loco ſuo propelli. Ut diſcimus ex eleganti narratione Fl. Joſephi libr. 7. Belli Judaic. cap. 3. quam hiſtoriam repetiit Egeſippus, ſi ille libri illius auctor eſt, libr. 5. de Excid. Hieroſolymit. cap. 30. Hinc & *calciarium* pro donativo. Paulus J.C. l. 3. ff. offic. præfect. vigil. & l. 2. ff. alim. & cib. legat. Ulpian. l. 8. ff. de Tranſactionib. C. Sueton. Veſpaſ. cap. 8. *clavatumque* a C. Tacito dicitur libr. 3. Hiſtoriar.

Calcei iſti crepidæ etiam dicti, & ideo inter res peregrinas illi habiti calcei, creditique a Græcis Romam translati, cum tamen Servius diſer-

diſerte ſupra proxime laudatus, Tuſcis eorum inventionem attribuat. Suetonius, Seneca, Martialis, Perſius, Juvenalis, & alii conſulantur.

Lora iſtis, ſive anſas aſſignat Sappho, quæ Virgilius vincula appellavit. Uſum illum Homerus novit libr. 2. Odyſſ. principio. Hieron. Magius libr. 3. cap. 3. Poëtæ M. Manil. libr. 5. Aſtronomic.

Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincla.

Alb. Tibull. libr. 1. Eleg. 6. & Eleg. 8. Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 402. Et libr. 8. Epiſt. 11. Livius Andronicus vetuſtiſſimus Poëta apud Terentianum Maurum libr. de Metror. Generib.

Et jam purpureo ſuras include cothurno.

Ex quo Virgilius libr. 1. Æneid.

Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.

Etruſcorum inventum calcei ſenatorii: dimidiatæ lunæ figuram adſutam illi habebant: anſulis ſtricti: coloris nigri: patricii dicti.

CAP. XXXIII.

Etruſcæ inventionis eſt calceus ſenatorius. Servius Maurus Honoratus ad libr. 8. Æneid. pag. 515.

Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis.

Quem vide capite ſuperiori. Erat autem dimidiatæ lunæ effigies adſuta: & ideo quod ſolis patriciis eos ferre liceret, patricii nominabantur, Vetus Inſcriptio in marmore Ariminenſi (1).

C. MARIVS. COS. VII. TRIB. PLEB.
Q. AVG. TIB. MIL. EXTRA
SORTEM. BELLVM. CVM. IV
GVRTHA. REGE. NVMIDIAE
GESSIT. EVM. CAEPIT. TRIVM
PHANS. IN. SECVNDO. CON
SVLATV. ANTE. CVRRVM
SVVM. DVCI. IVSSIT. TER
TIVM. COS. ABSENS. CREA
TVS. EST. IIII. TEVTO
NORVM. DELEVIT. EXERCI
TVM. V. COS. CIMBROS. FV
DIT. EX. ILLIS. ET. TEVTO

 NIS.

(1) Idem Dempſt. Libr. 5. cap. 36. Antiq. Roman. Paralip. ad Roſinum hanc affert inſcriptionem; at Gruterus pag. 416. n. 3. eam aliter refert.

NIS. ITERVM. TRIVMPHANS
REMP. TVRBATAM. SEDI
TIONIBVS. TRIB. PLEB. ET
PRAETOR. V. QVI ARMATI
CAPITOLIVM. OCCVPAVE
RANT. VI. COS. VINDICA
VIT. POST. LXX. ANNVM. PA
TRIA. PER. ARMA. CIVILIA
PVLSVS. ARMIS. RESTITV
TVS. EST. VII. COS. FACTVS
EST. DE. MANVBIIS. CIM
BRIS. ET. TEVTONICIS
AEDEM. HONORI. ET. VIRTVTI
VICTOR. FECIT. VESTE
TRIVMPHALI. CALCEIS. PA
TRICIIS.

Adſtringebantur hi calcei quibusdam loris, ut ſuperiori capite dixit unanimis veterum ſcriptorum conſenſus. Adde Feſtum libr. 1. in voce *amenta*. Achill. Tatius libr. 1. de Amoribus Clitophontis & Leucippes. *Corollæ iis in capitibus erant, crines per humeros effuſi, pedes vinculis exuti, crura veſtibus, zonaque genu tenus ſuccinctis nudata*. Sic ſe Latina verba habent, Græca ad manum non ſunt (1). C. Petron. Satyrico. *Atque alius tunicam meam lacerat, alius vincula calciamentorum reſolvit ac trahit*. C. Plin. libr. 9. cap. 35. notatque Janus Douza, vir genere ſcientiaque nobilis. P. Terentius in Heautontimorumeno. *Detrahere ſoccos*. M. Plautus Epidico. *Soccos adimere pedibus*. Et in Captivis: *compedes adimere*. M. Varro libris Logiſtoricis, eo, cui titulus Cato: *Mihi puero modica fuit unica tunica, & toga, ſine faſciis calciamenti, equus ſine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus*. Idem in Satyra Menippea flexibula: *Domo exeo, intro, & pedes corrigiis compedio*. Poëtæ. Ovid. libr. 3. Metamorph.

Vincla duæ pedibus demunt.

Et libr. 2. Faſtor.

Nec quiſquam invita faciet bene vincula plantæ
Pallade.

Et libr. 5. Faſtor.

Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.

Quare in ſacris expiatoriis ſolvebantur hæc anſæ, aut vinculorum corrigiæ. Virgil. libr. 4. Æneid. de Didone magicis ſacris operante:

Unum exuta pedem vinclis.

Valer.

(1) Græca verba non omnino Latinis reſpondent, ſed ita ſe habent: Στέφανοι περὶ τοῖς μετώποις διαδύμενοι, κόμαι κατὰ τῶν ὤμων λελυμέναι, τὸ σκέλος ἅπαν γεγυμνωμέναι, τὸ γὰρ ζῶσμα μέχρι γόνατος ἀνεῖλκε τὸν χιτῶνα.

Valer. Flacc. libr. 3. Argonaut.

Ducit & ad fluvios, & vincula ſolvere monſtrat
Prima pedum.

Diſtinguebantur hæc calciamenta ab aliis, quod ea, quæ Principes geſtabant, quæque Tzangæ, aut Zancæ dicebantur, purpurei eſſent coloris, haberentque non lunæ effigiem dimidiatæ aſſutam, ſed aquilam. Dixi multis ad Corippum Africanum libr. 2. de Laud. Juſtini Min. n. 4.

Purpureo ſuræ reſonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit Regia vinclis,
Parthica Campano dederat quæ tergora fuco.

Mulierum vero albi, at Senatorum nigri. M. Cicero Philip. 3. *Apertam curiam vidit poſt Cæſaris mortem, mutavit calceos, pater conſcriptus repente factus eſt.* Juvenal. Sat. 7.

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Q. Horat. libr. 1. Sat. 6.

. . . . . . *nigris medium impediit crus*
Pellibus.

Criſtophorus Landinus, *apud antiquos non niſi nobiles nigris calceis utebantur.* Vide Martialem libr. 7. Epigr. 32. Joan. Zonaras Tom. 3. Annal. ubi de Servio Tullio Romanorum Rege. Calcei iſti *mullei* dicti. Feſt. Pomp. libr. 11. in voce *mulleos*. M. Cato libr. 7. Originum. *Qui Magiſtratum curulem cœpiſſet, calceos mulleos allucinatos, ceteri perones.* Titinius poëta in Setina:

. . . . . . *jam cum mulleis*
Te oſtendiſti, quos tibiatim calceas.

Etruſcorum inventum cothurni, ſive calcei tragici: iidem & venatorii.

CAP. XXXIV.

HOc quoque genus calciamenti a Tuſcis profectum. Ovid. libr. 3. Amor. Eleg. 1.

Læva manus ſceptrum late regale tenebat,
Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

Erat certe cothurnus præcipue tragœdorum, ut ſoccus comicorum. L. Apul. libr. 3. Floridor. *Joca non infra ſoccum, ſeria non uſque ad cothurnum.* C. Plin. libr. 37. cap. 2. *Quod miror in tanta gravitate cothurni.* Fallitur Iſidorus libr. 19. Etymologiar. cap. 34. qui putat *ſolis tragœdis* eum convenire, cum & *virginum*, ut altiores viderentur, & *viatorum*, ut a luto defenderentur, fuerint geſtamen cothurni: quod in Antiquitat. Roman. dictum hic non repeto. Poëtæ. Ennod. Ticinen. præfat. 8. libr. 1. carm.

Nec

Nec mea grandiſono flammentur corda cothurno.

Terentian. Maurus libr. de Metris:

Et qui cothurnis Regios actus levant.

Sidon. Apollinar. libr. 8. Epiſt. 11.

Soccos ferre cave, nec ut ſolebat
Laxo pes natet altus in cothurno.

M. Manil. libr. 5. Aſtronom.

Quin etiam tragico præſtabit verba cothurno.

Claudian. de Conſulatu Manlii Theodori ad finem:

. . . . qui pulpita ſocco
Perſonat, atque alte graditur majore cothurno.

Volumnius Tuſcas tragœdias ſcripſit: primus apud Græcos tragœdus; item & apud Romanos: & Poëta Tuſcus ſub Auguſto.

CAP. XXXV.

Diu, antequam tragœdiæ nomen Romæ fuiſſet auditum, quidam Volumnius, poëta Tuſcus, tragœdias ſcripſit; ut quemadmodum ludos ſcenicos ab Etruſcis illi ſunt mutuati, ita quoque & tragicum apparatum ab iisdem mutuatum videri poteſt. M. Varro libr. 4. de Ling. Lat. *Ager Romanus primum diviſus in partes treis, a quo tribus appellatæ Tatienſium, Rhamnium, Lucerum: nominatæ, ut ait Ennius, Tatienſes a Tatio, Rhamnenſes a Romulo, Luceres, ut ait Junius, a Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tuſca, ut Volumnius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat.* In MS. Bibliothecæ Farneſianæ, non *Volumnius* legebatur, ſed *Volnius*, inepte, ut opinor; Volumnii enim plerique in Etruria, & Deus Volumnius, ſeu Volumnus, & Dea Volumna, ut libr. 1. ſupra hoc opere oſtendebam cap. 15. (1) & *Vola* arcem, lingua Etruſca antiquiſſima ſignificabat. Eod. libr. cap. 20.

Volumnius igitur tragœdias Tuſcas ſcripſit, antequam Etruria ditionis fuiſſet Romanæ, quo tempore ne literas, nedum tragœdiæ uſum Roma ſciebat; nam P. Ovidius Naſo primus in ea gente ad normam Græcorum tragœdiam revocavit, Medeamque dedit, quam immodice extollit Quintilianus libr. 1. Inſtitut. Oratoriar. cap. 1. Ipſe meminit loco proxime laudato:

Alte-

(1) Gelenius ad cap 53. libr. 2. Plinii ſic habet: Tuſci terram vocabant *Volam*: inde *Volta* terrigena bellua.

Altera me ſceptro decoras, altoque cothurno,
Jam nunc contracto Magnus in orbe ſonor.

Et libr. 2. Amor. Eleg. 18.

Sceptra tamen ſumpſi, curaque tragœdia noſtra
Crevit, & huic operi quamlibet aptus eram.
Riſit Amor, pallamque meam, pictoſque cothurnos,
Sceptraque privata tam cito ſumpta manu.

Paulo poſt Varius in eodem ſtadio decurrit. Martial. libr. 8. Epigr. 18.

Et Vario ceſſit Romani laude cothurni.

Quod autem ante illos, *Accius & Pacuvius in tragœdia clariſſimi*, nominentur a Fabio Quintiliano ubi ſupra, qui tamen longe Ovidium Variumque ætate ſuperarunt, intelligendum eſt, non de tragœdiis ab iis ſcriptis, ſed Latina lingua donatis; deinde, ut verum ſit tragœdias non vertiſſe, ſed etiam compoſuiſſe, certe imperfecta eo ævo fuit illa politioris literaturæ ſpecies, quam ſub Auguſto, illi, quos nominavi, duo eam abſolverint, ornaverintque. Pſeudocornutus ad A. Perſii Satyr. 1. v. 76.

Eſt nunc Briſæi quem Venoſus liber Acci,
Sunt quos Pacuviuſque, & verrucoſa moretur
Antiopa.

Non deſunt, qui ad Græcos tragœdiæ originem referant, cujus antiquiſſimus uſus ſingulis annis in Lænæis, Dionyſiis, Panathenaicis, & Chytris oſtenderetur quadruplici fabula. Suid. in voce τετραλογία. Alii, inter quos Donatus in prologo Adelphor. Terentii, Homerum auctorem faciunt: *Qui omnis poëticæ largiſſimus fons, tragicis carminibus exempla præbuit, & velut quadam operum ſuorum lege præſcripſit, Iliadem inſtar tragœdiæ, Odyſſeam ad imaginem comœdiæ feciſſe monſtratur.* At Plato contentus eſt ad Athenienſes trahere, in Minoë. Diogen. Laërt. in Platone libr. 3. in fine. Anonymus Poëta libr. 1. Anthologiæ cap. 57. Epigr. 22. εὗρεν, *invenit*

Εὐτέρπη τραγικοῦ χοροῦ πολυηχέα φωνήν.
Euterpe tragici chori multiſonam vocem.

Sunt etiam qui Suſarionem Rullum tantæ rei inventorem faciant, ut Donatus. Frequentior tamen celebriorque ſententia eſt, a Theſpi inventum hoc manaſſe. Suid. in voce Θέσπις. Scholiaſt. Ariſtophanis. Horat. in Arte Poëtica:

Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camenæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent agerentque peruncti facibus ora.

Nec aliqui ad Eupolim id referre dubitarunt. Diomedes Grammaticus, Pet. Nannius Alcmarianus annotabat; quamquam ille non tam tragici carminis, quam comici auctor eſt cenſendus. Quintilian. libr. 10. cap. 1. Q. Horat. libr. 1. Sat. 4. principio. Ariſtoteles libr. de Re Poëtica conſulatur. Jul. Scalig. libr. 1. Poëtices cap. 6. quos non excribo.

Fuit

Fuit alius Poëta Tuſcus, ſub Auguſto clarus. Ovid. libr. 4. de Ponto Eleg. ult.

Quique ſua nomen Phyllide Tuſcus habet.

Etruſcorum inventum triumphus, & ejus pompa ſive apparatus: triumpus & triumfus: alii populi ante Romam conditam triumphabant.

CAP. XXXVI.

Etruſci triumphandi ritum Romanis communicarunt. L. Florus libr. 1. Hiſt. Roman. cap. 5. *Neque pace Tarquinius, quam bello promptior, duodecim namque Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit, & inde faſces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta: inde quod aurato curru quatuor equis triumphatur: togæ pictæ, tunicæque palmatæ, omnia denique decora & inſignia, quibus imperii dignitas eminet.* Accedit Strabo Amaſianus libr. 5. Geogr. pag. 152. Ἐκόσμησε δ' οὖν τὴν Τυῤῥηνίαν καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ πατὴρ πρότερον, ὁ μὲν εὐπορίᾳ δημιουργῶν τῶν συνακολουθησάντων οἴκοθεν, ὁ δὲ ταῖς ἐκ τῆς Ῥώμης ἀφορμαῖς. λέγεται δὲ καὶ ὁ θριαμβικὸς κόσμος, καὶ ὑπατικὸς, καὶ ἁπλῶς ὁ τῶν ἀρχόντων ἐκ Ταρκυνίων δεῦρο μετενεχθῆναι, καὶ ῥάβδοι, καὶ πελέκεις, καὶ θεῶν ἀγάλματα, καὶ (1) ῥαβδοῦχοι, καὶ σάλπιγγες, καὶ ἱεροποιΐαι, καὶ μαντικὴ, καὶ μουσικὴ ὅση δημοσίᾳ χρῶνται Ῥωμαῖοι. *Exornarunt Etruriam tum hic, tum prius pater: hic quod opificibus domo* (Corintho) *ipſum comitatis abundaret: ille, quod Roma ad eam rem facultates ſuppeditaret. Traditum eſt ornatum triumphalem ac conſularem, adeoque omnium Magiſtratuum a Tarquiniis Romam fuiſſe translatum, nec non faſces, ſecures, & Deorum ſtatuas, & lictores, & tubaſ, & ſacrificia, & divinationem, & muſicam, qua publice utuntur Romani.* Videtur Strabo triumphandi apparatum ad Romanos quidem a Tuſcis veniſſe ſignificare, ſed & illos a Græcis hauſiſſe: quod non poteſt mirum videri in Græculo, impenſius patriæ ſuæ encomiis favente. Nam verius Appianus Alexandrinus, facundus olim Romæ advocatus, & verax hiſtoricus, antiquiorem multo facit triumphi apud Etruſcos inventionem, ſcilicet mille annis & amplius ante Romam. In bello Punic. pag. 35. Αὐτοῦ δ' ἡγοῦνται τοῦ στρατηγοῦ ῥαβδοῦχοι φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες, καὶ χορὸς κιθαριστῶν τε καὶ τιτυριστῶν, ἐς μίμημα τῆς Τυῤῥηνικῆς πομπῆς, περιεζωσμένοι τε καὶ στεφάνην χρυσῆν ἐπικείμενοι. ἴσα τε βαίνουσιν ἐν τάξει μετὰ ᾠδῆς, καὶ μετὰ ὀρχήσεως. Λυδοὺς αὐτοὺς καλοῦσιν, ὅτι οἶμαι Τυῤῥηνοὶ Λυδῶν ἄποικοι. Vertit non incommode Franciſcus Beraldus. *Ipſum lictores paludati præcedunt imperatorem, & chorus cythariſtarum ac ſatyrorum, Etru-*

(1) In editione Caſauboni verba: καὶ θεῶν ἀγάλματα, καὶ ῥαβδοῦχοι non apparent.

Etruſco more cinctorum, ornatorumque coronis aureis, cum cantu & cum tripudio, Ludiones ipſi vocant, ideo, opinior, quia Etruſci Lydorum coloni ſunt. Non placet tamen, quod χιτῶνας φοινικοῦς ἐνδεδυκότες vertat *Lictores paludati*, qui nunquam paludamento, quod ſciam, uſi reperiuntur, cum is habitus Ducum tantummodo eſſet, ut cap. 30. ſupra hoc libro adnotabam. Melius forte *tunicati*, nam χιτῶνα *tunicam* dixit Interpres vulgaris Homeri Iliad. libr. 3. v. 57. & forte ideo in triumpho lictores tunicati, quaſi mollitiem exprobraturi hoſtibus eo habitu, qui non erat militaris. A. Gell. libr. 7. Noct. Atticar. cap. 12. Vel convenientius Romanis moribus *ſagati* purpureis veſtibus; ſago enim purpureo lictor uſus. Sil. Italic. libr. 10. Punicor.

Ut vidit ſagulo circumvolitare rubenti
Lictorem.

Errat itaque Plutarchus, qui in Romulo pag. 27. triumphi originem ad Romuli de Acrone Rege victoriam refert, & plerique illum ſecuti; nam nec ſub eo triumphus eſſe potuit, ſive equo, ſive curru. Sed pergo. Summus hic honor, qui mortalibus contingere poterat, cenſebaturque unicum laboris bellici præmium, laudem & gloriam quippe victores ſolum referebant. Guilielm. Bellendenus Scotus, Magiſter libellorum ſupplicum Auguſti Regis Britanniarum in Senatore Ciceroniano cap. 19. Porro *triumpus*, & *triumfus* ſine aſpiratione & cum *f*. in vetuſtis numiſmatis apud Adolphum Occonem non ſemel: & notat Angelus Politianus Miſcellaneor. cap. 19. Veteres quoque Inſcriptiones id ipſum præferunt (1).

FL. EVGENIO. V. C. EX. PRAEFFCTO. PRAETORIO
CONSVLI. ORDINARIO. DESIGNATO. MAGISTRO
OFFICIORVM. OMNIVM. COMITI. DOMESTICO
ORDINIS. PRIMI. OMNIBVSQ. PALATINIS
DIGNITATIBVS. FVNCTO. OB. EGREGIA. EIVS
IN. REMPVBLICAM. MERITA. HVIC
D. D. N. N. CONSTANTIVS. VICTOR. AC
TRIVMFATOR. SEMPER. AVGVSTVS. ET
IVLIANVS. NOBILISSIMVS. CAESAR
STATVAM. SVB. AVRO. IN. FORO. DIVI
TRAIANI. QVAM. ANTE. SVB. DIVO
CONSTANTE. VITAE. ET. FIDELISSIMAB
DEVOTIONIS. GRATIA. MERVIT
ADPROBANTF. AMPLISSIMO. SENATV
SVMPTV. PVBLICO. LOCO. SVO
RESTITVENDAM. CENSVERVNT.

(1) Apud Gruter. pag. 406. num. 1.

Vulgata tamen, receptaque lectio ex vetuſtis etiam lapidibus poteſt probari. Lapis in monte Quirinali vulgatam lectionem confirmans. (1)

P. DECIVS. DECI. F
PRIMVM. COS
DE. SAMNITIBVS
TRIVMPHANS
SPOLIA. EX. IEIS
CERERI. CONSECRAVIT
ITERVM. ET. TERTIVM
CONSVL. . . . .
. . . .

Certe ante Romam conditam alii etiam populi triumphaſſe leguntur. Exemplo ſit Cyrus, primus Perſarum Rex. Georg. Cedrenus Compend. Hiſtoriar. pag. 114. Ptolomeus Philadelphus, ut operoſiſſime deſcribit Athenæus libr. 5. Dipnoſophiſt. Et Xerxes. Herodot. libr. 7. Et Carthaginienſes, auctore Polybio libr. 3. Denique antiquiſſima memoria Bacchum ſuperatis Indis volunt triumphum inſtituiſſe, C. Plin. libr. 8. cap. 56. Diodor. Sicul. libr. 4. pag. 147. Nonnus Panopolitanus Dionyſiacis pag. 143. Cui ſententiæ Poëtæ favent. Ovid. libr. 1. Amor. Eleg. 2. M. Martial. libr. 8. Epigr. 28. Virgil. libr. 6. Æneid. v. 806. Stat. libr. 4. Thebaid. v. 386. Sil. Italic. libr. 17. Punicor. ad finem. Cl. Claudian. de 4. Honorii Conſul.

Talis Erythræis intextus Nebrida gemmis
Liber agit currus, & Caſpia flectit eburnis
Colla jugis, Satyri circum, crinemque ſolutæ
Mænades, adſtringunt hederis victricibus Indos:
Ebrius hoſtili velatur palmite Ganges.

De pompa dicendum fuerat, ſed præoccupavi libr. 10. Antiquitat. Romanar. cap. 29. In ea gentes victæ, adeoque totius belli forma præferebatur. Tacit. libr. 2. Annal. Tull. in Orat. in Piſonem. T. Liv. 4. Decad. libr. 7. fine. Cincius vetuſtiſſimus auctor libr. 2. Myſtagogicon apud Feſtum Pompejum libr. 18. in voce *trientem*. Plin. libr. 5. cap. 5. Ovid. libr. 1. de Arte. Et libr. 4. de Triſt. Eleg. 2. Et libr. 2. de Ponto Eleg. 1. Et libr. 3. de Ponto Eleg. 4. Sidon. Apollinar. Carm. 5. fine. A. Perſ. Satyr. 6. Sext. Propert. libr. 2. Eleg. 1. Dio Coccejan. libr. 44. pag. 234. Claudian. libr. 3. de Laudib. Stilic.


Oſtentare ſuos priſco ſi more labores
Et gentes cuperet vulgo monſtrare ſubactas,
Certarent utroque pares a cardine laurus.
Hæc Alemannorum ſpoliis, Auſtralibus illa

Ditior

(1) Apud Grut. pag. 26. n. 11. Vide plura apud Aldum Manutium in Orthographia, qui adſpirationem in hac voce omnino probat.


Digitized by Google

Tab·XXXXVII·




Vas Fictile Alt. P.II. Vnc. VI





Figuræ l



In Musæo Emi. Card. Gualterio





In Collo Vasis


Vin. Franceschini Sculp.

Digitized by Google



Tab. III.

Tom. I. pag. 331.



Figuræ In Corpore Vaſis Tabulæ Antecedentis Notati Litera C

Vin. Franceſchini ſcul.

Digitized by Google



Vas Fictile Florentiæ in Museo Magni Ducis Etruriæ Alt. p. I. unc. V.

A. Picturæ in corpore uaſis in parte anteriore delineatæ.
B. Picturæ ſupra cardinem in plano leuiter inclinato in parte uaſis ſuprema, ex qua collus exurgit cætera ornamenta corporis uaſis omiſſa.
Puncta, croceus colorem fundi indicant, quo tectus undique est uas ex terra cocta dilutè rubra fabrefactum.
Lineæ tranſuerſis ductæ, colores nigros denotant.
Lineæ ad perpendiculus, colorem purpureus ad uinaceus uergentes demonstrant.
Partes figurarus absque lineis et albæ, colores album significant.

Ditior exuviis, illinc flavente Sicambri
Ceſarie, nigris hinc Mauri crinibus irent,
Ipſe albis veheretur equis, currumque ſecutus
Laurigerum, meſto fremuiſſet carmine miles:
Hi famulos traherent Reges: hi facta metallo
Oppida, vel montes, captivaque flumina ferrent:
Hinc Lybici fractis lugerent cornibus amnes:
Inde catenato gemeret Germania Rheno.

Et quod aſpectu maxime miſerandum videbatur, hic Reges vincti, aut ſi morte ludibrium præveniſſent, picti ſub triumphantis pedibus ferri jubebantur. Artemidor. libr. 1. cap. 50. Achmes Seirim libr. Oneirocriticon cap. 114. Alb. Tibull. libr. 1. Eleg. 7. Q. Horat. libr. 2. Epiſt. 1. Guilielmus Apulienſis Rerum in Italia ac Regno Neapolitano Normanicarum libr. 1.

Ductus Adenolfi miſer Exauguſtus ad urbem
Præcedebat equum victoris ab hoſte ligatus,
Oſtentare ſui pompam cupiente triumphi.

Gaufredus Malaterra Monachus, Rerum in Italia geſtarum a Roberto Viſcardo, & Rogerio fratre libr. 3. pag. 71.

Roma quondam bellipotens toto orbe florida,
Colla ſuperborum domans perluſtrabas climata,
Leges dabas, & habenis temperabas omnia,
Ante te tremebant duces, principes, imperia,
Curvabantur colla Regum, loris tuis domita,
Nil ſuperba reſiſtebant, enſe tuo territa.

Videatur Corippus meus in præfatione, & libr. 1. num. 3. & num. 15. Et libr. 2. num. 3. Apollonius Collatius, cultiſſimus Poëta, qui Novariæ ante annos nongentos vivebat, libr. 2. de Excid. Hieroſolymor.

. . . . niveos anteire jugales
Haud me pœniteat depreſſum colla catenis,
Ut currus ſim pompa tui. (1)

(1) Ea, quæ hic noſter Auctor affert de uſu triumphorum apud Etruſcos, magnopere illuſtrare videntur picturæ in vaſe fictili apud Eminentiſſim. Gualterium, in quibus præcipue triumphans in quadriga, laurea corona, veſtibuſque triumphalibus ornatus cernitur. Et in vaſe itidem fictili in Muſæo Magni Ducis exprimi videtur pompa ludiorum, quam comitari ſolitam eſſe triumphum ſcribit Appianus Alexandrinus hoc capite laudatus.

Etruſcorum inventum currus triumphalis: is rotundus, turris inſtar: coronis penſilibus ornatus.

CAP. XXXVII.

UT triumphum ipſum invenerunt Etruſci, ita & ejus ornamenta, in quibus vel præcipue currus cenſendus; nam ovabant quidem, levioribus rebus geſtis, equo: at ſex millibus hoſtium interfectis, vel, ut minus, quinque, ex Lege triumphali, moris erat & inſtituti Etruſci triumphare. L. Flor. libr. 1. cap. 5. cujus verba capite ſuperiori poſita hic non repeto. Fuſe Appian. Alexandrin loco laudaro. Antiquiſſimus ſane is, & ab heroicis temporibus uſurpatus, paſſim apud Homerum. Q. Curtius libr. 4. principio. *Darius, tanti modo exercitus Rex, qui triumphantis, magis, quam dimicantis more, curru ſublimis inierat prælium*. C. Plin. libr. 28. cap. 4. & libr. 35. cap 10. *Mirantur &c. belli imaginem, reſtrictis a tergo manibus, Alexandro in curru triumphante*. Val. Max. libr. 8. cap. 16. tit. 2. *Conſtitue omnes currus triumphales*. L. Sen. libr. de Vita Beata cap. 25. *Currus triumphantem vehat*. Et libr. de Brevit. Vit. cap. 14. *Triumphantem ante currum captivos elephantos duxiſſe*. Hic neque pilentum, neque carpentum, neque ciſium, neque covinum Scoticum, cujus celeberrima mentio apud probatos auctores, referebat; *ſed turrim quandam rotundam*, ut puto, quia ea forma rem bellicam magis denotabat, ut obſervat Adrianus Turnebus libr. 2. Adverſarior. cap. 16. ex Joanne Zonara Tom. 3. Annal. Erat invaleſcente luxuria ex ebore. P. Ovid. libr. 4. Triſt. Eleg. 2.

. . . . . . currus ſpectat eburnos.

Et libr. 3. de Ponto Eleg. 4.

Ille ducis facies in curru ſtantis eburno.

Albinovanus Pedo in Conſolatione ad Liviam, ſi tamen ille auctor eſt, ac non potius alius eo ævo terſus Poëta:

Regalique habitu, curruque ſuperbus eburno
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Alb. Tibull. libr. 1. Eleg. 7.

Portabit niveis currus eburnus equis.

Faſtigium bracteis aureis decorabatur, quare aureus ab Eutropio libr. 4. Hiſtor. Roman. de Pauli Æmilii triumpho dicitur, & a Fl. Vopiſco in Aureliano. Ammian. Marcellin. libr. 16. *Conſtantinus in aureo ſolus ſedebat carpento*. A L. Seneca libr. 10. Controver. 1. *auratus* eſt de Cn. Pompei magnitudine. Sext. Propert. libr. 1. Eleg. 16.

Cujus inaurati celebrabant limina currus.

Horat.

Horat. libr. Epod. od. 9.

Jo triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactos boves.

Atque ſub hoc curru flagella pendebant, ut oſtenderetur, triumphantem legibus patriis ſubeſſe, unaque faſcinus dependebat, ne invidia noceret. Dicebam hoc libr. ſupra cap. 22. Et ut aliquas victoriæ notas populus ſpectaret, currus rotas, temonemque, atque axem ſanguine reſpergebant. L. Sen. libr. 1. de Clementia cap. ult. in fine. P. Virgil. libr. 11. Æneid.

Ducunt & Rutilo perfuſos ſanguine currus.

Claudian. de 6. Honor. Conſul.

Scilicet ut Latio reſperſos ſanguine currus
Aſpicerem.

Etruſcorum inventum equi quatuor, triumphi currui juncti: illi albi: ab aliis animalibus, etiam hominibus, currus tracti.

C A P. XXXVIII.

DUcebant currum *quatuor equi candidi*, itidem & ab Etruſcis in hos uſus excogitati. L. Flor. libr. 1. Hiſtor. Roman. cap. 5. His volunt plerique primum omnium Camillum vectum. T. Liv. 1. Decad. libr. 5. Plutarch. in Camillo. Auctor de Vir. Illuſtrib. cap. 23. at Flor. diſerte id Tarquinio Priſco tribuit; imo & ſunt, qui Romulum ſic triumphaſſe volunt. Sext. Propert. libr. 2. Eleg. 1.

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Abunde Servius Maurus ad libr. 4. Æneid. v. 543. Ἵπποι, *Jovis equi* appellantur ab Herodiano libr. 7. Diodor. Sicul. libr. 14. Biblioth. pag. 356. Helen. Acron ad illud Horatii libr. 1. Sat. 7.

. . . . barros ut equis præcurreret albis.

Petrus Apollon. Collatius libr. 2. Excidii Hier. in fine:

Quod ſi ſervitium non effugiſſe licebat,
Sorte mea lator, niveos anteire jugales
Haud me pœniteat.

Equi illi candidi coloris, vel quia tales Jovis currui jungebant, vel quia pulchriores aſpectu, vel quia velociores. Virgil. libr. 12. Æneid. in principio, ex Homeri libr. 10. Iliad. v. 438. Tibull. libr. 1. Eleg. 2.

Nec tantum equi currum triumphalem ducebant, ſed alia etiam animalia, ut leones. Plin. libr. 8. cap. 16. Petrus Victorius libr. 16. Variar.

Etruſcorum inventum currus triumphalis: is rotundus, turris inſtar: coronis penſilibus ornatus.

CAP. XXXVII.

UT triumphum ipſum invenerunt Etruſci, ita & ejus ornamenta, in quibus vel præcipue currus cenſendus; nam ovabant quidem, levioribus rebus geſtis, equo: at ſex millibus hoſtium interfectis, vel, ut minus, quinque, ex Lege triumphali, moris erat & inſtituti Etruſci triumphare. L. Flor. libr. 1. cap. 5. cujus verba capite ſuperiori poſita hic non repeto. Fuſe Appian. Alexandrin loco laudato. Antiquiſſimus ſane is, & ab heroicis temporibus uſurpatus, paſſim apud Homerum. Q. Curtius libr. 4. principio. *Darius, tanti modo exercitus Rex, qui triumphantis, magis, quam dimicantis more, curru ſublimis inierat prœlium*. C. Plin. libr. 28. cap. 4. & libr. 35. cap. 10. *Mirantur &c. belli imaginem, reſtrictis a tergo manibus, Alexandro in curru triumphante*. Val. Max. libr. 8. cap. 16. tit. 2. *Conſtitue omnes currus triumphales*. L. Sen. libr. de Vita Beata cap. 25. *Currus triumphantem vehat*. Et libr. de Brevit. Vit. cap. 14. *Triumphantem ante currum captivos elephantos duxiſſe*. Hic neque pilentum, neque carpentum, neque ciſium, neque covinum Scoticum, cujus celeberrima mentio apud probatos auctores, referebat; *ſed turrim quandam rotundam*, ut puto, quia ea forma rem bellicam magis denotabat, ut obſervat Adrianus Turnebus libr. 2. Adverſarior. cap. 16. ex Joanne Zonara Tom. 3. Annal. Erat invaleſcente luxuria ex ebore. P. Ovid. libr. 4. Triſt. Eleg. 2.

. . . . . . currus ſpectat eburnos.

Et libr. 3. de Ponto Eleg. 4.

Ille ducis facies in curru ſtantis eburno.

Albinovanus Pedo in Conſolatione ad Liviam, ſi tamen ille auctor eſt, ac non potius alius eo ævo terſus Poëta:

Regalique habitu, curruque ſuperbus eburno
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Alb. Tibull. libr. 1. Eleg. 7.

Portabit niveis currus eburnus equis.

Faſtigium bracteis aureis decorabatur, quare aureus ab Eutropio libr. 4. Hiſtor. Roman. de Pauli Æmilii triumpho dicitur, & a Fl. Vopiſco in Aureliano. Ammian. Marcellin. libr. 16. *Conſtantinus in aureo ſolus ſedebat carpento*. A L. Seneca libr. 10. Controver. 1. *auratus* eſt de Cn. Pompei magnitudine. Sext. Propert. libr. 1. Eleg. 16.

Cujus inaurati celebrabant limina currus.

Horat.

Horat. libr. Epod. od. 9.

Io triumphe, tu moraris aureos

Currus, & intactos boves.

Atque ſub hoc curru flagella pendebant, ut oſtenderetur, triumphantem legibus patriis ſubeſſe, unaque faſcinus dependebat, ne invidia noceret. Dicebam hoc libr. ſupra cap. 22. Et ut aliquas victoriæ notas populus ſpectaret, currus rotas, temonemque, atque axem ſanguine reſpergebant. L. Sen. libr. 1. de Clementia cap. ult. in fine. P. Virgil. libr. 11. Æneid.

Ducunt & Rutilo perfuſos ſanguine currus.

Claudian. de 6. Honor. Conſul.

Scilicet ut Latio reſperſos ſanguine currus

Aſpicerem.

Etruſcorum inventum equi quatuor, triumphi currui juncti: illi albi: ab aliis animalibus, etiam hominibus, currus tracti.

CAP. XXXVIII.

DUcebant currum *quatuor equi candidi*, itidem & ab Etruſcis in hos uſus excogitati. L. Flor. libr. 1. Hiſtor. Roman. cap. 5. His volunt plerique primum omnium Camillum vectum. T. Liv. 1. Decad. libr. 5. Plutarch. in Camillo. Auctor de Vir. Illuſtrib. cap. 23. at Flor. diſerte id Tarquinio Priſco tribuit; imo & ſunt, qui Romulum ſic triumphaſſe volunt. Sext. Propert. libr. 2. Eleg. 1.

Quatuor hinc albos Romulus egit equos,

Abunde Servius Maurus ad libr. 4. Æneid. v. 543. *Ἵπποι, Jovis equi* appellantur ab Herodiano libr. 7. Diodor. Sicul. libr. 14. Biblioth. pag. 356. Helen. Acron ad illud Horatii libr. 1. Sat. 7.

. . . . barros ut equis præcurreret albis.

Petrus Apollon. Collatius libr. 2. Excidii Hier. in fine:

Quod ſi ſervitium non effugiſſe licebat,

Sorte mea lætor, niveos anteire jugales

Haud me pœniteat.

Equi illi candidi coloris, vel quia tales Jovis currui jungebant, vel quia pulchriores aſpectu, vel quia velociores. Virgil. libr. 12. Æneid. in principio, ex Homeri libr. 10. Iliad. v. 438. Tibull. libr. 1. Eleg. 2.

Nec tantum equi currum triumphalem ducebant, ſed alia etiam animalia, ut leones. Plin. libr. 8. cap. 16. Petrus Victorius libr. 16. Variar.

Digitized by Google

Variar. Lect. cap. 3. Ex Ciceronis Philip. 2. Andr. Alciat. Emblem. 29. Elephantis vectus Pompejus Magnus, Cæſar, Claudius, Domitius, Severus, & fabuloſus ille Liber India devicta. Tigres junxit Heliogabalus, equas Nero, Aurelianus cervos, ut docebam ex multis libr. 10. Antiquitat. Romanar. cap. 29. Denique Suſacus Rex Ægypti ſuperatos Reges currui adjunxit. Fl. Joſephus libr. 8. Antiquitat. Judaicar. cap. 10. Hunc alii Seſoſtrem vocant. Ælian. libr. 12. Var. Hiſtor. cap. 4. Diodor. Sicul. libr. 2. principio. Plin. libr. 33. cap. 2. Henricus Samerius Luxemburg. in Chronico ſacro. Joan. Temporarius Chronologicar. Demonſtrat. libr. 1. M. Valer Flacc. libr. 5. Argonaut.

. . . . ut prima Seſoſtris
Intulerit Rex bella Getis.

M. Annæus Lucan. libr. 10. Pharſal. v. 273.

Venit ad occaſum mundique extrema Seſoſtris
Qui Pharios Regum currus cervicibus egit.

Etruſcorum inventum corona triumphalis, laurea, & aurea: a carnifice ſuſtinebatur in eodem curru: duplex illa, ſolida ex auro, Etruſca dicta, & inaurata, lemniſcis obducta: aurum coronarium: in ſinu Jovis deponi ſolita.

CAP. XXXIX.

Coronæ quoque triumphales ab Etruſcis inventæ, imo & omnia coronarum genera, ſed maxime ſacræ & triumphales, quæ ideo Etruſcæ dicebantur. Q. Flor. Tertullian. libr. de Corona Militis cap. 13. *Coronant & publicos ordines laureis publicæ cauſæ, magiſtratus vero inſuper aureis, ut Athenis, ut Romæ, præferuntur etiam illis Etruſcæ, hoc vocabulum eſt coronarum, quas gemmis, & foliis ex auro quercinis, ob Jovem inſignes, ad deducendas thenſas, cum palmatis togis ſumunt.* C. Plin. libr. 21. cap. 3. principio. *Craſſus dives primus argento auroque folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit, acceſſeruntque & lemniſci, quas adiici ipſarum coronarum honos erat propter Etruſcas, quibus jungi niſi aurei non debebant.* Et libr. 33. cap. 1. ſignificat clariſſime, triumphalem ſic vocari ſolitam. *Vulgoque ſic triumphabant, & cum corona ex auro Etruſca ſuſtineretur a tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æqua fortuna triumphantis, & ſervi coronam a tergo*

tergo ſuſtinentis. Antiquiſſimum ſane hoc inventum Etruſcorum, & ab ipſo Jano, primo Rege, inrroductum. Ex Dracone Corcyræo Athenæus libr. 15. Dipnoſophiſt. pag. 692. Ὅτι Ἴανος, ὁ παρ' ἡμῖν θεὸς, ὃν καὶ πατέρα προσαγορεύομεν, πρῶτος εὗρε στέφανον, ἱστορεῖ δὲ τοῦτο Δράκων ὁ κερκυραῖος, ἐν τῷ περὶ λίθων γράφων οὕτως. Ἴανον δὲ λόγος ἔχει διπρόσωπον γεγονέναι, τὸ μὲν ὀπίσω, τὸ δ' ἔμπροσθεν ἔχοντα πρόσωπον, ἀπὸ τούτου καὶ τὸν Ἴανον ποταμὸν, ϗ τὸ ὄρος Ἴανον ὀνομάζεσθαι, κατοικήσαντος αὐτοῦ περὶ τοῦ ὄρους· πρῶτον δὲ καὶ στέφανον εὑρεῖν, ϗ σχεδίας, καὶ πλοῖα, ϗ νόμισμα χαλκοῦν πρῶτον χαράξαι. Quæ ſic Latine tinniunt: *Nimirum Janum noſtratem Deum, quem patrem cognominamus, coronam primum inveniſſe, quod proditum eſt, a Dracone Corcyræo libro de lapidibus, bis verbis: Janum fama eſt bifrontem fuiſſe, altera facie poſteriore, anteriore altera: Janum flumen, Janumque montem ab eo fuiſſe cognominatum, quod in eo monte habitaverit: coronas illum reperiſſe, navigia, rates, nummum æreum ab illo primum ſignatum*. Indubitatum itaque eſt, Etruriam dediſſe coronis principia, & originem, quas, ut reliqua omnia, ab aliis gentibus accepta, in ſummum Romani extulere, ut quæ initio neceſſaria ornamenta reperta a Tuſcis fuere, ea inſolentiſſime per incredibilem luxum Romani corrupere: quod vel coronarum uſus oſtendere poteſt, quas nudas ornandis magiſtratibus ſuis Etruſci excogitaſſent,. vel Deorum ſimulacris decorandis, eas Romani in conviviis, in militia, in ludis, in pompa qualibet, argento, auroque cælatis, aut gemmis maximi pretii inſignitas geſtarent. Exemplum Pompeii id docet apud Plinium libr. 37. cap. 2. quem conſule. Ego ad triumphalem redeo. Coronam triumphalem duplicem reperio, pro ratione Reipublicæ, pauperis aut ſplendidæ, aut luxuriantis, fuiſſe: unam *ſolidam* ex auro totam, de qua Plinii verba jam laudati intelligenda, quæ ex MS. ſic poſui, in vulgatis paulo aliter, nec forte tam bene concepta. *Æque triumphantis, ac ſervi fortaſſe coronam ſuſtinentis:* alteram *inauratam*, aut lauream, ſed bracteis obductam, de qua Tertullianus libt. eodem cap. 12. *Triumphi laurea foliis ſtruitur, hæc adumbratur lemniſcis, inauratur lamnulis*. In MS. legebatur: *Triumphi laurea foliis inſtruitur*; ſed parum recte.

Hanc ſervus publicus, ſive carnifex a tergo ſuſtinebat, ut dicebam. Idem Plinius libr. 28. cap. 4. *Ut ſit exorata a tergo Fortuna, gloriæ carnifex*. Cœlius Rhodigin. libr. 3. Antiquar. Lection. cap. 7. Flor. Tertullian. in Apologet. cap. 33. *Niſi homo ſit, non eſt Imperator, hominem ſe eſſe etiam triumphans in illo ſublimiſſimo curru admonetur; ſuggeritur enim ei a tergo: reſpice poſt te: hominem memento te*. Suggeſtor ille, carnifex, qui comitabatur victorem Imperatorem, non in pompa illa tantum triumphali, ut Plinius hic indicat, ſed convivio etiam intererat, & pocula miniſtrabat, amate triumphantem ſubinde humanæ conditionis admonens. Petr. Crinit. libt. 24. Honeſtæ Diſciplinæ cap. 5. Zonat. libt. 3. Annal. in Camillo. Onufrius Panvinius libr. 5. Faſtor. Conſular. Iſidor. libr. 18. Etymolog. cap 2. Alluſit Ar-

Digitized by Google

rianus Nicomedienſis libr. 3. Diſſertation. Epicteti cap. 24. quo nihil aliud volebant, quam triumphantem poſſe more majorum, ſi delinquiſſet deinceps, plecti, neque hac victoria quamtumlibet ingenti immunitatem eum conſecutum. Juvenal. Sat. 10. v. 37.

Quid ſi vidiſſet prætorem in curribus altis
Extantem, & medio ſublimem in pulvere circi
In tunica Jovis, & pictæ ſarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix vix ſufficit ulla?
Quippe tenet ſudans hanc publicus, & (ſibi conſul
Ne placeat) curru ſervus vectatur eodem.

Hæc ſolida erat, laurea primo, ſive aurata, *ad cædis hoſtilis expiationem*. Maſſurius vetuſtiſſimus Scriptor apud C. Plinium libr. 15. cap. ult. Juvenal. Sat. 2. v. 158. vel quia laurus *pacificam poſſeſſionem* notat. Hieronym. Cardan. libr. 14. de Rer. Variet. cap. 73. Artemidor. Daldian. libr. 1. Oneirocrit. cap. 79. Sueton. Tiber. cap. 17. Martial. libr. 8. Epigr. ult. Ovid. libr. 2. Amor. Eleg. 12. Virgil. Eclog. 8. ex eo Alb. Tibull. libr. 1. Eleg 7. Feſtus Anien. in Ora maritima:

Ducit laurigeros poſt Indica bella triumphos.

Nomine itaque coronarum triumphalium pecuniæ tributaque provinciis imponebantur, dictum *aurum coronarium*. Feſt. libr. 18. in voce *Triumphales*. Servius Maurus ad v. 721. libr. 8. Æneid. Tacit. libr. 15. Annal. In Codice Theodoſiano libr. 12. tit. 13. *de auro coronario:* & eodem titulo extat reſcriptum Gratiani & Valentiniani Augg. L. un. libr. 10. Cod. Juſtinian. Æl. Spartian. in Antonino Pio, & in Hadriano, Lamprid. in Alexand. Severo. Sueton. in Nerone cap. 32. quem locum Critici vexant, maxime Marcellus Donatus Ponzanius eruditus, & magnæ lectionis Dilucidation. pag. 726. Ammian. Marcellin. libr. 25. Theon Sophiſta Chria 1. pag. 122. Joan. Stobæus Sermone 214. Cicero Orat. in Piſonem, et alii.

Quod a nullo adhuc eſt obſervatum, ſubjungam. Inſculpebantur egregia facinora, ipſaque victoria coronis iſtis. Jo: Tzetzes Chiliad. 13. c. 461.

Καὶ πάντας ἀριστεύσαντας στεφάνοις στεφανοῦσιν
Ἐξ ἀργυρᾶς τῆς ὕλης μὲν, γραπτοῖς ταῖς ἀριστείαις
Καὶ πῶς ἐπὶ τοῦ ἅρματος δημόσιος οἰκέτης
Ὄπισθεν τοῦτο ἵσταται τὸν στέφανον ἀνέχων
Καὶ λέγων τούτῳ πρὸς τὸ οὖς, καὶ τὸ κατόπιν βλέπε.
Et omnes fortes coronis coronant
Ex argentea materia, inſcriptis fortibus factis,
Et quomodo in curru publicus miniſter
Pone hunc ſtat coronam ſuſtinens,
Et dicens huic in aurem, & quod a tergo eſt, reſpice.

Denique in ſinum Jovis Capitolini laurea hæc, aureaque corona deponebatur, aut templo ipſi ceu anathema appendebatur. Jul. Obſequens libr.

libr. de prodigiis cap. 122. *Victricem laurum attulerat, quam in Capitolio deponere debebat*. Albinovanus Conſolat. ad Liviam:

Auctoriſque ſui præfertur imagine mæſta
Quæ quondam templis debita laurus erat.

Idem itaque eſt triumphare, ac laurum in Capitolium ferre; licet contra ſentiant Iſaacus Caſaubonus ad C. Suetonium, & Stephanus Claverius ad Claudianum. De hoc ritu C. Plin. libr. 15. cap. ult. & Plinius Nepos aureo illo Panegyrico. Latinus Pacatus Drepanius in Panegyr. Theod. L. Seneca Conſolat. ad Helviam cap. 10. quorum verba poſita libr. 10. Antiquitat. Romanar. cap. 29. hic non exſcribo. Tu vide locum. Poëtæ frequentes. M. Martial. libr. 2. Epigr. 2.

Frater Idumæos meruit cum patre triumphos.
Quæ datur ex Dacis laurea tota tua eſt.

Ovid. libr. 4. Triſt. Eleg. 2. de Germanici Cæſaris triumpho:

Inde petes arcem, & delubra faventia votis,
Et dabitur merito laurea vota Jovi.

Vel ut in MS. meo, quo utor beneficio Pauli Petavii, clariſſimi doctiſſimique Senatoris quondam Pariſienſis, quem literarum damno nuper acerba mors rapuit; in eo itaque Codice:

Et dabitur merito laurea vitta Jovi.

Stat. Papin. libr. 4. Silv. 1.

. . . . nondum gremio Jovis Indica laurus
Nondum Arabes Sereſque rogant.

M. Lucan. libr. 8. Pharſal. de Cn. Pompeii Magni triumphis:

. . . aut ſacras poſcunt Capitolia laurus.

Sil. Italic. libr. 15. Punicor.

. . . . . dabit ille coronam
In gremio Jovis exciſis deponere Pœnis.

Etruſcorum inventum toga picta: quæ fuerit illa, & quorum geſtamen.

CAP. XL.

INter ornamenta triumphalia erat toga picta, quam ab Etruſcis inventam credunt. L. Flor. libr. 1. Hiſtor. Roman. cap. 5. *Togæ pictæ, tunicæque palmatæ, omnia denique decora & inſignia, quibus imperii dignitas eminet*. Feſt. Pomp. libr. 14. in voce *picta*. Sunt qui cenſeant, unum eundemque eſſe habitum, togam pictam, & tunicam palmatam: inter quos eſt eruditiſſ. Hadrianus Turnebus libr. 5. Adverſarior. cap. 9. quod non admitto; ſiquidem Flori verba, hic laudata, aperto tanquam duo diverſa eas numerant: uti & Jul. Capitolinus

linus in Gordianis: *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus ſuam habuit*. T. Livii etiam auctoritas refragatur, cujus hæc ſunt libr. 10. Decad. 3. *Maſiniſſam aurea corona, aurea patera, ſella curuli, & ſcipione eburneo, toga picta, & tunica palmata donat*. Quas illi veſtes tam diſerte diſtingunt, non eſt veriſimile unas eſſe. Plin. libr. 33. cap. 2. ſequenti capite citandus. Initio hæc veſtis Magiſtratuum civicorum, poſtea etiam ad triumphantes transducta. Aur. Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 6. *Tullus Hoſtilius Rex Romanorum tertius debellatis Etruſcis, ſellam curulem, lictoreſque, & togam pictam atque prætextam, quæ inſignia Magiſtratuum Etruſcorum erant, primus, ut Romæ haberentur, inſtituit*. Sed cur ita vocaretur, eſt diſcutiendum.

Toga a forma communi indubie dicebatur: picta vero ob imagines Phrygio opere intextas. D. Auſon. pulchra illa Gratiarum Actione: *Palmatam tibi miſi, in qua divus parens Conſtantius intextus eſt, hæc plane, hæc eſt picta, ut dicitur veſtis, non magis auro ſuo, quam tuis verbis*. Et paucis interjectis: *Conſtantius in argumento veſtis intexitur, Gratianus in muneris honore ſentitur*. Eratque inter regia, ut dixi ornamenta. T. Livius 1. Decad. libr. 10. *Cui Deorum hominumve indignum videri poteſt, quos vos ſella curuli, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali honoratis, pontificalia ornamenta adiicere?* Et vel majorum imagines, ut admonui, vel ſtellæ quædam aureæ intexebantur. Iſidor. libr. 18. Etymologiar. cap. 2. Poëtæ. M. Lucan. libr. 9. Pharſal. v. 177.

> . . . . . *pictaſque togas velamina ſummo*
> *Ter conſpecta Jovi*.

Juvenal. Sat. 6. v. 481.

> *Et latum pictæ veſtis conſiderat aurum*.

Ovid. libr. 2. de Ponto Eleg. 1.

> *Claraque ſumpturum pictas inſignia veſtes*.

D. Auſon. Eidyll. 4. Protreptico ad Nepotem:

> *Ut trabeam pictamque togam mea præmia Conſul*
> *Induerer*.

Etru-

Etruſcorum inventum tunica palmata, geſtamen Regum, Conſulum, Triumphantium.

CAP. XLI.

ULtimum hoc ornamentum, quod Romani ab Etruſcis ſunt mutuati. L. Flor. libr. 1. Hiſtor. Rom. cap. 5. Verba ex ſuperiori capite repete. Plutarch. in Romulo pag. 34. Magnus Ennodius Felix Ticini Epiſcopus libr. 5. Epiſt. 2. *His, qui bene toga uſi fuerint, reſeratis ſuſceptura ſinubus palmata blanditur*. Idem libr. 8. Epiſt. 1. *Quia non eſt proprium, quod quaſi ſingulariter videtur palmata conferre*. Servius Honoratus ad Eclog. 10. pag. 55. & ad libr. 11. Æneid. v. 332. pag. 637. conſulatur. Quæ omnia verbatim, ut ſolet, tranſcripſit Iſidorus libr. 19. Etymolog. cap. 24. Sidon. Apollinar. libr. 1. Epiſt. 5. *Corona ſponſus, palmata conſularis, cyclade pronuba honoratur*. Et libr. 8. Epiſt. 8. *Diſſimulas optare palmatam?* Fl. Vopiſcus in Probo: *Te manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata*. Q. Symmach. libr. 6. Epiſt. 40. *Itaque palmata amictus, & conſularis inſignis ornatu, crure fracto ſublatus eſt*. Aur. Caſſiodor. libr. 6. Epiſt. 1. *Palmatæ ſiquidem veſtræ, noſtræ probantur victoriæ*. Et libr. 8. Epiſt. 1. *Vos genitorem meum in Italia palmatæ claritate decoraſtis*. Sed quorum geſtamen? Unicus D. Auſonii locus ſufficiet ex Gratiarum Actione: *Palmata veſtis, ut in pace Conſulis eſt, ſic in victoria triumphantis*. Verrius Flaccus apud C. Plinium libr. 33. cap. 3. videatur. Addatur & Fl. Vopiſci teſtimonium in Aureliano: *Cape pro rebus geſtis tunicam palmatam, ſellam eburneam, nam ego te hodie conſulem deſigno*. Flor. Tertullian. Apologet. cap. 50. *Hic habitus eſt victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus*. Idem libr. de Idololat. cap. 18. *Vel prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, vel coronæ aureæ Sacerdotum provincialium*. Jul. Firmic. Maternus Siculus, celebris Romæ advocatus libr. 4. Mathes. cap. 15. *Tunc enim coronas aureas, tunc prætextas decernit, aureaſque conſularium, & proconſularium palmatas*. Poetæ. Sidon. Apollinar. Carm. 4. principio:

Poſt palmam palmata venit.

Et Carm. 7. v. 160.

. . . . . . palmata cucurrit
Per proavos gentemque ſuam.

Et Carm. 15. v. 150.

Palmatam parat ipſa patri, quia Conſul.

Martial. libr. 7. Epigr. 1.

Palmatæque ducem, ſed cito, redde togæ.

Ennod. Ticin. Epigr. 32.

Quid palmata tuo tantum de murice vernat?
Plus fucante dedit purpura noſtra tibi.

Venantius Honorius Fortunat. libr. 2.

Alter palmatæ, trabeæ nitet alter bonore
Pingit & ornatum gemma, aurum purpura, byſſus.

Sic locum iſtum corrigendum cenſeo, peſſime enim in vulgatis legitur:

Alter palmatæ trabeæ nitet altus bonore.

Etruſcorum inventum Gladiatores: illi in theatris, in funeribus, in conviviis: lege poſtea ſublati a piis Imperatoribus.

CAP. XLII.

Gladiatores ab Etruſcis inventos, unicus aſſerit, quod ſciam, Nicolaus Damaſcenus libr. 110. Hiſtoriar. ut retulit Athenæus libr. 4. Dipnoſoph. pag. 153.(1) Νικόλαος δ' ὁ Δαμασκηνὸς, εἷς τῶν ἀπὸ τοῦ περιπάτου φιλοσόφων ἐν τῇ δεκάτῃ πρὸς ταῖς ἑκατὸν τῶν ἱστοριῶν, Ῥωμαίους ἱστορεῖ παρὰ τὸ δεῖπνον συμβάλλειν μονομαχίας γράφων οὕτως: τὰς τῶν μονομάχων θέας οὐ μόνον ἐν πανηγύρεσι καὶ θεάτροις ἐποιοῦντο Ῥωμαῖοι, παρὰ Τυῤῥηνῶν παραλαβόντες τὸ ἔθος, ἀλλὰ κἀν ταῖς ἑστιάσεσιν, ἐκάλουν γοῦν τινες πολλάκις ἐπὶ δεῖπνον τοὺς φίλους, ἐπί τε ἄλλοις, καὶ ὅπως ἂν δύο ἢ τρία ζεύγη ἴδοιεν μονομάχων, ὅτε καὶ κορεσθέντες δείπνου, καὶ μέθης εἰσεκάλουν τοὺς μονομάχους, καὶ ὁ μὲν ἅμα ἐσφάττετο, αὐτοὶ δ' ἐκρότουν ἐπὶ τούτῳ ἡδόμενοι. Quæ ſic Latine verſa ſonant: *Nicolaus Damaſcenus, unus e ſecta Peripatetica philoſophorum, ſcribit centeſimo ac decimo libro Hiſtoriarum, Romanos poſt cœnam gladiatorum paria committere ſolitos bis verbis: Gladiatorum ſpectacula, non ſolum publicis ludis & theatris, populique frequentia, & celebritatibus edunt Romani, ab Etruſcis invecto more, ſed etiam inter epulas. Itaque nonnullos ex amicis, & neceſſariis, & aliis de cauſis ad cœnam invitant, & hac potiſſimum, ut gladiatorum paria duo vel tria dimicantia conſpiciant, tum ſcilicet eos advocantes, cum ebrii ſunt, cœnæque ferculis exſatiati, ſi quis jugulatur, plaudentes & ejus cæde læti.* Ultima hæc, eadem de re, iisdem pæne habet Aurelius Prudentius libr. 2. in Symmachum, ubi de Veſtali Virgine, feritate Gladiatoriis muneris lætante:

Et quoties victor ferrum jugulo inſerit, illa
Delitias ait eſſe ſuas, pectuſque jacentis

Vir-

(1) Athenæus ex edit. Commelini ann. 1597.

Virgo modeſta jubet converſo pollice rumpi.

De legibus & Sacramento, uri, vinciri, ferro necari. Adrian. Turneb. libr. 2. Adverſarior. cap. 20. Lævinus Torrentius in Horatii libr. 2. Satyr. 6. Dionyſ. Lambinus ibidem loci de ſpeciebus, quod eſſent, Galli extraordinarii, Thraces, ſeu Threces, Secutores, Retiarii, Parmularii, Mirmillones, aut Samnites: quæ nomina, vel a gentibus, vel ab armaturæ generibus deſumebantur. Critici plena manu diſſeruere. Elias Vinetus in Auſonium. Petrus Faber libr. 1. Semeſtr. Andr. Alciat. libr. 1. Parerg. cap. 22. & ſupra omnes doctus ac diligens Juſtus Lipſius libr. de Amphitheatro: quos non exſcribo.

Etruſci illi priſci conviviis eos adhibebant, & eorum exemplo Campani, quos Etruſcorum colonos eſſe docui libr. 1. hoc opere ſupra cap. 9. Clem. Alexandrin. libr. 1. Stromat. Sil. Italic. libr. 11. Punic.

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miſcere epulis ſpectacula dira,
Certatum ferro ſæpe, & ſuper ipſa cadentum
Pocula, reſperſis non parco ſanguine menſis.

Hi Samnites dicti. C. Lucilius apud Ciceronem libr. 3. Orat. correctus a Petro Victorio libr. 6. Variar. Lection. cap. 21.

. . . . quamvis bonus ipſe
Samnis in ludo, ac rudibus, cuivis ſatis aſper.

Idem Lucilius apud Ciceronem eundem libr. 2. Tuſcul.

Samnis ſpurcus homo, vita illa dignus locoque.

Emebantur hi gladiatores e cataſta per laniſtas, de quibus libr. 1. hoc opere ſupra cap. 20. ut dicendum erat, abſolvi: adhibebaturque maxima diligentia, ne aliud emendis vitium lateret, ideo nudos medici inſpiciebant, ac contrectabant. L. Sen. Epiſt. 80. in fine. P. Vinetius antiquus Rhetor apud eundem libr. 1. Controv. 2. Pſeudocornutus ad A. Perſii Satyr. 6. v. 77. Sueton. Calig. cap. 36. M. Antonius Triumvir in Epiſtolis apud Suetonium Auguſto cap. 69. Q. Symmach. libr. 2. Epiſt. 78. Martial. libr. 6. Epigr. 82. Claudian. libr. 1. in Eutrop.

. . . . : quot jura, quot ille
Mutabit tabulas, medicum dum conſulet emptor,
Ne qua per occultum lateat jactura dolorem.

Poſtea acceptos a Tuſcis gladiatores funebribus ludis decertare Romani voluerunt, ideoque & buſtuarii appellati. Sueton. Tiber. cap. 7. M. Varro apud D. Auguſtinum libr. 8. Civit. Dei cap. 26. Æl. Spartian. Hadriano. Jul. Capitolin. Antonino Philoſopho. C. Plin. libr. 36. cap. 15. Flor. Tertullian. libr. de Spectacul. cap. 6. Valer. Maximus libr. 2. cap. 1. quorum verba habes Antiquitar. Roman. libr. 5. cap. 24. Auſon. in Ternario:

Tres primas Thracum pugnas tribus ordine ſellis
Iuniadæ patris inferias miſere ſepulchro.

Ubi

Ubi non prætereundum duco, unumquemque gladiatorem aliqua nota inſignitum prodire conſueviſſe. Vet. Scholiaſt. Juvenal. ad v. 158. Satyr. 3. Pinnis pavonum ornari ſolent gladiatores, ſi quando ad pompam deſcendunt: *pinnirapes* autem dicit laniſtas ex habitu gladiatorum, quia poſt mortem retiarii pinnam, hoc eſt manicam, rapit, ut oſtendat populo ſe viciſſe; aut ideo pinnirapes, quia pinnas in galeis habebant, ut Lucilius libr. 3.

Cum ſeptem incolumis pinnis redit, ac recipit ſe.

Qui verſus corruptiſſimus eſt, licet auctior apud Ælium Donatum in Andriam Terentii Act. 1. ſc. 3.

. . . . , ille alter abundans
Cum ſeptem in locum Hiſpanus.

Et in MS. ut notat Fr. Lindenbrogius, erat:

Cum ſeptem in locum bis pinnis.

Sed claro ſenſu legendum:

. . . . ille alter abundans
Cum ſeptem incolumis pinnis redit, ac recipit ſe.

Rudiarii dicebantur, qui rudem accepiſſent gladiatores. Sueton. Tiber. cap. 7. in Calig. cap. 32. in Claud. cap. 21. Plin. libr. 8. cap. 7. Exponitque locum illum Cœl. Rhodigin. libr. 11. Antiquar. Lection. cap. 11. Tertullian. libr. de Spectaculis cap. 21. Lamprid. Commodo. Cicero Philip. 2. Vet. Scholiaſt. Juvenal. ad Satyr. 6. v. 105. Horat. libr. 1. Epiſt. 1. Ipſe Juvenal. Sat. 7. v. 172. Martial. libr. 3. Epigr. 36. Non acutis illi, ſed ventilatoriis armis pugnabant. Xiphilin. in Antonino. Incertus auctor Dialogi de Oratoribus. L. 5. Controv. 24. Et Epiſt. 117. P. Ovid. libr. 3. de Arte:

Ponite nunc gladios bebetes, pugnemus acutis.

Nec a pugna dimittebatur gladiator, niſi miſſione petita, & impetrata. Jul. Capitolin. in Antonino Pio. L. Seneca libr. 2. Benefic. cap. 20. libr. 1. de Ira cap. ult. in fine. libr. 9. Controv. 6. principio. Epiſt. 37. principio. Petron. Satyrico: *Hodierna pugna non babet miſſionem.* Martial. libr. 12. Epigr. 29. & in Amphitheatr. Epigr. penult.

Miſſio ſæpe viris magno clamore petita eſt.

Auctorati dicti, qui ſanguinem ſuum arenæ ſic locabant. Cicero libr. 1. Offic. Patercul. libr. 2. Hiſtor. Fab. Quintilian. Declamat. 20. L. Apul. non uno loco. Corrigendus Claudianus libro de Conſulatu Manlii Theodori ad finem:

Quorum compoſitam puer augmentatus in artem
Emicet.

Corrigendum omnino:

Quorum compoſitam puer auctoratus in artem
Emicet.

Denique *cruenta illa ſpectacula*, ut loquitur Lex 1. C. Theod. de Gladiatorib. lege Conſtantini penitus ſublata, ut eſt in L. unica C. Juſtin. libr.



Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles De Conſtantijs

V. Franceſchini Sculp.



In Lateribus Vrnæ Superioris

Vin Franceſchini Scul.



Clusij In Marmore Apud Nob. Equitem De Samuellis C. M. sculp.



Perusiæ In Marmore Apud Nobiles De Arnideis V. F. Sculp.







Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles De Anſideis V.F.Sculp.



Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles de Conſtantijs V.Fran.Sculp.



1

Vrna Fictilis Romæ Apud Em. Card. Gualterio *V. F. Sculp.*



2

Vrna Fictilis Senis In Hortis Nob. Gentis De Zondodaris *V. F. Sculp.*

1



Vrna Fictilis Romæ Apud Em. Card. Gualterio V.F.Sc.

2



Vrna Fictilis Clusio Adducta Apud Nobil De Zondedaris In Suburbano Agri Senensis C.M.Sc.

Digitized by Google



Vrna Fictilis Clusio Adducta Apud Nob. De Zondodariis In Agro Senensi

C M sculp.

Digitized by Google

libr. 10. & narrat Nicephorus Caliſtus libr. 7. Hiſtor. Eccleſ. cap. 46. quod fuſe executus Illuſtriſſimus Cæſar Baronius æterno Annalium Eccleſiaſticorum opere. Illud eſt, quod Prudentius tanto ambitu petit ab Imperatore libr. 2. in Symmachum in fine:

Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari,
Nullus in urbe cadat, cujus ſit pœna voluptas,
Nec ſua virginitas oblectet cædibus ora:
Jam ſolis contenta feris infamis arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis. (1)

Pythagoras Etruſcus, ab eoque philoſophiæ nomen inventum: & ejus ſymbola ab Etruſcis obſervata.

CAP. XLIII.

NOn Religione tantum, regaliumque aut bellicarum rerum inventione clari fuere Etruſci; ſed manſuetiores quoque diſciplinas & ipſi ſedulo coluerunt, & aliis, ut idem facerent, exemplo fuerunt. Diodor. Sicul. libr. 5. pag. 316. Biblioth. ubi inventa pleraque Etruſcorum Romanos in majus extuliſſe dixiſſet, ſubjungit: Γράμματά τε καὶ φυσιολογίαν ἐξεπόνησαν ἐπὶ πλέιστον, καὶ τὰ περὶ τὴν κεραυνοσκοπίαν μάλιστα πάντων ἀνθρώπων ἐξειργάσαντο. *Literis vero, & in primis naturæ perſcrutationi plurimum ſtudii impendunt, fulminum conſiderationi præ cunctis mortalibus intenti.* Neque temere hoc ab illo & veteri, & magnæ fidei auctore dictum, quippe cum tota Pythagoreorum ſecta ex Etruria manarit, adeoque ipſe ſectæ auctor Pythagoras Etruſcus gente fuit & domo. Lucius Tuſcus Pythagoricus, Moderati Pythagorici diſcipulus, ait ipſum: Πυθαγόραν ἐν Τυῤῥηνίᾳ γεγονέναι, καὶ τετράφθαι, καὶ πεπαιδεῦσθαι. *Pythagoram in Etruria natum, educatumque, & inſtitutum.* Joan. Saresberienſis libr. 7. Policratici cap. 4. *Ipſum Philoſophiæ nomen a Pythagora Italico inventum eſt.* Nonnulli id ita ſunt interpretati, quaſi parentes ipſius. Etruria eſſent oriundi: quod refellit idem ille Lucius apud Plutarchum libr. 8. Sympoſiacon cap. 7. probatque, eum Tuſcum fuiſſe, argumento a Symbolis ipſius deſumpto, quæ ſoli Etruſci, inquit, obſervant. Latina ſunt, nam Græca non ad manum:

1. *E le-*

(1) Magis elucebit ex anaglyphis, picturiſque Etruſcorum, quæ ſuperſunt, & quarum formas hic apponimus, quam frequens foret in Etruria uſus funebrium gladiatorum.



libr. 10. & narrat Nicephorus Caliſtus libr. 7. Hiſtor. Eccleſ. cap. 46. quod fuſe executus Illuſtriſſimus Cæſar Baronius æterno Annalium Eccleſiaſticorum opere. Illud eſt, quod Prudentius tanto ambitu petit ab Imperatore libr. 2. in Symmachum in fine:

Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari,
Nullus in urbe cadat, cujus ſit pœna voluptas,
Nec ſua virginitas oblectet cædibus ora:
Jam ſolis contenta feris infamis arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis. (1)

Pythagoras Etruſcus, ab eoque philoſophiæ nomen inventum: & ejus ſymbola ab Etruſcis obſervata.

CAP. XLIII.

NOn Religione tantum, regaliumque aut bellicarum rerum inventione clari fuere Etruſci; ſed manſuetiores quoque diſciplinas & ipſi ſedulo coluerunt, & aliis, ut idem facerent, exemplo fuerunt. Diodor. Sicul. libr. 5. pag. 316. Biblioth. ubi inventa pleraque Etruſcorum Romanos in majus extuliſſe dixiſſet, ſubjungit: Γράμματά τε καὶ φυσιολογίαν ἐξεπόνησαν ἐπὶ πλεῖον, καὶ τὰ περὶ τὴν κεραυνοσκοπίαν μάλιστα πάντων ἀνθρώπων ἐξειργάσαντο. *Literis vero, & in primis naturæ perſcrutationi plurimum ſtudii impendunt, fulminum conſiderationi præ cunctis mortalibus intenti.* Neque temere hoc ab illo & veteri, & magnæ fidei auctore dictum, quippe cum tota Pythagoreorum ſecta ex Etruria manarit, adeoque ipſe ſectæ auctor Pythagoras Etruſcus gente fuit & domo. Lucius Tuſcus Pythagoricus, Moderati Pythagorici diſcipulus, ait ipſum: Πυθαγόραν ἐν Τυῤῥηνίᾳ γεγονέναι, καὶ τετράφθαι, καὶ πεπαιδεῦσθαι. *Pythagoram in Etruria natum, educatumque, & inſtitutum.* Joan. Saresberienſis libr. 7. Policratici cap. 4. *Ipſum Philoſophiæ nomen a Pythagora Italico inventum eſt.* Nonnulli id ita ſunt interpretati, quaſi parentes ipſius. Etruria eſſent oriundi: quod refellit idem ille Lucius apud Plutarchum libr. 8. Sympoſiacon cap. 7. probatque, eum Tuſcum fuiſſe, argumento a Symbolis ipſius deſumpto, quæ ſoli Etruſci, inquit, obſervant. Latina ſunt, nam Græca non ad manum:

1. *E le-*

(1) Magis elucebit ex anaglyphis, picturiſque Etruſcorum, quæ ſuperſunt, & quarum formas hic apponimus, quam frequens foret in Etruria uſus funebrium gladiatorum.

1. *E lecto ſurgentes veſtem ſtragulam conturbent.*
2. *Olla ſublata, ejus veſtigium in cinere non relinquatur, ſed confundatur.*
3. *Hirundo in domo non admittatur nidificare.*
4. *Supra ſcopas non tranſeundum.*
5. *Domi non alatur, quod curvos ungues habet.*

Quod mirum ſane tam religioſe hæc ab Etruſcis obſervata, & tamen pleraque horum ne in Symbolis quidem illis haberi, in quæ Commentarios edidit Hierocles: et magis illud mirandum ab omnibus, non Italum, ne dum Etruſcum haberi, ſed Samium: & in Italiam veniſſe, regnante Tarquinio Superbo, auctor A. Gellius libr. 17. cap. 21. Anticlaudian. libr. 2.

Ut Samius ſentit.

Et Ovidio omnes pæne aſſentiuntur dicenti lib. 15. Metamorph. fab. 2.

Vir fuit hic ortu Samius.

Conciliat contraria hæc Suidas, qui *natum* quidem *in Etruria Pythagoram* docet, & *adoleſcentem eum cum patre Mneſarcho, ſculptore anulorum, Samum migraſſe*, habuiſſe fratres duos, majorem *Eunomum*, medium *Tyrrhenum*. Certum ſane, eum magna fama vixiſſe, ac ab Ægyptiis Sacerdotibus, qui tum ſoli Sapientes habebantur, arcana quædam myſteria didiciſſe, quæ Italiæ Principes doceret, ut docet Plutarchus libr. *Philoſophandum eſſe cum Principibus* principio pag. 777. Ego plura ad illud Claudiani in Conſul. Manlii Theodori:

At non Pythagoræ monitus, annique ſilentes
Famoſum Oebalii luxum preſſere Tarenti.

Ejus placita & Plutarchus paſſim exequitur, & Ovidius loco laudato, & Diogenes Laërt. quos conſule. Propius patriam inveſtiganti, obtulit ſe Ariſtoxenus apud Diogenem Laërtium, qui eum Etruſcum ait, & quidem natum in Etruriæ quadam inſula. Vide Laërtii libr. 8. principio: ἢ ὡς Ἀριστόξενος, Τυῤῥηνὸς ἀπὸ μιᾶς τῶν νήσων ἃς κατέσχον Ἀθηναῖοι Τυῤῥηνοὺς ἐκβαλόντες. Vel ut Ariſtoxenus ait. *Fuit* (Pythagoras) *Tyrrhenus ex inſularum, quas ejectis Tyrrhenis Athenienſes poſſederunt*. (1)

Pytha-

(1) Pythagoræ patrem fuiſſe Tyrrhenum teſtatur quoque Cleanthes apud Porphyrium de Vita Pythagoræ in principio.

Pythagoras Etruſcus ſphæræ mechanicæ inventor: & de Archimedis Sphæra.

CAP. XLIV.

UT Philoſophia Italica Etruſcis debetur, ita Aſtrologiæ cognitio, cui impenſius Pythagoras Tuſcus addictus fuiſſe legitur. Flor. Tertullian. libr. de Anima cap. 11. a quo & ſphæra primum excogitata ad motuum cæleſtium perceptionem. (1) Suidas. A quo & Anaximandri ſequaces, gloriam doctori ſuo aucupantes, pleraque de ſphæræ cognitione neceſſaria mutuati deprehenduntur: & ut altius repetam, duo philoſophiæ principia, unum ab Anaximandro, alterum a Pythagora. Diogen. Laërt. in Præfat. pag. 8. & longo interjecto tempore Archimedes ita mæchanicæ ſphæræ fabrica inclaruit, ut pœne nullum celebrius ſit opus. Cujus meminere, cultiſſimo Epigrammate Claudian. Cicero libr. 1. Tuſculanar. Quæſtion. Jul. Solin. cap. 11. Polyhiſtor. Caſſiodor. libr. 1. Epiſt. 45. Martian. Capella libr. 2. Nupt. pag. 57. & libr. 6. pag. 220. Ovid. libr. 6. Faſtor.

Arte Siracuſia ſuſpenſus in aëre vaſto
Stat globus, immenſi parva figura poli.

Ad hanc deſcribendam plerique operam veteres, recentioreſque contulerunt, ſed nemo utiliorem Joanne a Sacroboſco, ſive Sacrobuſto Scoto, ut in libro de Scriptoribus Scotis propediem edendo, clarum fiet.

Pythagoras Etruſcus Geometriam excoluit.

CAP. XLV.

HÆc etiam Philoſophiæ pars auctore Pythagora magnum ſumpſit incrementum, qui ob cujusdam theorematis inventionem, Muſis bovem immolaſſe dicitur, etiam ſi alias incruenta ſacrificia probaret. Apollodori Epigramma ex Plutarcho libr. *Non poſſe ſuavem duci vitam ſecundum Epicuri præcepta*, apponam:

Ἡνίκα Πυθαγόρης τὸ περικλέες ἥρετο γράμμα
Κεῖνο ἐφ' ὧ λαμπρὴν ἤγετο βουθυσίην.

Pythagoras celebri Diagrammate quando reperto
Mactato fecit ſplendida ſacra bove.

(1) Hinc in nummis Samiorum Pythagoras cum ſphæra cernitur.

Antiquiſſimis temporibus apud Etruſcos moneta ſignata: prima pecunia ratitus quadrans, a ratis effigie: materia numiſmatum, corium, teſta, plumbum, æs, argentum, aurum: vultum Principum ſolitus numiſmatis inſculpi, ſed ſupremorum tantum[1].

CAP. XLVI.

PRimum Etruriæ Regem Janum numiſma æreum ſignaſſe ex Verrio Flacco, Aurelio Macrobio, & aliis docebam libr. 2. hujus operis cap. 3. addenda verba Draconis Corcyrei libro de lapidibus apud Athenæum libr. 15. Dipnoſophiſt. pag. 692. Γανὸν νόμισμα χαλκοῦν πρῶτον χαράξαι. διὸ καὶ τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα πολλὰς πόλεις, καὶ τῶν κατὰ τὴν Γταλίαν καὶ Σικελίαν ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκ θατέρου μέρους ἢ σχεδίαν, ἢ στέφανον, ἢ πλοῖον. *Janum &c. nummum æreum primum ſignaſſe: qua de cauſa civitates in Græcia multæ, Italia & Sicilia monetam cudunt impreſſa bicipiti facie, & ex altera parte vel rate, vel navigio, vel corona*. Recte ille adjecit *æreum*, nam gentium conſenſus diu fuit, nulla alia uti moneta, quam coriacea, aut teſtacea, ut jam dicebatur, qualis uſque ad Numæ Regnum Romæ duravit, a quo percuſſus nummus ferreus, & æreus, & a nomine ipſius dictus. Suetonius Tranquillus apud Suidam in voce ἀσσαρία.

Eſſet hic de re nummaria ſtudioſe diſputandum, ſed præoccupavit Oriſmius Lexonienſis Epiſcopus, & Caroli ſexti Gallorum Regis præceptor, Guilielmus Budæus opere de Aſſe, Alexander Sardus, Bilibaldus Birckheymerus, Henricus Buntingus, Henricus Mameranus de priſca moneta, Joachimus Camerarius de Numiſmatis Græcis & Latinis, Stanislaus Gilepſius, Matthæus Hoſtus de Hiſtoria rei nummariæ veteris, & alii, ſed doctiſſime Fr. Hottomannus; ſed ego per tranſennam pauca hic. Materia, florente Imperio Romano, pecuniæ triplex tantum, *æs*, *argentum*, *aurum*. Pomponius J.C. l. 2. §. deinde. ff. de orig. Jur. Unde Cicero libr. 3. de Legib. *Minores Magiſtratus æs, argentum, aurum, ſignãto*. Trebell. Pollio in Victoria Tyranna: *Cuſi ſunt ejus nummi ærei, aurei, & argentei*; quod de florente Republica dixi intelligendum; nam re vera initio teſtacei, coriacei tantum nummi, aut ubi ſplendidiſſime, ærei ſoli habebantur: neque ante Pyrrhi ex Italia fugam argentum,

(1) Nonnullos in fines hujus capitis adferimus nummos, literis Etruſcis ſignatos, qui reperiri ſolent in Etruria.

tum, neque ante Carthaginem & Corinthum urbes captas aurum in pecunia habitum. Fr. Patricius libr. 3. de Rep. tit. 9. Iſidor. libr. 16. cap. 17. Ovid. libr. 1. Faſtor.

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro eſt,
Victaque conceſſit priſca moneta novæ.

Eſt & plumbea pecunia, ſed viliſſima habita, cujus nulli, quod ſciam, Hiſtorici meminere, ſed tantum Poetæ, qui eam nullius pretii videntur innuere. M. Acc. Plaut. in Trinummo ſcen. *Huic ego:*

. . . . *eine aurum crederem*
Cui ſi capitis reus fiet, nummum nunquam plumbeum?

Et in Caſina. ſc. *Omnibus:*

Cui homini hodie peculii nummus non eſt niſi plumbeus.

Et in Moſtellar. ſc. *Illi bucędę:*

Tace ſis faber, qui ſoles cudere plumbeos
Nummos.

Martial. libr. 1. Epigr. 100.

Conſtemus tibi plumbea ſelibra.

Et libr. 10. Epigr. 74.

Centum merebor plumbeos die toto.

Ab Etruſcorum Rege Jano mos effluxit, ut numiſmatis vultus Principum imprimeretur; ſiquidem primum nummum ille vultum ſuum ab una parte, ab altera vero navigii figuram, qua Saturnus in Italiam devectus fuiſſet, effigiari, inſculpique voluit; unde ludus puerorum jactantium in altum denarium, petentiumque caput an navim, duravit. Macrob. libr. 1. Saturnal. cap. 7. *Cum primis quoque æra ſignaret, ſervavit & in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat avectus, ex una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in poſteros propagaret. Æs ita fuiſſe ſignatum, hodie intelligitur in alea uſu, cum pueri denarios in ſublime jactantes, capita aut navim, luſu teſte vetuſtatis exclamant.* Locus eſt corruptus, ſed facile eum corrigere; itaque lege: *cum primus quoque æra ſignaret.* Et paucis interjectis, *ut quoniam ille navi fuerat advectus;* et deinde *capita aut naviam*, Veteres enim non *navim*, ſed *naviam* dicebant. Notant Critici. Servii locus miſere afflictus ad libr. 8. Æneid. pag. 509. DISIECTIS OPPIDA MVRIS: *unum Jani, aliud Saturni, jam tunc vetuſta* MONIMENTA VIRORVM, *hoc ſermone oſtendit, Saturnum etiam virum fuiſſe,* IANVS PATER, *Janus in Janiculo habitavit, qui quod una navi exul venit, in pecunia ejus ex una parte Jani caput, ex altera navis ſignata eſt.* Corrupta indubie poſtrema, nam Saturnum omnes Poetæ & Mythologi a Jove filio pulſum, in Italiam exulem veniſſe loquuntur: Janum nullus, quod ſciam; ita prima illa ærea pecunia Saturnum & exulem fuiſſe, & in partem Regni a Jano aſſumptum ſignificat; quare putarem legendum: *Janus in Janiculo habitavit, qui, quod Saturnus exul una navi venit, in pecunia ejus, ex una parte caput*

ex altera navis ſignata eſt. Auctor correctionis ipſe Virgilius eodem libro:

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.

Et magis ad rem noſtram Cœl. Lactant. Firmian. libr. 1. Inſtitut. Divinar. cap. 13. *Hunc errantem*, Saturnum, *atque inopem Janus excepit, cujus rei argumenta ſunt nummi veteres, in quibus eſt cum duplici fronte Janus, & in altera parte navis*. Errat graviter Fl. Tertullianus Apolog. cap. 10. *qui ſignatum imagine nummum*, non a Jano, ſed a Saturno contendit. Plutarch. Problemat. Roman. pag. 274. cujus verba ſic ſonant Latine: *Cur antiquum nomiſma ab una parte Jani bifrontis imaginem, ab altera navis aut proram aut puppim habet? an quæ vulgata eſt opinio, hoc in honorem ſit Saturni, navigio in Italiam advecti?* Plena manu Ovid. libr. 1. Faſtor. v. 229.

Multa quidem didici, ſed cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma duplex.
Noſcere me duplici poſſes in imagine, dixit,
Ni vetus ipſa dies extenuaſſet opus.
Cauſa ratis ſupereſt, Tuſcum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum;
Cœlitibus Regnis a Jove pulsus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen,
Et dicta eſt Latium terra latente Deo.
At bona poſteritas puppim formavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Ab hac conſuetudine *ratitus quadrans* dictus a M. Varrone libr. 4. de Ling. Lat. Feſt. Pomp. libr. 16. *Ratitum quadrantem dictum putant, quod in eo & triente, ratis fuerit effigies, ut navis in aſſe*. C. Plin. libr. 33. cap. 3. *Nota aſſis fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera roſtrum navis; in triente vero & quadrante ratis*. Adrian. Turneb. libr. 20. Adverſar. cap. 30. C. Lucilius:

Quadrantis ratiti.

Ab Etruſcis ergo Romani & modum ſignandi nummum, & vultum Principis imprimendi didicere; quare nullus unquam nummus ab una parte vultum auctoris, ab altera alicujus victoriæ, aut rei alterius geſtæ notam non habebat. Aurel. Caſſiodor. libr. 7. Epiſt. 32. *Omnino moneta debet integritas quæri, ubi & vultus noſter imprimitur, & generalis utilitas invenitur: quidnam erit tutum, ſi in noſtra peccetur effigie, & quam ſubjectus corde venerari debet, manu ſacrilega violare feſtinet?* In fine deinde ejusdem epiſtolæ, non *Numam* auctorem nummi ærei, ſed *Servium* facit, contra Suetonii, Suidæ, & aliorum auctoritatem, quam bene, viderit. Eadem Plinius libr. 33. cap. 3. ſed uterque forte memoria lapſus; nam non æs, ſed argentum a Servio ſignatum. M. Varro

Varro Annal. apud Soſipatrum Chariſium libr. 1. Grammat. & notabat Petrus Victorius libr. 5. Variar. Lection. cap. 13. Æl. Lamprid. in Alexandro Severo: *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit, & quidem electreos aliquantos, ſed plurimos tamen aureos*. In MS. erat: *& quidem electro aliquantos*. Vide Theſaurum Huberti Goltzii. Georg. Cedrenus Compendio Hiſtoriar. in Nicephoro Phoca. Anonymus auctor de rebus bellicis: *Sed potentia regalis pro licentia ſpeciem ſuam tantum in auro argentoque ſignavit, quæ pro reverentia figuræ, nullis uſibus proficiens, ad honorem Regium ſacrata permanſit; æris autem materia, quæ copia vilior erat, ad dona militaria, & populorum commercia ſignabatur*. Nota eſt illa Evangelica quæſtio de nummo oblato Salvatori, cum ſpecie vultuque Tiberii Auguſti. Notam hanc Græci *χαρακτῆρα*, Latini *titulos*, *figuras* interpretantur. Ariſtoteles libr. 6. Politicor. Et pulchra ratio apud Caſſiodorum libr. 6. Variar. Epiſt. 7. *Ut imago Principis ſubjectos videretur paſcere per commercium*. Paulus J.C. libr. 5. Receptar. Sententiar. tit. 25. §. 1. *Lege Cornelia teſtamentaria tenetur, qui nummos aureos, argenteos adulteraverit, laverit, conflaverit, raſerit, corruperit, vitiaverit, vultuque Principum ſignatam monetam, præter adulterinam reprobaverit*. Artemidor. Daldian. libr. 4. Oneirocritic. cap. 33. Ο᾽ Στρατόνικος ᾤετο τὸν βασιλέα λακτίζειν, προελθὼν εὗρε χρυσοῦν νόμισμα, ὃ ἔτυχε πατήσας, οὐδὲν γὰρ διεφόρει, ἢ τὸν βασιλέα, ἢ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ λακτίζειν ἢ πατεῖν. *Stratonicus putabat, ſe Regem calcitrare, & progreſſus, invenit aureum numiſma, quod calcaverat; nihil enim differebat, ſive Regem, ſive ipſius imaginem calcitrare, aut calcare*. Locus pulcherrimus eſt apud Procopium Cæſarienſem libr. 3. Bell. Goth. *Franci, non ut alii populi, Romani Imperatoris imagine, ſed ſua impreſſa nummos ſignant*. Cudi autem ſolebat nova moneta in Principum inauguratione. Fl. Vopiſc. in Firmo. *Percuſſa moneta Auguſtum eſſe vocatum*. Lamprid. Diadumeno: *Apud Antiochiam moneta Diadumeni nomine percuſſa eſt*. Treb. Pollio in Gallien. *Monetam, qua Perſas captos traheret, cudi juſſit*. Ammian. Marcellin. libr. 26. *Aureos ſcilicet nummos in vultum novi Principis, aliaque ad illecebras aptantes*. Corippus Africanus de inaugurato Juſtino Aug. libr. 4. num. 2.

Hinc vetus argentum formas ſpecieſque novatum
In varias ſculptum titulis, preſſumque figuris
Excelſis portant humeris, magniſque laborant
Ponderibus, ciſtæque graves funduntur in unum,
Utraque materies in magnos ſurgit acervos.

Cuſos tunc nummos ad favorem populi captandum, ſpargebant, vel viritim militibus dividebant. Curopalates, ſive Georg. Codinus libr. de Offic. aulæ Conſtantinop. pag. 202. Ἵσταται δὲ πλησίον αὐτοῦ ὁ τοῦ βασιλικοῦ βεστιαρίου ἄρχων, καὶ ἔχει ἐν τοῦ ἱματίου αὐτοῦ νομίσματα χρυσᾶ κεχυμένα πολλὰ, ὧν καὶ δραττόμενος ὁ βασιλεὺς σκορπίζει εἰς τοὺς περιεστῶτας ἄρχοντας τε καὶ ἀρχοντόπουλα. *Stat autem prope illum princeps Veſtiarii Imperatorii, in pallio*

ſuo

ſuo habens numiſmata aurea fuſa multa, quæ manipulatim etiam ſumens Imperator, diſpergit in circumſtantes, tum principes, tum vero principum pueros. De Ruffino inaugurando Claudian. libr. 2. in illum:

Proſiliit ſtratis, denſæque capacia turbæ
Atria regifico juſſit ſplendere paratu
Exceptura dapes, & quod poſt vota daretur,
Inſcribi propriis aurum regale figuris.

Duo ergo requiſita in probo nummo, materia proba, & vultus Imperatoris: ſi ex his alterum abfuiſſet, reproba moneta cenſebatur, quæ *Cybdela* vocata. Cœl. Rhodigin. libr. 10. Antiquar. Lection. cap. 2. *& adulteratores monetæ*, quos Paulus J.C. proxime ſupra deſcripſit, παραχαράκτηρας, aut verius παραχαράκτας Græci appellant: contra legitimi artifices μονητάριοι οἱ περὶ τὸ νόμισμα τεχνῖται, ait Suidas: *Monetarii circa numiſma operantes*. Fl. Vopiſc. in Aureliano profert epiſtolam ad Ulpium Crinitum ter Conſulem ejusdem Aureliani Aug. *De bello monetariorum, qui auctore Feliciſſimo ultimo ſervorum, rebelles ſpiritus extulerunt*. Valentiniani, & Valentis AA. reſcriptum eſt l. 1. C. de Vet. Numiſmat. poteſt. Et aliud Gratiani & Theodori Cæſarum l. 3. Cod. eod. Ulpian. J.C. l. 24. ff. de pignerat. act. *Illius pecuniæ uſus interdicitur, a qua vultus Imperatoris abeſt*. Et *æroſa* plerumque *adulterina* pecunia cenſebatur. Scævola J.C. l. 102. ff. ſolut. A. Perſ. Sat. 5.

. . . . *& veri ſpeciem dignoſcere calles,*
Ne qua ſubærato mendoſum timniat auro?

Et falsa hæc moneta legibus vetita ſub nomine *peculatus*. Iſidor. libr. 5. Etymologiar. cap. 26. licet Verrius Flaccus, Paulus Diaconus in Schedis, Feſt. Pomp. libr. 14. & M. Varro libr. 4. Ling. Lat. aliter tradant, & Antonius Auguſtinus in Emendationibus ſuis doctiſſimis exponat. Videantur l. 1. ff. ad Leg. Jul. Peculat. l. 9. ff. ad Leg. Cornel. de fals. Harmenopulum libr. 6. Promptuarii tit. 13. Eratque capitale adulteraſſe monetam. De Perennio Herodian. libr. 6. Hiſtor. Roman. licet & manus amputationem dicat ſolemnem fuiſſe pœnam Paulus loco laudato. Nec Romanus tantum is mos, ſed & Græcorum, ut teſtantur Diocles & Ebulides vetuſtiſſimi Scriptores apud Diogenem Laërtium libr. 5. idque ex inſtituto Solonis referente Demoſthene in Orat. contra Timocharem, & in Orat. in Leptinem in fine. Herodot. libr. 4. de Aryande: de Ægyptiis Diodor. Sicul. libr. 1. Bibliothec. de Svecis Olaus Magnus libr. 6. cap. 13. Et ratio, quia per pecuniam vitæ commercia habentur; itaque corrupta illa, humana ſocietas violari videtur. Plato libr. 5. Legib. Ideo, ut id diligentius obſervaretur, Carolus Magnus non alibi, quam in Palatio, monetam cudi voluit. Joan. Bodin. libr. 6. cap. 13. Capitularium Caroli Magni Appendice 2. ad libr. 4. tit. 12. Synodus Bavarica pag. 147. Lex Longobardorum a Lothario Rege lata l. 2. & Lex Wiſigothorum tit. 5. ideoque in ſilvis antriſque ſubterraneis falsæ monetæ officinæ habitæ. D. Hieronym.

in


Digitized by Google



1. *Florentiæ in Muſeo Magni Ducis. Pond. ℥. s. d. 9. Alter ſimil. ℥. s.*
2. *Ibidem Pond. ℥. 10.*
3. *Romæ in Muſeo Barberino Pond. ℥. 6. d. 15.*

F. A. Lorenzini ſcul.

Digitized by Google




1. *Florentiæ in Muſeo Magni Ducis. Pond. ℥. 2. d. 2.*
2. *Ibidem Pond. ℥. 2. d. 17.*
3. *Ibidem Pond. ℥. 2. d. 22.*
4. *Ibidem Pond. ℥. 2. d. 7.*
5. *Ibidem Pond. ℥. 2. d. 1. Alter ſimil. Pond. ℥. 1. d. 21.*

F. A. Lorenzini ſcul.

Digitized by Google

Tab. LVIII EX AERE Tom. I. pag. 350.



1. Florentiæ apud March. Nerium Guadagni. Pond ℥. 2. d. 10.
2. Ibidem apud Senat. Bonarroti. Pond. ℥. 1. d. 17
3. Ibidem in Musæo Magni Ducis Pond. ℥. 1 d. 10.
4. Ibidem. Pond d. 21.
5. Ibidem Pond d. 15.
6. Ibidem. Pond d. 11
7. Ibidem apud Senat. Bonarroti pond ℥. 2

F A Lorenzini Sculp.

Digitized by Google



1. Florentiæ in Museo Magni Ducis Pond. d. 22
2. Ibidem Pond. d. 17
3. Ibidem Pond. ℥. 2. d. 28.
4. Ibidem. Pond ℥ 6. d 20.
5. Ibidem. Pond ℥. 3 d. 18.
6. Ibidem. apud. Senat. Bonarroti Pond. d. 10.

F. A. Lorenzini sc.

Digitized by Google


Digitized by Google



1. Ex Antiquitat. Hortæ C. V. Fontanini
2. Florentiæ in Museo Magni Ducis parte aduerſa manus cæſtu armata, ſed cum tribus tantum globulis Pond. ℥. 2.
3. Ibidem. Pond. ℥. 3. d. 2.
4. Peruſiæ apud Nob. de Anſideis in ſepulcro Etruſco repertus.
5. Florentiæ apud March. Nerium Guadagni Pond ℥. 1. d. 14. et ibidem in Museo Magni Ducis alter ſimil. Pond. ℥. 1. d. 16. et alter ſimil Pond. ℥. 1. d. 11.
6. Ibidem apud Senat. Bonarroti. Pond. d. 20. alter ſimil Pond. d. 21.

F. A. Lorenzini ſculp.

Tab. LXI. EX AERE Tom. I pag. 350.



1. Arretij apud Io. Hieronymum Bacci S. Stephani Equitem Pond. ℔ 2. ℥. 2.
2. Florentiæ apud Senat. Bonarroti. Pond. d. 18.
3. Ibidem in Muſeo Magni Ducis. Pond. ℥. 1
4. Ibidem apud Senat. Bonarroti Pond. d. 16.

F. A. Lorenzini ſculp.

in Vita D. Antonii Eremitæ. Qui plura de his cupis, adi Antiquitates meas Romanas libr. 7. cap. 31.

Etruſcorum inventum claves oſtiorum, & de iis: cuſtodiebantur ab uxoribus, in divortio adimebantur.

CAP. XLVII.

Clavem eſſe inventum Etruſcorum Fabius Pictor docet apud Pierium Valerianum libr. 48. Hieroglyphic. in fine, cui ſuppoſito, & ſpurio fidem non adhiberem, niſi ſcirem optimos Auctores *Janum cum clave ac virga figurare, quaſi omnium & portarum cuſtos, & viarum rector*, ut loquitur Aurelius Macrobius libr. 1. Saturnal. cap. 9. poſt princip. Ut recte Ovidius dixiſſe ſit viſus libr. 1. Faſtor. de Jano:

Quidquid ubique vides, cælum, mare, nubila, terras,
Omnia ſunt noſtra clauſa patentque manu.

Scio C. Plinium libr. 7. cap. 56. *Theodoro Samio clavis inventionem* tribuere; ſed tamen & Janum eſſe auctorem vel cognomina *Cluſii & Patulcii* loquuntur, a claudendis ſcilicet, & patefaciendis portis ducta. P. Ovid. ibid. loci:

Nomina ridebis, modo namque Patulcius idem,
Et modo ſacrifico Cluſius ore vocor.

Et quia *clavibus traditis mercium in horreis conditarum poſſeſſio tradi videtur*, ut loquitur Papinianus libr. 1. Definitionum, ut eſt in l. 74. ff. de Contrah. empt. ideo uxori claves intranti aſſignabantur. Flor. Tertullian. libr. de Exortat. ad caſtitatem cap. 12. *Scio quibus excuſationibus coleremus inſatiabilem carnis cupiditatem, ex quibus neceſſitates adminiculorum deſcendunt: adminiſtrandam familiam, regendos loculos, claves cuſtodiendas, lanificium diſpenſandum, victum procurandum, curas domeſticas, ſcilicet ſolis maritorum domibus bene eſt.* Omnes itaque domeſticæ rei claves uxor cuſtodiebat, præter cellæ vinariæ, quæ in loculo reſignatæ patris familias capiti ſupponebantur, ne uxor ſcilicet temetum guſtaret, notabat erudititiſſimus Theodorus Marcilius ad leges X. virales, & Plinius aperte libr. 14. cap. 13. Carolus Sigonius libr. 1. de Jure ant. civ. Romanor. cap. 9. Qui cupis plura, adi ad Latinium, D. Ambroſ. Epiſt. 65. Uti ingredienti ſponſæ claves traditæ, ita miſſo repudii libello, eædem adimebantur. Criticos non exſcribo. M. Cicero ab illis laudatus Philipp. 2. *Claves ademiſti, res ſuas habere juſſiſti, domo ejeciſti.*

Digitized by Google

in Vita D. Antonii Eremitæ. Qui plura de his cupis, adi Antiquitates meas Romanas libr. 7. cap. 31.

Etruſcorum inventum claves oſtiorum, & de iis: cuſtodiebantur ab uxoribus, in divortio adimebantur.

CAP. XLVII.

CLavem eſſe inventum Etruſcorum Fabius Pictor docet apud Pierium Valerianum libr. 48. Hieroglyphic. in fine, cui ſuppoſito, & ſpurio fidem non adhiberem, niſi ſcirem optimos Auctores *Janum cum clave ac virga figurare, quaſi omnium & portarum cuſtos, & viarum rector*, ut loquitur Aurelius Macrobius libr. 1. Saturnal. cap. 9. poſt princip. Ut recte Ovidius dixiſſe ſit viſus libr. 1. Faſtor. de Jano:

Quidquid ubique vides, cœlum, mare, nubila, terras,
Omnia ſunt noſtra clauſa patentque manu.

Scio C. Plinium libr. 7. cap. 56. *Theodoro Samio clavis inventionem* tribuere; ſed tamen & Janum eſſe auctorem vel cognomina *Cluſii & Patulcii* loquuntur, a claudendis ſcilicet, & patefaciendis portis ducta. P. Ovid. ibid. loci:

Nomina ridebis, modo namque Patulcius idem,
Et modo ſacrifico Cluſius ore vocor.

Et quia *clavibus traditis mercium in horreis conditarum poſſeſſio tradi videtur*, ut loquitur Papinianus libr. 1. Definitionum, ut eſt in l. 74. ff. de Contrah. empt. ideo uxori claves intranti aſſignabantur. Flor. Tertullian. libr. de Exortat. ad caſtitatem cap. 12. *Scio quibus excuſationibus coleremus inſatiabilem carnis cupiditatem, ex quibus neceſſitates adminiculorum deſcendunt: adminiſtrandam familiam, regendos loculos, claves cuſtodiendas, lanificium diſpenſandum, victum procurandum, curas domeſticas, ſcilicet ſolis maritorum domibus bene eſt.* Omnes itaque domeſticæ rei claves uxor cuſtodiebat, præter cellæ vinariæ, quæ in loculo reſignatæ patris familias capiti ſupponebantur, ne uxor ſcilicet temetum guſtaret, notabat eruditiſſimus Theodorus Marcilius ad leges X. virales, & Plinius aperte libr. 14. cap. 13. Carolus Sigonius libr. 1. de Jure ant. civ. Romanor. cap. 9. Qui cupis plura, adi ad Latinium, D. Ambroſ. Epiſt. 65. Uti ingredienti ſponſæ claves traditæ, ita miſſo repudii libello, eadem adimebantur. Criticos non exſcribo. M. Cicero ab illis laudatus Philipp. 2. *Claves ademiſti, res ſuas habere juſſiſti, domo ejeciſti.*

Etru-

Etruſcorum inventum ſeræ oſtiorum: penſiles illæ: virgas geſtabant Janitores.

CAP. XLVIII.

EJusdem Jani inventum *claves* eſſe ex Fabio Pictore, juxtaque *ſeras* docuit idem Valerianus pag. 511. libr. 48. Erant autem omnes Romanorum ſeræ penſiles, inſertis quippe poſtibus catenis, foramen erat in oſtio, per quod manus immiſſa clavem inſereret intrinſecus, patefaceretque oſtium; neque enim extrinſecus fores aperiri poterant. Locus elegans videatur L. Apuleii libr. 8. Mileſ. de Lepolemo latrone. Quam penſilium ſerarum conſuetudinem Græcis fuiſſe familiarem docemur ex Homero libr. 21. Odyſſ. ad finem: quem locum conſule. Nonius Marcellus in voce *patibulum* cap. 4. tit. 355. *Patibulum, ſera, qua oſtia obcluduntur, quod hac remota valvæ pateant.* Petron. Satyrico: *Dum loquimur, ſera ſua ſponte dilapſa concidit, recluſæque ſubito fores.* Ita Poëtæ intelligendi. Ovidius libr. 1. Faſtor. v. 285.

Tota patet dempta janua noſtra ſera.

Et libr. 1. Faſtor.

Et jam contigerat portam, Saturnia, cujus
Dempſerat oppoſitas invidioſa ſeras.

Et libr. 1. Amor. Eleg. 6. indicat catenas poſtibus fuiſſe inſertas, notatque Turnebus libr. 19. Adverſarior. cap. 7.

. . . . . . *excute poſte ſeram.*

Julianus Auguſtus, cujus Epigramma reperies apud Coripp. libr. 1. n. 1.

Et jam crebra manus veloci concita pulſu
Limina quaſſabat ductis munita catenis,
Ad ſtrepitum cuſtos, cura eſt cui clauſtra tueri,
Sic ait indignans.

Titinnius apud Nonium cap. 4. in Patibulo in Fullone:

Si quiſquam hodie præter hanc poſticum
Noſtrum pepulerit, patibulo hoc ei caput
Defringam.

Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 12.

Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras,
Et jaceat tacita lapſa catena ſera.

Janitores, qui clauſtris hiſce affixi alligatique erant, *clavem, & virgam* habebant, ut non ſit mirum, Janum ita depingi ſolitum, tradidiſſe Macrobium libr. 1. Saturnal. cap. 9. L. Seneca libr. *in ſapientem non cadit injuria* cap. 14. & cap. 15. Afranius in Vopiſco:

Titinnire impedimenta janitoris audio.

Phia-

Google

Phialæ Etruſcorum opificium: earum uſus ad convivia, & libationes.

CAP. XLIX.

IN rebus domeſticis verſor. Phialam ab Etruſcis inventam auctor eſt Critias Poeta antiquiſſimus apud Athenæum libr. 1. Dipnoſophiſt. pag. 28. ubi enim de plerarumque gentium inventis præclaris egit, ſubjungit:

> Τυῤῥηνὴ δὲ κρατεῖ χρυσότυπος φιάλην.
> *Ex auro ſculptam Tuſcia dat phialam.*

Meminit ejusdem Alexis in Dropide: (1) Οὔτε τρυβλίῳ, οὔτε φιάλῃ. *Nec catillo, nec phiala*. Inter vaſa potoria Græci numerabant. Jul. Pollux libr. 6. Onomaſt. cap. 16. Uſurpantque Latini paſſim. Martial. libr. 8. Epigr. 33. Juven. Satyr. 5. & alii. Corrigendus ejusdem Scholiaſtes ad Sat. 10. v. 27. *In aurata fiola cum vinum coloratum acceperis*; ſed legendum *in aurata phiala*. Ex auro puro, ſive Etruſco erat; nam φύσις eidem Athenæo libr. 11. cap. 16. vertitur *aurea phiala*. Cl. Ælianus libr. 1. Var. Hiſtor. cap. 32. χρυσῆν φιάλην, *auream phialam* dixit. Et libr. eodem cap. 22. ex argento etiam phialam factam oſtendit, φιάλαι ἀργυραῖ, *phialæ argenteæ*. Vel itaque menſæ inſerviebat, ut apud Pindarum Iſthmior. od. 1. Pythior. od. 4. & fuſiſſime Olympic. od. 7. principio. Vel libationes Diis ea fiebant. Heliodor. Emeſenus libr. 2. Æthiop. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἀπέχει τῆς φιάλης ἄκρατον τὸ ὕδωρ, τοῦτο καὶ σπένδω μὲν ἔλεγε θεοῖς ἐγχωρίοις τε καὶ Ἑλλήνοις, καὶ αὐτῷ γε Ἀπόλλωνι Πυθίῳ, καὶ προσέτι Θεαγένει, καὶ Χαρικλείᾳ. *Hæc locutus, effundebat ex phiala meram aquam, &, libo (dicebat) diis bujus regionis, & Græcis, & ipſi Apollini Pythio, ac inſuper Theageni, ac Charicleæ*. Chriſtodorus Thebanus Copita libr. 5. Antholog. Epigr. 29.

> . . . . ἦν μὲν ἀείρων,
> Δεξιτερῇ φιάλην ἐπιλοίβιον.
> . . . . *& attollebat quidem,*
> *Dextra phialam libatoriam.*

(1) Apud eundem Athenæum libr. 3. pag. 125. ejusdem Edit. Commelini.

Etruſcorum mos circumferre pocula, & ad numerum bibere: & lex convivalis de potatione.

CAP. L.

Circumferre in conviviis plena vino pocula, & ad numeros certos bibere, excogitarunt Etruſci. Critias in Elegis apud Athenæum libr. 10. Dipnoſophiſt. pag. 432. (1)

Μὴ δ' ἀποδωρεῖσθαι προπόσεις ὀνομαςὶ λέγοντα
Μὴ δ' ἐπὶ δεξιτερὰν χεῖρα κυκλεῖν θιάσου
Ἄγγεα λυδῆ χαρενασίατο γένης καὶ . . . .

Non autem nominatim invitato compotore præbibere, & calicem porrigere,
Aut manum dextram verſus in orbem bibendi vices extendere,
Pocula vino plena circumferre Lydorum inventum eſt.

Ita hunc locum conjectura ſupplevit, interpretatuſque eſt Jacobus Dalechampius. Hæc eſt illa de bibendo lex convivalis, quæ a Feſto libr. 16. *tapulla* dicitur: a Catullo Epigr. 24. *Poſthumia:* ab Auſonio in Gripho Ternarii numeri in principio, *myſtica*. Et deſcribit M. Cicero Act. 3. Verrina. *Vos omnes Verres certiores facit, quid opus eſſet, mature veniunt, diſcumbitur, fit ſermo inter eos & invitatio, ut Græco more biberetur, hoſpes hortatur, poſcunt majoribus poculis, celebratur omnium ſermone lætitiaque convivium, eratque lex data, ut aut biberent, aut diſcederent*. Et paucis interjectis: *Iſte enim prætor ſeverus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruiſſet, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, parebat*. Ubi Aſconius Pædianus pæne eodem, quo de Tuſcis modo Critias dixerat, de Græcis exponit: *Cum cyathis mero plenis ſaltare, ac primo Deos, deinde amicos ſuos nominantes, toties merum bibere, quoties Deum, & caros nominatim vocant*. Eadem pæne Helenius Acro ad Horatii od. 19. libr. 3. Iterum Cicero libr. 1. Tuſcul. Quæſtion. Anacharſis Scytha apud Diogenem Laërtium libr. 1. Sed in lege Etruſca æqualitas maxime quærebatur, ut poculo, ſeu phiala circumlata tantumdem omnes biberent: quod & heroico ævo factum videri poſſet ex Homero libr. 24. Iliad: v. 633. nulla enim perſonarum exceptio inter eos admittebatur, quos ſacra menſæ pares feciſſent.

Atque ut omnes æqualiter biberent, a ſummo ad imum circumferebatur poculum: quod Latini dixerunt convivali vocabulo *a ſummo bibere*. Hadrian. Turneb. libr. 6. Adverſarior. cap. 21. M. Plautus in Aſinaria Act. 5. ſc. 2.

Da, puere, a ſummo.

Et

(1) Athenæus ex edit. Commelini ann. 1597.

Et in Menæchm. Act. 1. ſc. 1.

Standum eſt in lecto, ſi quid de ſummo petas.

Et in Sticho ſc. *Agite:*

Ubi illic biberit, vel ſervato meum modum, vel tu dato
Nolo ego vos de ſummo bibere, nulli referimus poſtea,
Namque ædepol quamvis deſubito vel cadus verti poteſt.

Et ne quis error ſubeſſet, miniſtri, qui a poculis aut ad pedes erant, calices numerabant, ut tot eſſent illi, totieſque omnes biberent, quot literæ eſſent in nomine ejus Dei hominiſve, in cujus honore poculum circumlatum. Sic intelligendi poëtæ. Stat. Papin. libr. 1. Silv. 5.

Junge puer cyathos, atque enumerare labora.

Ovid. libr. 3. Faſtor.

Sole tamen, vinoque calent, annoſque precantur
Quot ſumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Illic invenies, qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos.

Q. Horat. loco laudato proxime ſupra:

Da Lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ, da, puer, auguris
Murenæ: tribus aut novem
Miſcentur cyathis pocula commodis.
Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet.

Idem libr. 4. od. 5.

. . . . . te menſis adhibet Deum.
Te multa prece, te proſequitur mero
Diffuſo pateris.

Martialis paſſim. libr. 1. Epigr. 72.

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

Et libr. 8. Epigr. 51.

Det numerum cyathis inſtantis litera Rufi.

Et libr. 9. Epigr. 95. & libr. 14. Epigr. 170. ubi conſulendus Matthæus Raderus, Societatis Jeſu, doctus & diligens Criticus; & Dionyſius Lambinus. Ego ad alia propero.

Etruſcorum opificum candelabra, & de lychnis, ſeu lychnuchis, quæ candelabrorum olim loco: artium plurium inventores illi, & valde ingenioſi.

C A P. LI.

HOc etiam præſtiterunt commodi Etruſci, ut candelabra conficerent, hoc eſt, quo lucerna ſuſtineretur, fulcrum. Pherecrates Poëta vetuſtiſſimus in Gratapallis referente Athenæo libr. 10. Dipnoſophiſt. pag. 700.

Διὰ τούτων τίς τῶν λυχνείων ἠργασία; Τυῤῥηνική.

Quodnam horum lychnorum opificium? Etruſcum.

Addit deinde præclarum & immortale eulogium: Ποικίλαι γὰρ ἦσαν αἱ παρὰ τοῖς Τυῤῥηνοῖς ἐργασίαι, φιλοτέχνων ὄντων τῶν Τυῤῥηνῶν. *Sunt enim variæ Tyrrhenorum opera*, ſive Etruſcorum; *quoniam in artium labore Etruſci ſolertes & ingenioſi ſunt.* Λυχνοὶ ſunt igitur *lumen*, λύχνουχοι ſunt *candelabra*, quibus lumen inſigitur. Iſidor. libr. 17. Etymol. cap. 8. Jul. Poll. libr. 7. Onomaſt. cap. 33. num. 7. Epictetus libr. 1. Diſſertat. apud Arrianum cap. 19. Sueton. Julio cap. 37. Heliodor. Hemeſenus Phœnix libr. 7. Æthiopic. Μόνου δὲ τὸν θάλαμον λύχνου καταυγάζοντος. *Solum lychno thalamum illuſtrante*. Lychni autem ſeu lychnuchi, & candelabra e teſta fictili, aut ex ære. Artemidor. libr. 2. Oneirocrit. cap. 9. D. Auſon. Eidill. 2. in Cupidine Cruci affixo:

. . . . fert fumida teſtæ
Lumina Seſtiaca præceps de turre puella.

C. Plinius laudatur a Servio Honorato ad v. 391. libr. 1. Georg.

Nec nocturna etiam ducentes penſa puellæ
Neſcivere hiemem, teſta cum ardente viderent
Scintillare oleum.

Luctatius Placidius magni nominis Grammaticus, & antiquus Statii Interpres, *lucernas* vult eſſe *hominum privatorum*, *lychnos vero Principum*, ad libr. 1. Thebaid. v. 521.

Aſt alii tenebras, & opacam vincere noctem
Aggreſſi, tendunt auratis vincula lychnis.

Pendebant e faſtigio catenulis quibuſdam dimiſſi, ad eum morem, quo in optimatium ædibus etiamnum hodie penſilia videmus feſtivitatibus noctu celebrandis candelabra, in iiſque nec ſebum, nec cera, nec pix, ſed oleum: quod Græcorum Latinorumque poëtarum loca hæc confirmant. Priſciani Cæſarienſis in verſione Periegeſeos Dionyſii Afri:

Et flammæ ſimilis ſplendenti lumine lychnis.

Et

Et in eod. carmine ad finem:

Hic lychnus lucem ſimulat ſplendore lucernæ.

D. Paulinus Nolanus Epiſcopus D. Fœlicis Natali 6.

Aſt alii pictis accendunt lumina ceris,
Multiforeſque cavis lychnos laquearibus aptant,
Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas.

Tit. Lucret. libr. 5. Rer. Nat.

Quin etiam nocturna tibi terreſtria quæ ſunt
Lumina, pendentes lychni, claræque coruſcis
Fulguribus, pingues multa caligine tædæ.

M. Martial. libr. 4. Epigr. 90.

Dum parvus lychnus modicum conſumit olivi.

Virgil. libr. 1. Æneid. ad finem:

. . . . dependent lychni laquearibus aureis.

Gallienus Aug. in Epithalamio cultiſſimo: (1)

Ite, agite, o juvenes, pariter ſudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura veſtra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ,
Ludite, ſed vigiles nolite extinguere lychnos;
Omnia nocte vident, cras nil meminere lucernæ.

Vetus Poëta Philodemus libr. 7. Antholog. Epigr. 53. eadem illa expreſſit:

Νύξ ἱερὴ καὶ λύχνε, συνίςορας ὔτινας ἄλλους
Ὄρκοις, ἀλλ' ὑμέας ἐλβόμεθ' ἀμφότεροι.
Χώ μὲν ἐμέ ςέρξειν κεῖνον, δ' ἐγὼ ὔποτε λείψειν
Ὠμόσαμεν, κοινὴν εἴχετε μαρτυρίην.
Νῦν δ' ὁμὲν ὅρκια φησὶν ἐν ὕδατι κεῖνα φέρεσθαι
Λύχνε σὺ δ' ἐν κόλποις αὐτὸν ὁρᾷς ετέρων.

Nox ſacra, & lychne, conſcios nullos alios
Juramentis, ſed vos appetimus ambo.
Et hic me ſe amaturum, illum me numquam relicturum
Juravimus, commune habete teſtimonium.
Jam ille dicit juramenta in aquam ferenda quidem;
Lychne, tu in finibus illum vides aliorum.

Martial. libr. 11. Epigr. 105. Euripid. in Ivo:

Κοίλοις ἐν ἄντροις ἄλυχνος ὥσπερ θὴρ μόνος.

Cavis in antris ſine lychno, ut fera ſolitarius.

Ariſtophanes Acharnenſibus meminit, ubi & ejus Scholiaſtes nonnulla Act. 4. ſc. 2.

Κρατὴρ κακῶν, τρισλὴρ δικῶν
Φαίνειν ὑπευθύνους λυχνοῦχος, καὶ κύλιξ
Τὰ πράγματ' ἐγκυκᾶσθαι

Ver-

(1) Apud Trebell Poll. in Gallien. Veter. Poëtarum Erronei.

Vertit Nicolaus Friſchlinus, amœni vir ingenii:

Erit malorum plurium
Crater, trapetum litium,
Fax in reis quadruplandis, & calyx in hac
Republica obruenda.

Facem vertit λύχνυχον minus recte, ſiquidem illo ævo facium nullus uſus, ſed tantum lychni oleo pleni, & penſiles, ut ex dictis certo conſtat. De facibus in tractatu de nuptiis, & in tractatu de funeribus Kirchmanus, aliique critici abunde. De lucernis, videbatur quoque dicendum, nam illæ frequentiſſimæ in uſu Romano; ſed nihil ad Etruriam, & dixi in Antiquitat. Roman. libr. 1. in Regione 10.

Fulvius Lippinus in Etruria vivaria invenit beſtiarum. Modus eas ſaginandi: Leporaria dicta.

CAP. LII.

Rationem feras ſeptis includendi, ſive vivaria in Etruria excogitavit Fulvius quidam Lippinus. C. Plin. libr. 8. cap. 52. *Vivaria borum*, ſcilicet ſuum ferorum, ſive aprorum, *ceterorumque ſilveſtrium, primus togati generis invenit Fulvius Lippinus, qui in Tarquinienſi feras paſcere inſtituit*. In aliis codicibus variat nomen, & non *Lippinus*, ſed *Lupinus*, & in nonnullis etiam *Hirpinus*, quod probabilius duco; Hirpinorum enim gens in Sabinis notiſſima eſt, & multo celebrior in Etruria ad montem Soractem, ut libr. 4. hujus operis cap. 4. docetur. Vivaria hæc primitus Leporaria dicta, ſive λαγοτροφεῖα. Jun. Moderat. Columella libr. 8. Rei Ruſt. cap. 1. *Quin etiam* λαγοτροφεῖα *ſtudioſe adminiſtrantur, quæ nos vocamus pecudum ſilveſtrium, quæ nemoribus clauſis cuſtodiuntur, vivaria*. Rem certe illam inſolentem, ac a Romanis moribus longe abhorrentem perſtrinxit Varro libr. 3. Rei Ruſt. cap. 3. *Leporaria te accipere volo, non quæ tritavi noſtri dicebant, ubi ſoliti lepores ſint, ſed omnia ſepta affixa Villæ quæ ſunt; & habent incluſa animalia, quæ paſcantur*. Vide ſequentia, quæ longiſſime diverſa ſunt ab iis, quæ A. Gellius ex eodem hoc loco recitat libr. 2. Noct. Atticar. cap. 20. ut credibile vel aliter a Varrone hæc fuiſſe ſcripta, vel codicem Gellii corruptum, ut Janus Gruterus in Conjectaneis adnotabat. Quia ergo primum lepores ſic aſſervati *Leporarii* nomen eſt ortum: & quia vivæ ibi feræ cuſtoditæ, dictum *Vivarium*. Denique, quia roboreis tabulis claudebatur locus, ne effugium animantibus detentis pateret, *roborarium* vocari cœpit. Scipio Oratione 5. contra Claudium Aſellium: *Ubi agros optime cultos, & villas expolitiſſimas vidiſſet*,

diſſet, in his regionibus, excelſiſſimo locorum murum ſtatuere ajebat, inde corrigere viam, aliis per vineas medias, aliis per roborarium atque piſcinam, aliis per villam.

Immenſæ hoc inventum, profundæque gulæ fuit; quippe ex vivariis hiſce feras exceptas caveis includebant, ſaginabantque, *hordeo, adoreo, farre, faba, vinaciis* datis, ut loquitur idem Columella libr. 9. cap. 20. & incredibilem perditumque luxum reperies, *in Indice quarto Pontificali*, ubi de Metelli Pontificis Maximi cœna, referente Aurelio Macrobio libr. 2. Saturnal. cap. 9: quod eo mirabilius videri debet, quo certius ſcimus Plinium libr. 11. cap. 37. ſcripſiſſe: *quædam non pingueſcunt, ut lepus & perdix*. Si pingueſcere non poſſint lepores, cur ergo ad eos ſaginandos, ut ex auctoribus laudatis liquet, leporaria in pretio? At idem ille Plinius, immemor eorum, quæ loco iſto prodiderat, diverſum prodidit; nam libr. 28. cap. ult. *Leporem ſurdum citius pingueſcere* affirmat.

Floridæ veſtes in uſu apud Etruſcos: dictæ a colore florum, quos imitarentur: earinæ, & hialinæ a diverſo colore.

CAP. LIII.

Veſtes floridas, ſive flores colore quodam grato & variegato referentes, Etruſci adhibuerunt. Poſidonius libr. 2. Hiſtor. apud Athenæum libr. 4. Dipnoſophiſt. pag. 153. Παρὰ δὲ Τυῤῥηνοῖς δὶς τῆς ἡμέρας τράπεζαι πολυτελεῖς παρασκευάζονται, ἀνθιναί τε στρωμναὶ, καὶ ἐκπώματα ἀργυρᾶ παντοδαπὰ, καὶ δούλων πλῆθος εὐπρεπῶν παρέστηκεν ἐσθῆσι πολυτελέσι κεκοσμημένων. *Apud Tuſcos bis quotidie ſumptuoſæ menſæ parantur, cum florido colore tinctis ſtragulis, ac omnifariis ex argento poculis, & magno ſervorum numero, qui decoris ingentiſque pretii veſtibus induti adſiſtunt*. L. Apul. libr. 11. Mileſiar. *Namque in ipſo ædis ſacræ meditullio, ante Deæ ſimulacbrum conſtitutum tribunal ligneum, juſſus ſuperſtiti, byſſina quidem, ſed floride depicta veſte conſpicuus*. Martian. Capella de Nupt. Mercurii & Philologiæ libr. 1. *Calceos autem Smaragdineæ fluctu viriditati berboſos veſtigii ejus tellus annexuit*. Et eodem libro, aliquot paginis interjectis, ſubjungit: *Ejus conjux grandæva, corpulentaque mater, quamvis fœcunda, circumfuſaque partubus, tamen floridam, diſcoloremque veſtem berbida palla contexuerat, in qua totus gemmarum metallorumque cenſus, atque omnium proventus, frugeſque ſationum, larga admodum ubertate ferebantur*.

Quam

Quam conſuetudinem, ut in voluptates delitiaſque nimium propenſam, rejecere Siracuſani, ſancientes, ne quis *florida veſte* uti auderet, Phylarcho libr. 24. Hiſtoriar. Et apud Athenienſes probroſum habebatur eam veſtem induere, qua ſola ſcorta ex lege uti poterant: quod vetus quidam Scriptor dixit ἀνθινὰ φορεῖν, *floreas veſtes ferre*; ut liquet ex Suida in voce ἑταιρῶν: putabaturque, non multum a mollitie cultus ille abeſſe, quo & Liberum patrem, ſed delitiantem vetuſtas amicivit. Diodor. Sicul. libr. 5. Id autem ex placitis Græcorum tantummodo manaſſe credendum eſt; ſiquidem Etruſcum hunc ritum plerique populi alii ſtudioſe amplexati, adeoque etiam ipſi Perſarum Reges non temere alia veſte induebantur. Timæus apud Athenæum libr. laudato. Strabo libr. 15. Geograph. Euſtathius eruditiſſimus Scholiaſtes ad libr. 16. Iliados Homericæ.

Jam vero Romanos certum uſque adeo eſt, hanc veſtem floridam non abhorruiſſe, ut plerique togam pictam & hanc eandem cenſeant, ut probare nititur Hadrianus Junius libr. 1. Animadverſor. cap. 13. & confirmare videtur Artemidorus Daldianus libr. 2. Oneir. cap. 3. ποικίλη καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς, *variegata veſtis & picta*. Sed pace Criticorum dixerim, multum differunt: hæc noſtra viridis floribus primis concolor, illa purpurea: hæc privatorum etiam geſtamen, illa magiſtratuum tantum, aut triumphantium, ut cap. 40. ſupra hoc libro oſtenſum. Delicatiorum ſane hæc indumentum. Stat. libr. 2. Silv. 1. v. 128.

Cum tibi: quas veſtes? quæ non geſtamina mitis
Feſtinabat herus? brevibus conſtringere Lenis
Pectora? & anguſta telas arctare lacerna.
Enormes non ille ſinus; ſed ſemper ad annos
Texta legens, modo puniceo velabat amictu:
Nunc herbas imitante ſinu: nunc dulce rubenti
Murice: nunc vivis digitos incendere gemmis
Gaudebat.

Martial. libr. 5. Epigr. 24.

Herbarum fueras indutus, Baſſe, colores,
Jura theatralis dum ſiluere loci.

Erycius, antiquus Poëta Antholog. libr. 4. 12. Epigr. 94.

Ἀλλὰ καταπρήυνε τὸν ἐξωδηκότα φαλλὸν
Τόνδε, καὶ ἀνθηρῇ κρύψον ὑπὸ χλαμύδι.
Sed mitiga ligneum tumidum mutonem
Hunc, & florida abſconde ſub chlamyde.

Hyalina eadem veſtis appellata, quod virorem vitri translucidi exhiberet. D. Auſon. Eidill. 3. in Moſella v. 270.

Cæruleos nunc, Rhene, ſinus, hyaloque virentem
Pande peplum.

T. Lucretio libr. 4. *thalaſſina* eſt, a marino colore;

. . . . . . *teriturque thalaſſina veſtis*

Aſſi-

Aſſidue, & Veneris ſudorem exercita potat.

Virgil. libr. 4. Georgic.

. . . . . *Mileſia vellera nymphæ*
Carpebant, hyali ſaturo fucata colore.

Earina quoque eadem. D. Cyprian. libr. de Diſcipl. & Habit. Virgin. *Neque enim Deus coccineas, aut purpureas oves fecit, aut herbarum ſuccis, ideſt virides, ſeu earinas, & conchylii tingere, & colorare lanas docuit.* Itaque ex illo *earinæ oves* ſunt *viridis coloris*, qui & herbarum vernantium eſt, unde nomen; vere enim hic habitus geſtari ſolebat. Flor. Tertullian. libr. de habitu muliebri, cap. ult. *Non placet Deo, quod non ipſe produxit, niſi ſi non poterat purpureas & earinas oves naſci jubere, ſi potuit; ergo jam noluit.* Beatus Rhenanus videatur ibidem. Incertus Poëta libr. 1. Antholog. cap. 60. Epigr. 12. poterit conſuli. Claudian. alluſit de Conſulatu Olibrii & Probini ad finem:

Prima tibi procedat hiems, non frigore torpens,
Non canas veſtita nives, non aſpera ventis,
Sed tepido calefacta Noto, ver inde ferenum
Protinus, & liquidi clementior aura Favoni
Pratis te croceis pingat, te meſſibus æſtas
Induat.

Idem corruptus libr. 2. in Ruffin.

Illic Armeniæ vibratis crinibus alæ
Fervida collectæ facili velamina nodo.

Ex MS. Cod. reſtituendum:

Herbida collectæ facili velamina nodo.

Apud Etruſcos maſtrucæ, ſeu veſtes villoſæ in uſu: iis fortes uſi potiſſimum, & præ aliis Gothi.

CAP. LIV.

NOn tantum delicatiorum veſtitus apud Etruſcos, ſed & neceſſarius veſtium uſus apud eoſdem viguit, qui *villoſas maſtrucas* adhibuerunt; licet Sardorum hoc geſtamen velit eſſe Cicero Orat. pro Scauro, & Iſidorus libr. 19. cap. 23. quod ut verum ſit, non longe a propoſita noſtra probatione abhorret; certe enim Sardinia colonia Etruſcorum, uti & omnes inſulæ in eo mari ab iiſdem olim poſſeſſæ; ſed ego non Sardos tantum eam veſtem probo geſtaſſe, verum ipſos illos Tuſcos antiquos. Aurel. Prudent. libr. 2. in Symmachum:

. . . . . . *aut pelle Libyſtidis urſæ*

Compoſitam chlamydem villoſo corpore geſtent,
Talia Trinacrius ductor, vel Tuſcus habebat.

Et eodem libro poſt aliquot paginas:

Nunc cum Dictæis bellum Corybantibus aſper
Samnitis, Marſuſque levi ſudore gerebat,
Nunc Maſtigophoris, oleoque & gymnadis arte
Unctis pugilibus miles pugnabat Etruſcus.

Tertium verſum corruptum ſic reſtitue, & lege:

Nunc Maſtrugophoris.

Vel certe levi mutatione:

Nunc Maſtrucophoris:

Id genus veſtis quam antiquum fuerit, vel ex eo liquet coniicere, quod gentes omnes bellicoſæ, nondum inſanienti opulentiæ luxu corruptæ, eo uſi prodantur, & præ aliis Gothi. Eodem libro Prudentius:

Tentavit Geticus nuper delere Tyrannus
Italiam, patrio veniens juratus ab Iſtro
Has arces æquare ſolo, tecta aurea flammis
Solvere, maſtrucis proceres veſtire togatos.

Crebra apud bonos Scriptores mentio, nam & lecti pellibus ſternebantur. Cornelius Nepos in Ageſilao. Ælian. libr. 13. Var. Hiſtor. cap. 1. Juvenal. Satyr. 6. principio.. Propert. libr. 3. Eleg. 12. Eugeria Poëtria nobilis:

Sericeum tegmen, gemmantia tecta Laconum
Pellibus hircinis æquiparanda loquor.

Homines etiam ipſi veſtiebantur. De Hunnis, Jornandes libr. de Bello Getico cap. 5. de Scythis, Herodotus, & Juſtinus libr. 2. ubi Victorinus Strigelius agit nugas, & locum non incommode retractat Theophilus Cangiſer: de Germanis, Tacit. libr. de Morib. Germanor. de Lapponibus, Olaus magnus libr. 4. Hiſtor. cap. 4. ſed frequentior eſt de Getis ſeu Gothis ſermo, quam de ullo alio populo, adeo ut illi *pelliti* dicerentur. Maximus Turinienſis Homil. 2. *Unde barbaro auri gemmarumque monilia? unde pellito ſerica veſtimenta?* D. Hieronym. Epitaphio Nepotiani: *Pellitorum turba ſatellitum.* Proſper Aquitanicus de Providentia:

Quod ſi forte lupos, lyncaſque urſoſque creatos
Diſplicet, at Scythiæ proceres, regeſque Getarum
Reſpice, queis oſtro contempto, & tegmine Serum,
Eximius decor eſt tergis horrere ferarum.

Joſephus Caſtalio notat ad Rutilium Numatianum libr. 2. Itinerarii:

Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat.

Locus aureus eſt Claudiani libr. 2. in Ruffin.

Non pudet Auſonias curas, & jura regentem
Sumere deformes ritus, veſtemque Getarum?
Inſignemque habitum Latii mutare, togæque

Mœrent

Mærent pellito captivæ judice leges.

Ita MS. meus optimæ notæ, & antiquiſſima editio Veneta, probatque Guilielmus Fornerius doctiſſ. J.C. ſuis ad Caſſiodorum notis; at ſi officium præfecti Prætorii intelligendum ſit, melius legi poterit:

Non pudet Auſonios currus, & jura regentem.

Plura deſiderans adi Antiquitates meas Romanas libr. 5. cap. 31. Fueruntque etiam hæ veſtes Romanis in uſu Æl. Spartian. Severo: *Et cum hirta chlamyde humeros velaret.* Æl. Lamprid. in eodem. Vide Wolfgangum Lazium libr. 8. Commentarior. Reip. cap. 10. in fine.

Apud Etruſcos vinearum ſatio: non omnes gentes jus eas colendi habuerunt: tributum iis impoſitum.

CAP. LV.

ETſi ſacræ literæ vinearum plantationem ad Noëm referant, ut diſerte Geneſ. cap. 9. habetur, & notat Gilbertus Genebrardus libr. 1. Chronolog. pag. 90. tamen nihil vetabit Etruſcis tantæ rei antiquiſſimum uſum adſcribere, quorum Rex Janus antiquiſſimo ſeculo, vix uno ſeculo poſt diluvium illud univerſale, & vineas plantavit, & vinum facere ruſticos, ætate illa rudes, omniumque rerum inexpertos erudiit. Servius Maurus ad Virgil. libr. 8. Æneid. pag. 506. *Saturnus Rex fuit Cretæ, quem Jupiter filius bello pepulit. Hic fugiens, a Jano Rege, qui urbem habuit, ubi nunc Janiculum eſt, ſuſceptus eſt, qui regnabat in Italia: quem cum docuiſſet uſum vinearum, & falcis, & humaniorem victum, in partem eſt admiſſus imperii, & ſibi oppidum fecit ſub clivo Capitolino, ubi nunc ejus ædes videtur, qui poſtea ſuum repetivit imperium.* A Saturno ergo Janus præcepta rei ruſticæ hauſit, populoſque ſuos docuit. Gottofredus Viterbienſis in Pantheo Chronicor. part. 4. pag. 117.

Navibus Italiam prior hic ornaſſe putatur,
Ædificans Sutrium, dum vivit, ibi dominatur,
Triticeum ſemen primus in orbe ferens.

Quibus agriculturam ipſam a Saturno Janoque inventam deſcribit: & de vinearum cultu Ugolinus Verinus MS. de Illuſtrat. Florentiæ libr. 1.

Indigenæ Latium primi coluere, ſine ullis
Legibus errabat per ſilvas more ferarum
Gens vaga: non terram curvo ſcindebat aratro;
Sed dabat huic victum decuſſis glandibus ilex:
Donec Heſperios gemini prudentia Jani
Collegit, poſuitque urbes: tum fœdere certo

 Inter

Inter ſe conjunxit, connubioque ligavit:
Ac ſtabili cœlum docuit ratione moveri,
Principiumque anni, qui dat nova nomina Tuſcis.
Illo etiam geminus regnabat tempore Cecrops,
Per quem juncta mari ſacris eſt fœmina vinclis.
Tunc quoque Saturnus Dicteis exul ab oris
Venit in Auſoniam, regnique in parte receptus
Jura dedit populis, docuitque invertere glebam,
Et ſerere in campis frumentum, in collibus uvas.

Apud Romanos certe *multo ſerior vitium cultura* erat, ut verbis utar C. Plinii libr. 18. cap. 4. Neque tum quidem, cum vineæ occari colique cœptæ, unicuique ad libitum habere vineas licebat, ſed modus a Domitiano lege inductus, ut narrat Suetonius in eo cap. 7. *Ad ſummam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, exiſtimans nimio vinearum ſtudio negligi arva, edixit, ne quis in Italia novellaret: utque in provinciis vineta ſucciderentur, relicta, ut plurimum, dimidia parte.* Neque certe provinciæ omnes vineas habere poterant. Fl. Vopiſc. in Probo: *Gallis omnibus, & Hiſpanis, ac Britannis hinc permiſit, ut vites haberent, vinumque conficerent.* Locum ſuſpicor eſſe corruptum; nam cum noſtræ Britanniæ cœlum non patiatur vitium culturam, mirandum videri poſſet beneficium Probi, indulgentis id, quod natura ſoli reſpueret. Corrige itaque, & lege aptius pro *Britannis*, Pannoniis. Ita Aurelius Victor in Probo: *Eodem modo hic Galliam, Pannoniaſque, & Mæſorum colles vineis replevit.* Alter Victor in eodem: *Vineas Gallos & Pannonicos habere permiſit.* Fl. Eutrop. libr. 9. Hiſtor. eadem repetit. Unde cum vineis datis natæ leges ipſarum furtum inhibentes, ut de lege Salica, & Longobardica conſtat apud Petrum Gregorium Toloſatem libr. 37. cap. 6. Syntagmat. Imo & vino vineiſque impoſitum tributum, dixi ex multis ad illud Claudiani libr. 2. de Laudib. Stiliconis:

Pannonius, potorque Savi, qui clauſa tot annis
Oppida, laxatis auſus jam pandere portis,
Rurſum cote novat nigras rubigine falces,
Exeſoſque diu cogit ſplendere ligones,
Agnoſcitque caſas, & collibus oſcula notis
Figit, & impreſſo glebis non cedit aratro:
Exectis inculta dabant quas ſecula ſilvis,
Reſtituit terras, & opacum vitibus Iſtrum
Conſerit, & patrium vectigal ſolvere gaudet.

L. Florus Epitomaſtes ad Livii libr. 40. etiam hæc eadem habet; unde liquet, vitibus tributum impoſitum: obſervatque eruditus Guidus Pancirolius in Notitia Imperii Orientis cap. 23. Atque hujus quidem notitiæ auctor fuit non Marianus Scotus Monachus Fuldenſis, ſed alius eo antiquior, ut in libro de Illuſtribus Scriptoribus Scotis doceo, certe in optimæ notæ Mapphæorum Pierius Valerianus viderat Scoti nomen

huic

huic operi præfixum; & in Petri Donati Spirenſis, Patavii Epiſcopi, qui Eugenii III. nomine Baſilienſi Concilio præſedit, bibliotheca erat, *Scoti Coſmographia*. Sed ad Etruriam pergo.

Apud Etruſcos arborum pomiferarum ſatio: & de Pomona, & Pomonali flamine.

CAP. LVI.

HÆc quoque agriculturæ pars, quæ de pomiferis arboribus eſt tradita, Etruriæ debetur; nam eam Janus adinvenit, perpolivit Vertumnus, ut libr. 2. hoc opere ſupra cap. 6. dictum: & probat Antonius Fanenſis Commentario ad libr. 6. Faſtorum Ovidii, quem non exſcribo. Quare & ille Tuſciæ Rex, ac poſtmodum Italorum Deus de ſe apud Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 2.

Hic dulces ceraſos, hic autumnalia pruna
Cernis . . . .

Et ob eam cauſam dicitur, Pomonam Deam adamaſſe, eademque potitus, ut deſcribit Ovidius libr. 14. Metamorph. fab. 16.

Rege ſub hoc Pomona fuit.

Hujus Arnobius libr. 3. Cont. Gent. meminit. *Nulla Fluvionia, nulla Pomona, nulla Oſſipagina, nulla Februtis*. Sidon. Apollinar. Carm. 11. v. 116.

Hic gravidos Pomona ſinus pro tempore portat.

Adi Servium Maurum ad libr. 7. Æneid. pag. 457. Habuit hæc Dea Romæ vicum in ſeptima urbis regione. Sextus Rufus, & Aurelius Victor. Et cum quindecim tantum eſſent in univerſum Flamines, *Dialis* primus cenſebatur, ultimus vero *Pomonalis*. M. Varro libr. 6. de Ling. Lat. & Feſt. Pomp. libr. 11. *Maximæ dignationis Flamen Dialis eſt inter quindecim Flamines: & cum ceteri diſcrimina majeſtatis ſuæ habeant, minimi habetur Pomonalis, quod Pomona leviſſimo fructui agrorum præſidet pomis.*

Etru-

Etruſcorum inventum Falces arborariæ: veneficiis adhibitæ ahenæ.

CAP. LVII.

FAlcem arborariam, ut Rutilius Palladius appellat, in Italiam Saturnus profugus primus intulit; ſed Janus Etruſcis ejus uſum oſtendit. Servius Honoratus ad illud Virgilii libr. 8. Æneid. pag. 506. *Quem cum docuiſſet uſum vinearum, & falcis, & humaniorem victum.* Vide verba reliqua hoc libro ſupra cap. 55.

Erant & falces ahenæ, quibus veneficæ uti credebantur; nam ferri nullus antiquitus aut certe perexiguus uſus erat: æris frequens, ut ex Homero Euſtathius & alii notant. Ad religiones & devotiones ejus metalli uſum vertit improbitas. De ſaga illa Africana Virgil. libr. 4. Æneid.

Falcibus & meſſæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ.

Ovid. de Medea libr. 7. Metamorph.

. . . . . *& plantas partim radice revellit,*
Partim ſuccidit curvamine falcis ahenæ.

Etruſcorum inventum agricultura, ſaltem in Italia: de Cerere quædam.

CAP. LVIII.

NUllus Poëtarum Græcorum agriculturæ inventores non Græcos fuiſſe prodiderunt, atque illi ſane hoc tantum mortalibus beneficium ad Deos fabuloſa vanitate traducunt, Triptolemum, Cererem, Palem, Pana, Silvanum, Floram, ipſumque Apollinem efferentes. Sed ego certo comperi, Etruriæ Regem primum Janum eſſe ejus auctorem. Plutarch. Problemat. Roman. pag. 269. Διὰ τί τὸν Ἰανὸν διπρόσωπον οἴονται γεγονέναι, καὶ γράφουσιν οὕτως καὶ πλάττουσιν; πότερον ὅτι τῷ μὲν γένει Ἕλλην ἐκ Περραιβίας ἦν, ὡς ἱστοροῦσιν, διαβὰς δὲ εἰς Ἰταλίαν, καὶ συνοικήσας τοῖς αὐτόθι βαρβάροις μετέβαλε καὶ γλῶτταν καὶ δίαιταν: ἢ μᾶλλον ὅτι τοὺς περὶ τὴν Ἰταλίαν αὐτὸς ἀγρίοις καὶ ἀνόμοις χρωμένους ἔθεσιν εἰς ἕτερον βίου σχῆμα πείσας καὶ γεωργεῖν καὶ πολιτεύεσθαι μετέβαλε καὶ μετεκόσμησε. *Cur Janum bifrontem fuiſſe credunt, talemque pingunt, ac fingunt? Num quia genere Græcus ex Perrhæbia fuit, ac proficiſcens in Ita-*

Italiam, ſedibus apud barbaros poſitis, linguæ vitæque rationem mutavit? hoc enim hiſtorice refertur: an vero quod Italos feris utentes, injuſtiſque moribus ſuadendo ad aliud vitæ genus traduxit, agriculturaque & civili inſtitutione compoſuit. Falſum hoc, & a Græculo in ſuorum popularium nimiam gratiam confictuum, Janum eſſe alienigenam, aut Græcum, cum conſtet indigenam fuiſſe; imo nec ulla ejus veſtigia inter Græcos deprehendi Scriptores, nec ullum Deum Jano ſimilem eos omnino habuiſſe docui libr. 2. ſupra hoc opere cap. 3. Apud ſuos igitur Tuſcos & agri colendi rationem invenit, & ob beneficium tantum inter Deos relatus. Ugolinus Verinus libr. 1. Illuſtrat. Florent.

Jura dedit populis, docuitque invertere glebam,
Et ſerere in campis frumentum, in collibus uvas.
Cui propter meritum poſuit ſacra templa vetuſtas.

Jun. Moderat. Columella præfat. libr. 1. de Re Ruſtica. *Itaque in hoc Latio & Saturnia terra, ubi Dii cultus agrorum progeniem ſuam docuerant, ibi nunc ad haſtam locamus, ut nobis ex tranſmarinis provinciis advehatur frumentum, ne fame laboremus.* Quæ de Jano ac Saturno ſunt intelligenda.

At apud Græcos Cereris munus hoc eſſe ajunt, quæ puerum Triptolemum id docuerit, atque ille tantum bonum divulgaverit: Iſidemque Ægyptii auctorem faciunt, ut apud pleraſque gentes pleroſque repertores & varios agriculturam habuiſſe videri credibile poſſit. Triptolemus ille & *Celeus pater* dictus. Ariſtophan. Acharnenſib. Act. 1. ſc. 2. Martian. Capella libr. 2. de Nupt. Mercur. & Philolog. *Qui primi mortalibus uſum rerum, majoraque commoda præſtiterunt, ut vitem Dionyſius apud Thebas, Oſyris apud Ægyptios hauſtum vini uſumque comperiens, frumentum Iſis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuere, eademque Iſis lini uſum, ſementemque monſtravit.* Narrat fuſe C. Julius Hyginus fabular. cap. 147. & eodem obiter opere cap. 259. & rurſus eodem opere cap. 277. *Ceres fruges ſerere, boves domare, & alumno ſuo Triptolemo fruges ſerere commonſtravit.* Locum eſſe corruptum liquet, illaque verba prima, *fruges ſerere* eſſe delenda exiſtimo. Freculphus Lexonienſis Chronicor. Tom. 1. libr. 2. cap. 12. ex Philochoro vetuſtiſſimo Scriptore: *His temporibus*, Pelopis Regis, *Triptolemus, ut Philochorus ait, longa navi ad urbes accedens, diſtribuiſſe dicitur frumenta, & ob id dediſſe ſuſpiciones, quod navis ejus ſerpens pennatus fuerit: ſive, ut alii fingunt, quod jubente Cerere, anguibus portatus alitibus, terris frumenta volando contulerit.* Id inventum rejicit Ado Viennenſis Chronicor. pag. 27. in annum mundi 3797. *His temporibus fabulæ fictæ ſunt de Triptolemo, quod jubente Cerere, ſerpentium pinnis geſtatus, indigentibus frumenta volando diſtribuit.* Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 1. principio: Hubertus Vellejus, & Fr. Laziardus in Epitoma Hiſtor. Univerſal. cap. 21. *Triptolemus agriculturam ampliaſſe, & quadrigas primus junxiſſe dicitur:*

Etruſcorum inventum Falces arborariæ: veneficiis adhibitæ ahenæ.

CAP. LVII.

FAlcem arborariam, ut Rutilius Palladius appellat, in Italiam Saturnus profugus primus intulit; ſed Janus Etruſcis ejus uſum oſtendit. Servius Honoratus ad illud Virgilii libr. 8. Æneid. pag. 506. *Quem cum docuiſſet uſum vinearum, & falcis, & humaniorem victum.* Vide verba reliqua hoc libro ſupra cap. 55.

Erant & falces ahenæ, quibus veneficæ uti credebantur; nam ferri nullus antiquitus aut certe perexiguus uſus erat: æris frequens, ut ex Homero Euſtathius & alii notant. Ad religiones & devotiones ejus metalli uſum vertit improbitas. De ſaga illa Africana Virgil. libr. 4. Æneid.

Falcibus & meſſæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ.

Ovid. de Medea libr. 7. Metamorph.

. . . . . & plantas partim radice revellit,
Partim ſuccidit curvamine falcis ahenæ.

Etruſcorum inventum agricultura, ſaltem in Italia: de Cerere quædam.

CAP. LVIII.

NUllus Poëtarum Græcorum agriculturæ inventores non Græcos fuiſſe prodiderunt, atque illi ſane hoc tantum mortalibus beneficium ad Deos fabuloſa vanitate traducunt, Triptolemum, Cererem, Palem, Pana, Silvanum, Floram, ipſumque Apollinem efferentes. Sed ego certo comperi, Etruriæ Regem primum Janum eſſe ejus auctorem. Plutarch. Problemat. Roman. pag. 269. Διὰ τί τὸν Ἰανὸν διπρόσωπον οἴονται γεγονέναι, καὶ γράφουσιν οὕτως ϗ πλάττουσιν; πότερον ὅτι τῷ μὲν γένει Ἕλλην ἐκ Περῥαιβίας ἦν, ὡς ἱστοροῦσι, διαβὰς δὲ εἰς Ἰταλίαν, καὶ συνοικήσας τοῖς αὐτόθι βαρβάροις μετέβαλε καὶ γλῶτταν καὶ δίαιταν: ἢ μᾶλλον ὅτι τοὺς περὶ τὴν Ἰταλίαν αὐτὸς ἀγρίοις καὶ ἀνόμοις χρωμένους ἔθεσιν εἰς ἕτερον βίου σχῆμα πείσας καὶ γεωργεῖν καὶ πολιτεύεσθαι μετέβαλε καὶ μετεκόσμησε. *Cur Janum bifrontem fuiſſe credunt, talemque pingunt, ac fingunt? Num quia genere Græcus ex Perrhæbia fuit, ac proficiſcens in Ita-*

Italiam, ſedibus apud barbaros poſitis, linguæ vitæque rationem mutavit? hoc enim hiſtorice refertur: an vero quod Italos feris utentes, injuſtiſque moribus ſuadendo ad aliud vitæ genus traduxit, agriculturaque & civili inſtitutione compoſuit. Falſum hoc, & a Græculo in ſuorum popularium nimiam gratiam confictuum, Janum eſſe alienigenam, aut Græcum, cum conſtet indigenam fuiſſe; imo nec ulla ejus veſtigia inter Græcos deprehendi Scriprores, nec ullum Deum Jano ſimilem eos omnino habuiſſe docui libr. 2. ſupra hoc opere cap. 3. Apud ſuos igitur Tuſcos & agri colendi rationem invenit, & ob beneficium tantum inter Deos relatus. Ugolinus Verinus libr. 1. Illuſtrar. Florent.

Jura dedit populis, docuitque invertere glebam,
Et ſerere in campis frumentum, in collibus uvas.
Cui propter meritum poſuit ſacra templa vetuſtas.

Jun. Moderar. Columella præfat. libr. 1. de Re Ruſtica. *Itaque in hoc Latio & Saturnia terra, ubi Dii cultus agrorum progeniem ſuam docuerant, ibi nunc ad haſtam locamus, ut nobis ex tranſmarinis provinciis advebatur frumentum, ne fame laboremus*. Quæ de Jano ac Saturno ſunt inrelligenda.

At apud Græcos Cereris munus hoc eſſe ajunt, quæ puerum Triptolemum id docuerit, arque ille tantum bonum divulgaverit: Iſidemque Ægyptii auctorem faciunt, ut apud pleraſque gentes pleroſque repertores & varios agriculturam habuiſſe videri credibile poſſit. Triptolemus ille & *Celeus pater* dictus. Ariſtophan. Acharnenſib. Act. 1. ſc. 2. Martian. Capella libr. 2. de Nupt. Mercur. & Philolog. *Qui primi mortalibus uſum rerum, majoraque commoda præſtiterunt, ut vitem Dionyſius apud Thebas, Oſyris apud Ægyptios hauſtum vini uſumque comperiens, frumentum Iſis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuere, eademque Iſis lini uſum, ſementemque monſtravit*. Narrat fuſe C. Julius Hyginus fabular. cap. 147. & eodem obiter opere cap. 259. & rurſus eodem opere cap. 277. *Ceres fruges ſerere, boves domare, & alumno ſuo Triptolemo fruges ſerere commonſtravit*. Locum eſſe corruptum liquet, illaque verba prima, *fruges ſerere* eſſe delenda exiſtimo. Freculphus Lexonienſis Chronicor. Tom. 1. libr. 2. cap. 12. ex Philochoro vetuſtiſſimo Scriptore: *His temporibus*, Pelopis Regis, *Triptolemus, ut Philochorus ait, longa navi ad urbes accedens, diſtribuiſſe dicitur frumenta, & ob id dediſſe ſuſpiciones, quod navis ejus ſerpens pennatus fuerit: ſive, ut alii fingunt, quod jubente Cerere, anguibus portatus alitibus, terris frumenta volando contulerit*. Id inventum rejicit Ado Viennenſis Chronicor. pag. 27. in annum mundi 3797. *His temporibus fabulæ fictæ ſunt de Triptolemo, quod jubente Cerere, ſerpentium pinnis geſtatus, indigentibus frumenta volando diſtribuit*. Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 1. principio. Hubertus Vellejus, & Fr. Laziardus in Epitoma Hiſtor. Univerſal. cap. 21. *Triptolemus agriculturam ampliaſſe, & quadrigas primus junxiſſe dicitur:*

citur:

Digitized by Google

citur: *Ceres etiam præter inſtrumenta arandi, menſuras invenit, cum prius per acervum triticum numeraretur*. Præclarum hoc, & neſcio, an ab alio quopiam traditum. Luctatius Placid. ad libr. 4. Thebaidos Statianæ v. 658. *Cum Triptolemus beneficio Cereris fruges per omnes ſpargeret terras*. Et ad libr. 12. Thebaid. v. 629. Idem: *Ceres a Dite filiam raptam dum quærit, hoſpitio Regis Eleuſi dicitur fuiſſe ſuſcepta, cujus filium Triptolemum pro beneficii gratia ſuſtulit nutriendum, cui agriculturam, & inveniendi frumenti artificium oſtendit*. Et eo nomine Sephocles tragœdus fabulam dedit; nam ex ejus Triptolemo verſum hunc laudat Plinius libr. 18. cap. 7.

Et fortunatam Italiam frumento canere candido.

Meminit etiam Florens Tertullianus libr. 1. in Marcionem cap. 11. Suid. in voce ϕαρμὰς D. Auguſtin. libr. 18. Civitat. Dei cap. 13. Eum Oſyridem comitatum tradit Diodorus Siculus libr. 1. Bibliothec. Poëtæ paſſim. Ovid. libr. 5. Metamorph. fab. ult. libr. 3. Triſt. Eleg. 8. libr. 4. Faſtor.

Ille quidem mortalis erit, ſed primus arabit,
Et ſeret, & culta ſemina tollet humo.

Nonnus Panopolitan. libr. 19. Dionyſiac. v. 84.

Τριπτόλεμος στάχυν εὗρε φερεσταχύων ἐπὶ δίφρων.
Triptolemus ſegetem invenit ſpiciferis in curribus

L. Seneca Hippolyto Act. 3. ſc. 1.

Jam quarta Eleuſis dona Triptolemi ſecat.

Valer. Flacc. libr. 1. Argonautic.

. . . . *aut curru ſævos frænaſſe Dracones*
Triptolemi, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit.

D. Auſon. Epiſt. 22.

Triptolemon olim, ſive Meden, quem vocant,
Aut Tullianum Buzigen

Claudian. libr. 1. de Raptu in principio: ubi plura a me ſunt dicta:

Angues Triptolemi ſtridunt, & ſquammea curvis
Colla levant attrita jugis.

Quem verſum ſuavem & elegantem, neſcio, cur inſana critices male feriatæ prurigine, in deteriorem, & minus numeroſum mutare Julius Scaliger hoc modo ſit auſus:

Triptolemi ſtridunt angues.

Sidon. Apollinar. Carm. 9. v. 180.

Non cum Triptolemo verendam Eleuſin,
Qui primas populis dedere ariſtas
Paſtis Chaonium per ilicetum

Stat. libr. 4. Silv. 2.

. . . *ætherei felix ſic orbita fluxit*
Triptolemi.

Mar-

Martian. Capella libr. 2.

Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri.

In tanti beneficii recordationem Athenienſes feſta Cereri *Theſmophoria* inſtituerunt, dictaque eadem Eleuſina a patre Triptolemi. Luctat. Placid. ad libr. 2. Thebaid. Stat. v. 383. Strabo libr. 15. Geograph. & obiter libr. 9. pag. 272. noctu celebrata. Crinagoras Poëta Græcus vetuſtiſſimus libr. 1. Antholog. cap. 28. Epigr. 3. Stat. libr. 7. Thebaid. v. 412. & libr. 12. Theb. 132. Apollodor. Athenienſis libr. 1. Bibliothec. L. Seneca in Hercule Furente Act. 3. in Choro. Lactant. Firmian. libr. 1. cap. 21. Eaque de cauſa Ceres ſemper depingebatur facem geſtans, dixi ad libr. 1. de Raptu Claudiani in principio. Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad v. 141. Satyr. 15. Prudent. in Romani Agone:

Facem recincta veſte prætendit Ceres.

Et ſacrificia ita celebrabantur, ut unus facem ab ara acciperet, decurreretque circa ædem ſacram; poſtea alteri eandem traderet, & quidem curſuro, Georgius Alexandrinus notavit. Iſter, antiquiſſimus hiſtoricus, apud Suidam in voce λαμπάδος. Quare & ἱεροφάνται δᾳδοῦχοι, *doctores ſacrorum* in Theſmophoriis *faciferi* appellabantur. Jul. Pollux libr. 1. Onomaſt. cap. 1. num. 31. & Callias Cereris Sacerdos δᾳδοῦχος *facifer* Plutarch. in Ariſtide in principio. Vitium eſt in Georgio Cedreno Compend. Hiſtoriar. pag. 139. ubi Xylander *Claduchum* vertere debebat, pro quo *Daduchum* ſubſtituit. Ita Poëtæ. Bacchylides laudatus a Scholiaſte Apollonii Rhodii:

Ἑκάτα δᾳδοφόρε νυκτὸς μεγαλοκόλπου θύγατερ.

Hecate tædifera noctis magnum ſinum habentis filia.

Ovid. Epiſt. 2. Phyllidis:

Et per tædiferæ myſtica ſacra Deæ.

Et libr. 3. Faſtor.

Quos cum tædifera nunc habet ille Dea.

Juvenal. Satyr. 2. v. 90. L. Seneca Agamen. Act. 2. Choro:

Tibi votivam lampades jactant
Matres Grajæ.

Et in Hercule Furente:

Longas Eleuſi tacita jactabo faces.

Et in Hippolyto Act. 1. ſc. 2.

Jactare tacitis conſcias ſacris faces.

Summa in his taciturnitas obſervabatur. Sueton. in Auguſto cap. 93. L. Seneca libr. 7. Natural. Quæſtion. cap. 31. Plutarch. in Demetrio. Tatian. Orat. Cont. Gent. Scholiaſt. Ariſtophan. Pluto Act. 4. ſc. 2. Gerardus ibidem loci. Helenius Acron ad Horatii libr. 3. od. 2. Lactant. Firmian. libr. 2. Inſtitut. Divinar. cap. 4. D. Auſon. Epiſt. 24.

Varia ejus cognomenta, ut *εὔπεπλος, benevelata*. Moſchus Eydill. 3. v. 75. *Ennæa*. Senec. Herc. Furent. Act. 3. ſc. 2. M. Lucan. libr. 6. v. 742. Sil. Italic. libr. 1. *Ennæa numina Divæ*. Claudian. libr. 1. de

citur. Ceres etiam præter inſtrumenta arandi, menſuras invenit, cum prius per acervum triticum numeraretur. Præclarum hoc, & neſcio, an ab alio quopiam traditum. Luctatius Placid. ad libr. 4. Thebaidos Statianæ v. 658. *Cum Triptolemus beneficio Cereris fruges per omnes ſpargeret terras*. Et ad libr. 12. Thebaid. v. 629. Idem: *Ceres a Dite filiam raptam dum quærit, hoſpitio Regis Eleuſi dicitur fuiſſe ſuſcepta, cujus filium Triptolemum pro beneficii gratia ſuſtulit nutriendum, cui agriculturam, & inveniendi frumenti artificium oſtendit*. Et eo nomine Sophocles tragœdus fabulam dedit; nam ex ejus Triptolemo verſum hunc laudat Plinius libr. 18. cap. 7.

Et fortunatam Italiam frumento canere candido.

Meminit etiam Florens Tertullianus libr. 1. in Marcionem cap. 11. Suid. in voce φαρίας D. Auguſtin. libr. 18. Civitat. Dei cap. 13. Eum Oſyridem comitatum tradit Diodorus Siculus libr. 1. Bibliothec. Poëtæ paſſim. Ovid. libr. 5. Metamorph. fab. ult. libr. 3. Triſt. Eleg. 8. libr. 4. Faſtor.

Ille quidem mortalis erit, ſed primus arabit,
Et ſeret, & culta ſemina tollet humo.

Nonnus Panopolitan. libr. 19. Dionyſiac. v. 84.

Τριπτόλεμος σπόρον εὗρε φερεσταχύων ἐπὶ δίφρων.
Triptolemus ſegetem invenit ſpiciferis in curribus

L. Seneca Hippolyto Act. 3. ſc. 1.

Jam quarta Eleuſis dona Triptolemi ſecat.

Valer. Flacc. libr. 1. Argonautic.

. . . . aut curru ſævos frænaſſe Dracones
Triptolemi, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit.

D. Auſon. Epiſt. 22.

Triptolemon olim, ſive Meden, quem vocant,
Aut Tullianum Buzigen

Claudian. libr. 1. de Raptu in principio: ubi plura a me ſunt dicta:

Angues Triptolemi ſtridunt, & ſquammea curvis
Colla levant attrita jugis.

Quem verſum ſuavem & elegantem, neſcio, cur inſana critices male feriatæ prurigine, in deteriorem, & minus numeroſum mutare Julius Scaliger hoc modo ſit auſus:

Triptolemi ſtridunt angues.

Sidon. Apollinar. Carm. 9. v. 180.

Non cum Triptolemo verendam Eleuſin,
Qui primas populis dedere ariſtas
Paſtis Chaonium per ilicetum

Stat. libr. 4. Silv. 2.

. . . ætherei felix ſic orbita fluxit
Triptolemi.

Mar-

Martian. Capella libr. 2.

Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri.

In tanti beneficii recordationem Athenienſes feſta Cereri *Theſmophoria* inſtituerunt, dictaque eadem Eleuſina a patre Triptolemi. Luctat. Placid. ad libr. 2. Thebaid. Stat. v. 383. Strabo libr. 15. Geograph. & obiter libr. 9. pag. 272. noctu celebrata. Crinagoras Poëta Græcus vetuſtiſſimus libr. 1. Antholog. cap. 28. Epigr. 3. Stat. libr. 7. Thebaid. v. 412. & libr. 12. Theb. 132. Apollodor. Athenienſis libr. 1. Bibliothec. L. Seneca in Hercule Furente Act. 3. in Choro. Lactant. Firmian. libr. 1. cap. 21. Eaque de cauſa Ceres ſemper depingebatur facem geſtans, dixi ad libr. 1. de Raptu Claudiani in principio. Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad v. 141. Satyr. 15. Prudent. in Romani Agone:

Facem recincta veſte prætendit Ceres.

Et ſacrificia ita celebrabantur, ut unus facem ab ara acciperet, decurreretque circa ædem ſacram: poſtea alteri eandem traderet, & quidem curſuro, Georgius Alexandrinus notavit. Iſter, antiquiſſimus hiſtoricus, apud Suidam in voce λαμπάδος. Quare & ἱεροφάνται δᾳδοῦχοι, *doctores ſacrorum* in Theſmophoriis *faciferi* appellabantur. Jul. Pollux libr. 1. Onomaſt. cap. 1. num. 31. & Callias Cereris Sacerdos δᾳδοῦχος *facifer* Plutarch. in Ariſtide in principio. Vitium eſt in Georgio Cedreno Compend. Hiſtoriar. pag. 139. ubi Xylander *Claduchum* vertere debebat, pro quo *Daduchum* ſubſtituit. Ita Poëtæ. Bacchylides laudatus a Scholiaſte Apollonii Rhodii:

Ἑκάτα δᾳδοφόρε νυκτὸς μεγαλοκόλπου θύγατερ.

Hecate tædifera noctis magnum ſinum habentis filia.

Ovid. Epiſt. 2. Phyllidis:

Et per tædiferæ myſtica ſacra Deæ.

Et libr. 3. Faſtor.

Quos cum tædifera nunc habet ille Dea.

Juvenal. Satyr. 2. v. 90. L. Seneca Agamen. Act. 2. Choro:

Tibi votivam lampades jactant
Matres Grajæ.

Et in Hercule Furente:

Longas Eleuſi tacita jactabo faces.

Et in Hippolyto Act. 1. ſc. 2.

Jactare tacitis conſcias ſacris faces.

Summa in his taciturnitas obſervabatur. Sueton. in Auguſto cap. 93. L. Seneca libr. 7. Natural. Quæſtion. cap. 31. Plutarch. in Demetrio. Tatian. Orat. Cont. Gent. Scholiaſt. Ariſtophan. Pluto Act. 4. ſc. 2. Gerardus ibidem loci. Helenius Acron ad Horatii libr. 3. od. 2. Lactant. Firmian. libr. 2. Inſtitut. Divinar. cap. 4. D. Auſon. Epiſt. 24.

Varia ejus cognomenta, ut εὐέανος, *benevelata*. Moſchus Eydill. 3. v. 75. *Ennæa*. Senec. Herc. Furent. Act. 3. ſc. 2. M. Lucan. libr. 6. v. 742. Sil. Italic. libr. 1. *Ennæa numina Divæ*. Claudian. libr. 1. de

Raptu ex MS. meo: *Ennææ Cereri*, male in vulgatis: *Ætneæ Cereri*. *Mater* (Orpheus in Hymnis) *Mammoſa*. Lucret. libr. 5. *Legifera*. Clemens Alexandrin. Protreptico. Herodot. libr. 2. Hiſtor. aliaque huc ſpectantia vide in Antiquitat. Roman. libr. 2. cap. 11.

Etruſcorum inventum medicina, licet Ægyptii, Arabes, Græci, aliique populi ejus ad ſe inventionem trahant: ſera Romam migravit, medicique ſervorum numero.

CAP. LIX.

SAluberrimam hanc, tuendiſque corporibus neceſſariam ſcientiam Etruſci invenerunt. Mineus Felix Martianus Capella libr. 6. de Nupt. Merc. & Philologiæ: *Dehinc quæ ubertate ſoli ſacrata occupavit, Etruria Regio, tam indigetis Æneæ fœdere, quam remediorum origine, atque ipſius Tagetis exaratione celebrata*. Claro diſertiſque verbis Africanus ille ſcriptor originem Medicinæ ad Tuſcos retulit, quod tamen alii ad alios traxere, neque faciles eſt invenire exitus. Julius Guaſtavinus Patricius Genuenſis, ac in noſtra Academia Piſana Medicinæ profeſſor Ordinarius, Græcæ Latinæque linguæ callentiſſimus, opus dat *De Illuſtribus Medicis*, in quo ſeculo 1. ſic enim ætatibus excellentes artis illius profeſſores diſtinguit cap. 1. multa varia eruditione de Apolline, Æſculapio, Ægyptiiſque diſſerit, quos nonnulli repertores Medicinæ fecerant: cap. 2. de Iſide, Oſiride, Mercurio Ægyptio, & Agenore, auctoribus & iis ejus artis creditis diſquirit: cap. 3. ad Græcos deſcendit, ſerioque de Melampode, Polyide, Ariſtæo, Arabo, Chirone, Baccho, & Hercule, qui Medicinæ a quibuſdam parentes habebantur, diſputat. Sed ſcrinia ejus non compilo. Obiter quædam Hieronymus Mercurialis, Piſanus Profeſſor, libr. 1. Gymnaſt. cap. 1. Plinius certe ad Babylonios refert ejus ortum libr. 7. cap. 56. Et Euſeb. libr. Præparat. Evangel. cap. 70.

Et Ægyptiis quidem videri poterat debitus hic honor, qui ex publico Medicos alebant, certiſque legibus obſtringebant, jam tum ab initio, & omni temporum memoria, ritu ſervato. Diodor. Sicul. libr. 1. Biblioth. pag. 74. Ipſe Hippocrates libr. de Veteri Medicina pag. 24. nihil aliud quam Ὠήθησαν ἀξίην τὴν τέχνην θεῷ προσθεῖναι, ὡς καὶ νομίζεται: *indicaveruntque artem dignam, quæ Deo adſcriberetur, quemadmodum etiam eſt receptum*. Et eod. tom. 4. pag. 67. Epiſtola ad Philopœmenem: Ἰητρικὴ καὶ μαντικὴ συγγενὴς ἐστὶ. *Medicina & Divinatio cognatæ ſunt*. Quod

ipſum

ipſum Diodorus Siculus libr. 5. Bibliothec. pag. 341. repetit. Quod ſi verum eſt, jam certe Etruſci ſua in hujus inventione gloria fraudari non poſſunt, apud quos omnis illa per auguria auſpiciaque vaticinandi ars originem habuit; ut hoc libro cap. 1. & cap. 2. oſtendebam: quod tamen Græcorum poëtarum, & hos ſequentium Romanorum improbitas diſſimulavit, potiuſque ad Apollinem, & ejus filium Æſculapium tanti facti decus traxerunt: nec ſane Romanis, hoſtiliter in Tuſcos deſævientibus, tam vicinæ gentis gloria placere poterat, itaque Apollinem celebrant Medicinæ inventorem. Ovid. libr. 1. Metamorph. fab. 9. Et Epiſt. 5. Et libr. 3. Faſtor. ad finem. Et libr. 3. Triſt. Eleg. 3. Horatius Carmine Seculari, & Helenius Acron ibidem. Macrobius libr. 1. Saturnal. cap. 17. M. Fab. Quintilian. libr. 3. Inſtitution. Oratoriar. cap. 9. Virgil. libr. 12. Æneid. v. 393. Plato in Sympoſio. Unde cognomentum ejus *Aceſius*. Pauſanias in Eliac. & *Alexicacus*. Idem in Arcadic. Q. Sammonicus Serenus libr. Rei Medicæ cap. 1.

Phœbe ſalutiferum, quod pangimus, aſſere carmen
Inventumque tuum prompto comitare favore.

Alii ad Æſculapium ejus filium referunt. Florens Tertullianus Apologet. cap. 23. Arnob. libr. 1. Cont. Gent. Cicero libr. 3. Nat. Deor. Pindar. Pythior. od. 3. & Nemeor. od. 3.

Nec deſunt, qui utriuſque doctorem Chironem Centaurum faciant. C. Jul. Hygin. Fabular. cap. 274. Probus Grammaticus ad Virgilii Georg. libr. 3. Apollodor. Athenienſis libr. 3. Bibliothec. quorum verba poſita habes libr. 2. Antiquitat. Romanar. cap. 17.

Sed facilis eſt diſcordium opinionum reconciliatio; nam Chirurgica Medicina a Chirone apud Græcos eſt reperta, ut Hygino placet, Ocularia ab Apolline, Clinice ab Æſculapio. Plut. libr. 8. Sympoſiac. cap. 14. Anonymus Poëta libr. 1. cap. 29. Anthologiæ Epigr. 6. Vide locum.

Utcumque ſane ſerius ea ars Romæ haberi cœpit, nec quiſquam in urbe medicus ante annum quingenteſimum trigeſimum quintum, ut auctor eſt Caſſius Hemina gravis hiſtoricus, quo anno conſulatum iniere L. Æmilius M. Livius: primuſque ex Peloponneſo Romam venit Archagatus, Lyſaniæ filius. C. Plin. libr. 29. cap. 1. quem conſule; nam mihi mirum videtur, ipſum gloriari, nullum Latino ſermone Medicinæ præcepta complexum ante ſua tempora; cum tamen ipſe ſæpe Cornelium Celsum advocet, & laudet: Ante ea igitur tempora medici omnes ſervili in ea urbe conditione. L. Seneca libr. 3. de Beneficc. cap. 24. Sueton. Nerone cap. 2. M. Tull. Orat. pro Rege Dejotaro. Fr. Robortellus corrigit Suetonii locum in Julio cap. 4. *cum uno medico*, legendum *amico*, ex Plutarcho in Cæſare. Et certe amicos eosdem medicoſque habuere, licet non ante annum 535. Tacit. libr. 4. Annal. *Eudemus amicus ac medicus Liviæ*. Seneca libr. 6. Benefic. cap. 16. *Ex medico & præceptore in amicum tranſeunt*. Intelligendum, inquam, illud eſt poſt tempora Auguſti, ſub quo Artorius, & Antonius

Muſa, egregia Principis amicitia clari, cum antea ſemper inter ſervos & eſſent, & haberentur. Auguſti Octaviani Epiſtola apud Suetonium in Calig. cap. 8. Q. Simmach. libr. 2. Epiſt. 18. C. Plin. libr. 10. Epiſt. 4. & Epiſt. 22. Valerius Antias, & Q. Quadrigarius vetuſtiſſimi hiſtorici de Pyrrhi Regis medico. A. Gell. libr. 3. Noct. Atticar. cap. 8. Valer. Maxim. libr. 6. cap. 5. Claudian. libr. de Bello Gildon.

. . . . bellumque negavit
Per famuli patrare nefas.

Muſicam Romani ab Etruſcis ſumpſere: ea conviviis intereſſe ſueta: hydraulica in uſu inſtrumenta, choraules, thymelici, pſaltriæ, tympaniſtriæ.

CAP. LX.

INter civilia inventa Etruſcorum & muſica jure numerari poteſt. Strabo Amaſianus libr. 5. Geogr. pag. 152. Ἐκόσμησε δὲ ὖν τὴν Τυῤῥηνίαν καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ πατὴρ πρότερον, ὁ μὲν εὐπορίᾳ δημιουργῶν τῶν συνακολουθησάντων οἴκοθεν, ὁ δὲ ταῖς ἐκ τῆς Ῥώμης ἀφορμαῖς. λέγεται δὲ καὶ ὁ θριαμβικὸς κόσμος καὶ ὑπατικὸς, καὶ ἁπλῶς ὁ τῶν ἀρχόντων ἐκ Ταρκυνίων δεῦρο μετενεχθῆναι, καὶ ῥάβδοι, καὶ πελέκεις, καὶ τῶν θεῶν ἀγάλματα, καὶ ῥαβδοῦχοι, καὶ σάλπιγγες, καὶ ἱεροποιΐαι, καὶ μαντικὴ, καὶ μουσικὴ, ὅση δημοσίᾳ χρῶνται Ῥωμαῖοι. *Cum hic, tum prius ante ipſum pater Etruriam exornarunt, ille, quod opificibus domo ipſum comitatis abundaret, hic quod Roma ad eam rem facultates ſuppeditaret: traditum eſt, ornatum triumphalem, ac Conſularem, omniumque adeo Magiſtratuum a Tarquiniis Romam fuiſſe translatum, nec non faſces, ſecures, Deorum ſtatuæ, lictores, tubæ, ſacrificia, divinatio, & muſica, qua publice utuntur Romani, hinc venere.* Admirari hic libet Græcorum impudentiam, qui cum negare non poſſent omnia hæc, ſive ad ornatum, ſive ad neceſſitatem vitæ commoda ab Etruſcis defluxiſſe, illos hæc ſingula & omnia a Græcis auctoribus mutuatos aſſerere non dubitarunt, qua audacia omnium artium gloriam ad ſe ſuorumque ingenia trahere ſunt auſi. Ecce enim quæ Strabo Tarquiniis Corintho profugis, & in Etruria Tarquiniis ſedem figentibus attribuit, mille ut minus, & ſexcentis annis antiquiora ſunt. Sed pergo.

Muſicam hanc ab Etruſcis acceptam, magni ſemper fecere Romani, adeo ut nec convivium ullum nec ſacrificium ſine illa celebrarent, facerentve. M. Cato in Originibus, & ex eo Cicero libr. 4. Tuſculanar. Quæſtion. *Graviſſimus in originibus auctor, dixit Cato, morem apud majores epularum hunc fuiſſe, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibias clarorum virorum laudes, atque virtutes.* Subjungitque, illud ex Pytha-

thagoreæ philoſophiæ præſcripto fieri, quæ & ipſa ab Etruſcis prodiit, ut ſupra dixi: eademque fere reperies repertita ab eodem Oratore in Bruto. Arnob. libr. 4. Cont. Gent. *Scribuntur Dii veſtri in triclinis cæleſtibus, atque in Chalcidicis aureis cænitare, potare, & ad ultimum fidibus, & vocum modulatione mulceri*. Clem. Alexandrin. libr. 2. Pædag. cap. 4. Lucianus in Chryſolone: Quintilian. libr. 1. Inſtitut. Oratoriar. cap. 14. *Veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias epulis adhibere mos erat*. Id ergo fiebat in *hortamen virtutis*, & naſcente re Romana, & heroica tempeſtate, & diu ante hæc omnia a Tuſcis. Cœl. Rhodigin. libr. 7. Antiquar. Lection. cap. 1. quod recte an ſecius factum, diſquirit ex Platone, & Xenophonte M. Antonius Muretus libr. 6. Variar. Lection. cap. 15. L. Seneca libr. de Vita Beata cap. 11. *Aſpice Nomentanum & Apicium, terrarum & maris, ut iſti vocant, bona conquirentes, & ſemper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem e ſuggeſtu roſæ ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, palatum ſaporibus oblectantes*. Principium hujus ritus ſtrenue ad virtutem tendebat, ſed omnia in luxum verſa, Aſia ſuperata. T. Livius 3. Decad. libr. 9. *Tunc pſaltriæ, ſambuciſtriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis*. Ammian. Marcellin. libr. 30. *Cumque apponerentur exquiſita cupediæ, & ædes amplæ nervorum articulato perflatiliqne ſtrepitu reſonarent*. Poëtæ. Sil. Italic. libr. 6. Punicor.

Cui nocturnus honos, funalia clara, ſacerque
Poſt epulas tibicen adeſt.

Virgil. libr. 1. Æneid. in convivio Didonis:

. . . . . *cythara crinitus Joppas*
Perſonat aurata.

Valer. Flacc. libr. 1. Argonaut.

Vivaque, & æquoreos inter cum conjuge divos
Æacides, pulsatque chelyn poſt pocula Chiron.

Et libr. 3. Argonaut.

Prothin, & inſignem cythara, cantuque fluenti
Doreea, qui dulci feſtis aſſiſtere menſis
Pectine, Biſtoniæ magnum poſt auſus alumnum.

Horat. libr. 1. Od. 12.

Quem virum aut heroa, lyra, vel acri
Tibia ſumis celebrare Clio?
Quem Deum?

Et libr. 3. od. 11.

Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divitum menſis, & amica templis.

Demodocus in Phæacum convivio reditum Græcorum e Troja canit apud Homer. libr. 8. Odyſſ. v. 498.

Ὁ δ'

. . . . ὁ δὲ ὁρμηθεὶς θεοῦ ἤρχετο, φαῖνε δ' ἀοιδήν

Ille concitatus a Deo cœpit, probavitque cantionem.

Nutrix apud Euripidem in Medæa. Plutarchus libr. de Muſica in fine. T. Liv. 1. Decad. libr. 9. in pulchra illa de tibicinum collegio relatione. Uberrime Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 8. Dictique artifices iſti *thimelyci*, qui vel in orcheſtra in pulpitis canerent, vel etiam in tricliniis. Iſidor. libr. 16. Etymologiar. cap. 47. Balsámon ad Concilium Carthag. Can. 46. & Can. 130. Artemidor. Daldian. libr. 2. Oneirocrit. cap. 42. Guilielm. Budæus in Annotat. prior. in Pandect. Martial. libr. 1. Epigr. 5.

Qua Thymelen ſpectas.

Vet. Scholiaſt. Juvenal. Satyr. 1.

. . . . *a trepido Thymele ſubmiſſa Latino.*

Satyr. 6. v. 66. idem:

Attendit Thymele.

Videatur M. Vitruvius libr. 5. Architect. cap. 8. l. 10. ff. de Pollicitat. & l. 5. C. Thedoſ. de Scenicis, & l. 21. Cod. eod. de Piſtoribus. Ulpian. l. 4. ff. de his, qui not. infam. Jul. Firmicus Maternus Siculus libr. 4. Matheſ. cap. 15. *Dabit artes honeſtas & mundas; facit enim aurifices, inauratores, bractearios, argentarios, muſicos, organarios, pictores.* Macrob. libr. 5. Saturnal. cap. 4. Fulgentius libr. 1. Mytholog. cujus verba aptiſſime correcta habes Antiquitat. Romanar. libr. 5. cap. 29. uti & Philonis Judæi locum e libro de vita Contemplativa, a Petro Ciaccono verſum, ibidem conſule.

Nec tantum virtutes poſt epulas canebantur Deorum, hominumque ſed & fercula præmiſſo muſico choro inferebantur, & ſcindebantur edulia eadem reſonante muſica. C. Petron. in Convivio Trimalcionis: *Proceſſit ſtatim ſciſſor, & ad ſymphoniam laceravit obſonium.* Notat Lipſius libr. 2. Saturnal. cap. 2. Luciani locum ſuis in Apulejum notis profert Petrus Colnius. Qui vero inſanas has voluptates non admittebant, impenſius laudati. A. Gell. libr. 1. cap. 11. Æl. Lamprid. in Vero. D. Hieronym. Epiſt. ad Furiam. Aurel. Victor in Theodoſio. Paul. Diacon. Hiſt. Rom. libr. 13. Plinius Panegyrico Trajani: *Non peregrina ſuperſtitionis myſteria, aut obſcæna petulantia menſis principis inerrat.* Claudian. libr. 2. de laudib. Stilicon.

. . . . . *nullo cytharæ convivia cantu,*
Non pueri laſciva ſonant.

Nec tantum choraules, thymelici, pſaltriæ, organarii, ſambuciſtrii, crotaliſtrii, tibicineſque canebant, ſed & organa quædam, aqua impellente, cantantes imitantia, quæ hydraulica dicta. Sidon. Apollinar. libr. 1. Epiſt. 2. Ammian. Marcellin. libr. 14. Sueton. Neron. cap. 41. Caſſiodor. libr. 1. Epiſt. 45. libr. 3. Epiſt. 53. Iſidor. Hiſpal. libr. 8. Etymologiar. cap. ult. Achilles Tatius libr. 2. Amorum Clitophontis & Leucippes. Martian. Capella libr. 2. Nupt. principio. Carus & Ca-

rinus



Vas Fictile Alt. Ped. I. Vnc. VII. In Musæo Medicæo

Fr. Franceſchini sculp.

Digitized by Google



Tab LXIII · Figuræ In Collo Ex Parte Ant



Figuræ In Collo Ex Parte Po



Figuræ In Ventre Va

Digitized by Google



...tica Vasi D Tom. I. pag. 375.



...stica Vasi D



...Vasi D

Vin. Franceschini sculp.

rinius Angg. l. 4. C. de excuſat. muner. libr. 10. Euterpen auctorem facit Martianus Capella libr. 9. Archimedem Tertullianus libr. de Anima, Cteſibium Vitruvius libr. 9. cap. ult. & Alcides apud Athenæum libr. 4. cap. 24. Plinius libr. 7. cap. 37. multaque præclara ibidem Jacobus Dalecampius habet. Deſcribit ornatiſſime Cornelius Severus in Ætna:

Nam veluti reſonante diu Tritone canoro
Pellit opes collectus aquæ, victuſque moveri
Spiritus, & longas emungit buccina voces,
Quæ tenuem impellens animam, ſubremigat undam.

Claudian. libr. de Conſulatu Manlii Theodori ad finem:

Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces ſegetis moderatur ahenæ,
Intonat erranti digito, penituſque trabali
Vecte, laborantes in carmina concitat undas.

MS. meus in tertio verſu aliter, propiuſque ad rei naturam habet, ut ex Vitruvio libr. 10. colligi poteſt:

Intonat erranti digito, pedibuſque trabali
Vecte.

Nam pedum manuumque miniſteria, hydraulica impellebant organa. Sed ad res bellicas progredior. (1)

Caſſis militaris ab Etruſcis ſic dicta; ea aquam circumferre, & bibere ſueti milites: pennis gemmiſque diverſicoloribus ornabatur, rictuque bellnarum horrendo.

CAP. LXI.

GAleam Etruſcorum inventionem conſtat. Iſidor. libr. 18. Etymologiar. cap. 14. *Caſſis & de lamina eſt, galea de corio; nam galerus corium dicitur: caſſidem autem a Tuſcis nominatam dicunt; illi enim galeam caſſim nominant, credo a capite.* Fallitur; quaſi vero Etruſcorum lingua a Latino fuiſſet fonte, cum nec voces nec literas ullatenus cum Latinis convenire ſit certum. Caſſis ſi Tuſca ſit vox, a capite non derivabitur.

Ea milites aquam geſtabant uſibus itinerum militarium, & ex ea bibebant. Jul. Frontin. libr. 1. Stratagemat. cap. 7. *Oblatam ſibi a milite*

(1) Pictura in vaſe fictili Reg. Cels. Magni Ducis Etruriæ, cujus ectypa hic adferimus, demonſtrat uſum muſices, & chorearum varii generis apud Etruſcos, quas fortaſſe in conviviis eos luxiſſe colligitur vel ex eo, quod in vaſis hujuſmodi cernantur expreſſæ.

lite in galea aquam, ſpectantibus univerſis effudit. Eadem Lucan. libr. 9. Pharſal.

Excuſſit galeam, ſuffecitque omnibus unda.

Et eodem libr.

. . . *undam galeæ convexum fudit in orbem.*

Q. Curt. Rufus libr. 5. in fine. Seneca libr. 5. de Benef. cap. 24. *Ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, niſi commilito, homo fortis ac ſtrenuus, aquam mihi in galea ſua attuliſſet*. Alb. Tibull. libr. 2. Eleg. ult.

. . . *tenuem galea qui ſibi portet aquam.*

Sext. Propert. Eleg. 11. libr. 3.

Potabis galea feſſus Araxis aquam.

Auctor Elegiæ de obitu Mæcenatis:

Potaſti galea dulce juvante merum.

Claudian. libr. de Bello Getico:

. . . *galeiſque Padum victricibus hauſi.*

Et de 3. Hon. Conſul.

In galea portare nives.

Gaſpar Barthius, ni fallor, vir doctus, in MS. viderat, & MS. meus firmat:

In galea potare nives.

Lamina conſtare galeam dixit Iſidorus, hoc eſt ære. Halicarnaſſ. libr. 4. Hiſt. pag. 221. & libr. 7. pag. 477. Criſtam primi Cares addidere. Herodot. libr. 1. adeo, ut interdum tres criſtæ eſſent. Suidas in voce *γηρυόνη Geryone*, Lamachi caſſidem tres criſtas habuiſſe ex Ariſtophane docet. Has aliquando non ex ære, ne caput nimio pondere prægravaretur, habebant, ſed ex pelle. Fl. Veget. libr. 1. Rei Militar. cap. 20. Exornabatur varię pro cujuſque fortuna, interdum *gemmis*: Jul. Capitol. in Maximino Juniore pag. 224. Interdum rictibus horrendis belluarum, leonis, urſi, apri, aquilæ, draconis, vulturiſque, prout quiſque vel noſci volebat ab hoſte, vel familiæ ſuæ gentilitia ſtemmata præferre. Idem Veget. libr. 2. cap. 16. Ludovic. Vives in Symbolis. Semper vero pennis, plumiſque verſicoloribus inſignebantur. Andr. Tiraquell. ad Alexandrum Neapolitanum libr. 1. cap. 20. Propert. libr. 4. Eleg. 11. Stat. libr. 4. Theb. v. 306. Et libr. 7. v. 276. Ex Polybio, Silioque Italico, & aliis, multa J. Lipſius libr. de Militia Romana: & ego dixi ad Claudianum de 6. Conſ. Hon.

Quod picturatas galeæ Junonia criſtas
Ornet avis.

Etru-

Etruſcorum inventum cornua bellica, ex cornu bubulo; poſtea ex ære: buccinæ eædem: cornicines, æneatores.

CAP. LXII.

HOc etiam celebre Tuſcorum in re bellica virtutis argumentum, cornua ab iis inventa. Athenæus libr. 4. Dipnoſophiſt. ad finem pag. 184. Τυῤῥηνῶν δ' ἐςὶν εὕρημα κέρατά τε καὶ σάλπιγγες: *Etruſcorum inventum eſt cornua ac tubæ*. Ratio nominis ex Varrone libr. 4. Ling. Lat. *Cornua quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu*. Halicarnaſſ. libr. 2. pag. 83. Τὺς δὲ δημοτικὺς ὑπηρέτας τινὲς, καὶ ἀθρόυς κέρασι βοέιοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. *Plebejos miniſtri quidam cornibus bubulis confertim buccinantes in concionem convocabant*. Quare & κέρατα Græci vocant, Latini *cornua*, unde *cornicines*. Juvenal. Satyr. 2. v. 119. videatur. Et Satyr. 3. v. 34. Vetus Scholiaſtes reddit *Symphoniacos*. Et Satyr. 10. v. 44. & v. 214. Epiſtola Aureliani Aug. apud Fl. Vopiſcum in vita ejus: *Aquilifer legionis tertiæ cum Vexilliferis, & draconario, cornicinibus, atque liticinibus*. Virgilius libr. 7. Æneid.

Æreaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.

Et libr. 8. Æneid principio:

. . . & rauco ſtrepuerunt cornua cantu.

Itaque & buccina idem valet, nam quæ Dionyſius proxime ſupra de cornibus. Propert. libr. 4. Eleg. 1.

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.

Et ſicut antea a materia cornuum cornicines dicti; ita æreis buccinis factis æneatores dictos comperio. Suet. Cæſare cap. 32. Ammian. Marcellin. libr. 19. *Æneatorum accentu ſigno dato. Et buccinator cornu claſſicum canit*. Veget. libr. 2. cap. 22. Godeſcalcus Stennechius ad libr. 3. ejusdem auctoris cap. 7. A. Gell. libr. 1. cap. 11. & libr. 5. cap. 8. Cornua tubaſque, ut hic Athenæus, ita Horatius conjunxit libr. 1. Satyr. 6.

Cornua quod vincatque tubas.

Ab Etruſcis acies militares diſponere Romani didicerunt.

CAP. LXIII.

NEc ſuos in juſti certaminis modum diſponere milites quiſquam, niſi ab Etruſcis doctus potuit, qui aciei diſponendæ artem callebant. Nicias Nicænſis in ſucceſſionibus apud Athenæum libr. 6. Dipnoſ. pag. 273. Ἔλαβον δὲ καὶ παρὰ Τυῤῥηνῶν τὴν ςαδίαν μάχην φαλαγγηδὸν ἐπιόντων: *Tyrrheni eos*, Romanos, *docuere acie per phalangum turmas inſtructa dimicare*. Clarus & appoſitus locus, qui Romanam aciem, ejuſque diſpoſitionem ab Etruſcis ſive Tyrrhenis deſumptam docet. Porro hanc duplicem faciebat militia Romana, dextram, & ſiniſtram: de quibus docte & diligenter Godeſcalcus Stennechius ad libr. 3. Vegetii, quem non exſcribo. Eſt etiam & apud Suidam ἐπικαμπὴς παράταξις, *inflexa acies*: & in eodem *convexa & cava acies, quæ ante & retro vertitur* in voce κυρτή. Hanc diſpoſitionem, ut alios omittam, petere potes ex Halicarnaſſeo libr. 5 pag. 289. & libr. 6. pag. 344. Polybius Lipſio ſæpe laudatus, Æneæ vetuſtiſſimi Scriptoris, ac Cl. Æliani *Tactica*, ſive *de Diſponendis aciebus* volumina videantur, atque uſque ad nauſeam diſſerens Wolfgang. Lazius libr. 4. Commentarior. Reip. cap. 2. Pulcherrime ſane Claudian. libr. 2. in Ruffin.

Hic ultrix acies ornatu fulgida ferri
Explicuit cuneos: pedites in parte ſiniſtra
Conſiſtunt, equites illinc poſcentia curſum
Ora reluctantur preſſis ſedare lupatis.
Aſt alii ſævum criſtato vertice nutant.

Aciei partes ſunt: *alæ, cornua, frons, globus, nodus, cuneus, ſerræ, forfices, agmen, claſſis*. De quibus nec noſtri eſt inſtituti hic dicere, & facilis labor ſingulorum explicationem invenire. Vide Iſidorum libr. 9. Etymolog. cap. 3.

Etru-

Etruſci phalangem habuerè: octo hominum millibus conſtabat.

CAP. LXIV.

PHalangem, non Macedonum tantum, ſed & Tuſcorum eſſe reputandam Niciæ Nicænſis verba probant, præcedenti proxime capite poſita, quod nemo adhuc docuit; ipſe quippe Fl. Vegetius, qui hæc ignorare non debebat libr. 2. Rei Militar. cap. 2. *Denique Macedones, Græci, Dardani phalanges habuerunt*. Cur non & Etruſci? cur non ſaltem Romani? quos phalange ante Valentiniani tempora uſos ſatis conſtat. Cornel. Tacit. libr. 3. Hiſtor. Vitellium refert phalangem ſub Valente duxiſſe. Sueton. Neron. cap. 19. *Conſcripta ex Italicis ſenum pedum tironibus nova legione, quam Alexandri Magni phalangem appellabat*. Et Baſſianus Caracalla omnia ad morem Macedonum transferens, *lectiſſimam in exercitu juvenum manum, phalangem* appellare ſolebat, ut ſcribit Herodianus libr. 4. Hiſtor. Aug. Æl. Lamprid. in Alexandro Severo: *Fecerat & chryſaſpides & argyraſpides, & phalangem triginta millium hominum*. Minus recte, cum phalanx tantum octo millia caperet. Veget. loco proxime laudato. Deſcribit eleganter Q. Curtius Rufus libr. 3. *Macedonum acies torva ſane & inculta, clypeis haſtiſque immobiles cuneos, & conſerta virorum robora tegit, ipſi phalangem vocant, peditum ſtabile agmen: vir viro, armis arma conſerta ſunt, ad nutum monentis intenti, ſequi ſigna, ordines ſervare didicere*. Polyb. libr. 18. plena manu, & Ælianus in Tacticis, ſive libello de inſtruendis aciebus conſulantur. Quamquam Romani Scriptores pro quolibet exercitu phalangem uſurpare ſoleant. Servius ad illud P. Virgilii libr. 2. Æneid.

Et jam Argiva phalanx inſtructis navibus ibat.

Etruſcorum in bellis nobilitas, & ab iis Velites aciei adhibiti, & quis eorum uſus: expediti dicti.

CAP. LXV.

UT in rebus ſacris & religioſis pleraque ab Etruſcis mutuatos Romanos jam diximus; ita quoque bellicæ rei ſtudium ab iiſdem hauſiſſe palam hic fiet. Primum *Velites* conſtat Tuſcorum eſſe inventum. Iſidor. libr. 18. cap. 57. *Velitum pugna erat, ut ultro citroque tela objectarent: erat autem eorum varia pugna & ſpectantibus gratior, quam reliqua. Velites autem vocati ſunt, ſive a velitatione, ſive a civitate Etruſcorum, quæ Veletes dicebatur*. A celeritate id nominis videntur conſecuti, quaſi *volantes*, ut idem Iſidorus affirmat libr. 9. cap. 3. & gloſſema irreplit in cap. 16. libr. 3. Flavii Vegetii, quod omnino expungendum. Hoſce Velites in uſu ſemper Tuſci habuerunt, & honore; Romanis tamen ſerius cogniti, anno ſcilicet Urbis conditæ 542. Jul. Frontin. libr. 4. Stratag. cap. 7. quod T. Livius 3. Decad. libr. 6. apud Wolfgangum Lazium libr. 4. Commentarior. Reip. cap. ult. deſcribit. Et Valer. Maxim. libr. 2. cap. 3. *Velitum uſus eo bello primum repertus eſt, quo Capuam Fulvius Flaccus imperator obſedit; nam cum equitatui Campanorum crebris excurſionibus equites noſtri, quia numero pauciores erant, reſiſtere non poſſent, Q. Nævius Centurio e peditibus lectos expediti corporis, brevibus & incurvis haſtis, parmæ tegmine munitos, veloci ſaltu jungere ſe equitibus, & rurſus celeri motu dilabi inſtituit, quo facilius equeſtri prælio ſubjecti pedites, viros pariter atque equos hoſtium telis inceſſerent*. Talis apud Romanos uſus ſequentibus bellis peropportunus. Armabantur leviſſimis armis, auctore T. Livio 4. Dec. libr. 3. *Ex ceteris navibus ſagittarii funditoreſque, ac Velites etiam, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis eſt*. C. Salluſt. Jugurth. *Præterea iere ſagittarii, & cohors Peligna, cum velitaribus armis, itineris properandi cauſa*. Fuiſſe autem quatuor eorum genera, facile eſt ex auctoribus obſervare.

1. *Velites* cenſentur *Anteſignani*, quorum tanta præſtantia, ut etiam elephantis componerentur: quod præoccupatum video a Godeſcalco Stennechio in libr. 3. Vegetii. T. Liv. 3. Decad. libr. 10. *Quo elephanti hoſtium excepti, nihil ordines turbarent, Lælium, cujus ante Legati, eo anno quæſtoris extra ſortem, ex Senatus conſulto opera utebatur, cum equitatu Italico a ſiniſtro cornu, Maſiniſſam Numidaſque a dextro oppoſuit, vias patentes inter manipulos, anteſignanorum Velitibus, ea tunc levis erat armatura, complevit*. Nomen hoc iis datum a loco, in quo collocati: ſive ab ordine militari, quem ducebant.

2. Non-

2. Nonnulli ſunt, quos *Velites haſtatos* lego, ab haſta ſcilicet, quam ferebant; nam cum alii milites pilo graviſſimo uterentur, hi leviori haſta armabantur, unde iis appellatio. T. Liv. 4. Decad. libr. 1. *Turbavit hunc ordinem pugnandi non acrior, quam pertinacior impetus Romanorum; nam haud ſecus quam ſi tota acie dimicarent, & Velites miſſis haſtis comminus rem gladiis gerebant.* Ultima non videntur ſana; itaque cenſerem, ſic debere interpungi, legique, aut ſuppleri: *& Velites eminus miſſis haſtis, & comminus gladiis rem gerebant.* Planus eſt, & neceſſarius ſenſus.

3. *Ad diſcrimen eorum, quos deſcripſi, quique pedites erant, alii vocati* Equites Velites, ſcilicet quos ab equitibus adſcitos ſuperius ex Valerio Maximo docui. De his idem T. Livius 3. Decad. libr. 10. *Tantuſque clamor ortus, ut elefanti in ſuos, ſiniſtro maxime cornu, verterentur, Mauros ac Numidas: addidit facile Maſiniſſa perculſis terrorem, nudavitque ab ea parte aciem equeſtri auxilio; paucæ tamen beſtiarum intrepidæ in hoſtem actæ, inter Velitum ordines cum multis ſuis vulneribus ingentem ſtragem edebant; reſilientes enim ad manipulos Velites, cum viam elefantis, ne obtererentur, feciſſent, in ancipites ad ictum utrinque coniiciebant haſtas.*

4. Quidam erant *Velites* nulla certa ſtatione in acie locati, ſed ducum expectantes imperium, modo his, modo aliis auxilio laborantibus deſtinabantur, unde *Auxiliares* nuncupati. Ammian. Marcellin. libr. 10. *Moto ergo Velitari auxilio, Herulis ſcilicet & Batavis, numeriſque Meſicorum plurimis, adulta hieme dux antedictus Bononiam venit.* Hos omnes & maxime anteſignanos, equites, & auxiliares deſcribit in Tacticis Ælianus, cujus verba ſic ſonant Latine: *Non loricam induunt, non ocrea muniuntur, non clypeum aut ſcutum grave gerere ſoliti ſunt; ſed telis tantum utuntur, aut ſagittis, jaculiſve, aut lapide ex funda manuque.* Vereor, ne erret Ælianus, cum Livius etiam haſtis eos armet.

Denique quo ordine in acie ſtarent, diſcimus facile ex Cæſare libr. 7. Bell. Gall. & ex Modeſto libello de Vocabulis militaribus. *Quod ſi equites impares fuerint, more veterum velociſſimi cum ſcutis levibus pedites, ad hoc ipſum exercitati, iisdem miſcendi ſunt, quos expeditos, quaſi volitantes, Velites nominabant: quo facto, quamvis fortiſſimi equites hoſtium evenerint, tamen adverſum mixtum agmen pares eſſe non poſſunt.* Eſt enim gloſſema.

Apud

Apud Etruſcos ærea tibia: varius ejus uſus, bello, ludis, ſacris, funeribus.

CAP. LXVI.

Tibiis etiam uſi ſunt ad bellica exercitia Etruſci. Jul. Pollux libr. 4. cap. 9. §. 5. Τῦτο δὲ κατὰ τὸ ἔμπαλιν ἔχων ὁ Τυῤῥηνὸς αὐλὸς, ἀντεςραμμένῃ σύριγγι παρεοικὼς, χαλκὸς μὲν ἔςιν ὁ κάλαμος, κάτωθεν δὲ ὑποπνεόμενος. *Sed huic rurſum contraria eſt Tyrrhena tibia, inverſæ ſyringi ſimilis, cujus quidem arundo ferrea eſt, quæ inferne inflatur.* Ita Rudolphus Gualtherus vertit, ſed revera non recte; χαλκὸν, enim non *ferrum*, ſed *æs* ſignificat. Erat igitur calamus tibiæ Tyrrhenæ, non ferreus, ſed æreus, quod majoris & venerationis, & antiquitatis; heroicis enim temporibus ferrum vix cognitum, cum æris nomen ubique apud Homerum ſit: notat Euſtathius ad libr. 3. Iliad. princ. Spectabatque æs ad Religionem. Servius ad libr. 1. Æneid. Æream itaque hanc tibiam Tuſci excogitarunt. Idem Pollux libri laudati cap. 11. Εἰ δὲ καὶ ἡ σάλπιγξ τοῖς αὐλοῖς προσήκει, τὸ μὲν εὕρημα Τυῤῥηνικὸν. *Quod vero tibiis & tuba competit, Etruſcorum inventum eſt.* P. Ovid. libr. 1. κακοτεχνίας:

Dumque rudem præbente modum tibicine Tuſco
Lydius æquato ter pede pulſat humum.

Lingua Etruſca *ſubulo* eſt *tibicen*, ut libr. 1. cap. ult. hoc opere oſtendere ſum viſus. Vide quæ dixi libr. 5. Antiquitat. Romanar. cap. 29. Scaliger. libr. 1. Poët. cap. 20. P. Victorius libr. 38. Variar. Lect. cap. 22. Paulus Manutius, Deſid. Heraldus ad libr. 7. Arnobii conſulantur. Idem libr. 2. docuit, Chriſtianos primos averſatos tibiarum uſum. Suidas adeatur in voce Ἀγαθόνιος, & in voce Ὀςίνοις. Initio ſane uſus tibiarum ad bella tantum, ut alibi hoc opere obſervatum: poſtea & ludis & epulis, & funeribus adhibitæ. Petron. Satyr. *Suadeo ad tibicines mittas*. Et præcipue ſacrorum celebrationi, ut ad illud Claudiani abunde dictum de 4. Honorii Conſulatu:

. . . . *Nilotica ſiſtris*
Ripa ſonat, varioſque modis Ægyptia ducit
Tibia.

Habebant autem Romæ prærogativam in æde Jovis veſci: quod quia Cenſores prohibuerunt, urbe Tibur conceſſerunt, donec privilegium confirmatum fuiſſet, diligenter narrat Livius 1. Decad. libr. 9. *Solemnis licentia per urbem vagandi.* &c. Habebant etiam jus æquale cum Sacerdotibus tibicines, ſine quibus ſacra peragi non poterant. Ovid. libr. 2. Faſtor.

Can-

Digitized by Google



Vas Fictile Altum Ped. I Vn. III





Romæ Apud Emi. Card. Gualterio

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mæſtis tibia funeribus.

Meminit vet. Inſcriptio Romæ. (1)

IMP. CAES. IMP. CAES
L. SEPTIMI. SEVERI
PII. PERTINACIS
AVG. ARAB. ADIABEN
PARTHIC. MAXIMI
FORTISSIM. FELICISSIM
P. P. FILIO
M. ARELIO. ANTONINO
PIO. FELICI. AVG
TRIB. POTESTAT. III.
PRO. CoS.
TIBICINES. ROMANI
QVI. SACRIS
PVBLIC. PRAEST. SVNT

A latere ejuſdem baſis.

DEDIC. PR. NON. APRIL.
TI. CLAVDIO. SEVERO. C. AVFIDIO. VICTORINO. CoS.
Q. Q. C. PRAECILIO. SERENO. II. TI. CL. TITIANO

Invenitur etiam tibicinum collegium. Romæ vetus lapis ad D. Gregorii. (2)

COLLEGIO. TIBICINVM
ET. FIDICINVM. ROMANORVM
QVI. S. P. P. S
TI. IVLIVS. TYRANNVS
..... MVRIS. PERPETVVS. ET
IVLIVS. TYRANNVS. F
T. H. C. D. D.
.... DEDICATVM. K. MART
....RSO. SERVIANO. II. L. FABIO. IVSTO. CoS (3)

Iterum

(1) Apud Gruter. pag. 269. num. 2. Romæ in baſi. (2) Apud eundem pag. 175. num. 10.
(3) Tibiis uſos eſſe noſtros Etruſcos docet & ſequens pictura in vaſe fictili apud Eminentiſſimum Gualterium, & aliæ allatæ cap. 12. & 60. hujus libri.

Iterum Etruſcorum in bellis virtus: olim ænea tuba ab iis inventa, & quidem Piſis a Piſeo aut Meleo, aut Vetuloniæ: Græca vocabula a barbaris pro Latinis uſurpata: concha pro tuba, & tibia, & ſiſtrum.

CAP. LXVII.

QUanta fuerit Etruſcorum in bello gerendo virtus, quanta militaris diſciplinæ gloria, & inſignis fortitudo, vel ex eo abunde patet, quod quingentis pæne annis Romanis reſtiterint, ut infra ſuo loco patebit. Horum igitur inventum tuba, qua omnes ubique terrarum populi poſtea in bellis uſi, exceptis ſolis Lacedæmoniis, quibus pro tubis tibiæ erant, ut memorat Thucydides. De hac inventione præclare, ut alia, Diodorus Siculus, quem Euſebius, Juſtinus Martyr, & Photius impenſius laudant, licet Joannes Bodinus minus candide de eo ſentiat; magno tamen ſane & utili Scriptore, niſi quod Romanorum Conſulum nomina apud eum vel corrupta, vel tranſpoſita. Ita igitur ille Biblioth. libr. 5. *Τὰ δὲ κατὰ τὰς πεζικὰς δυνάμεις ἐκπονήσαντες, τήντε σάλπιγγα λεγομένην ἐξεῦρον εὐχρηστοτάτην εἰς τοὺς πολέμους ἀπ' ἐκείνων δ' ὀνομασθεῖσαν Τυῤῥηνήν*. Vertit Laurentius Rhodomanus. *Hi inter cetera, quibus pedeſtrem militiam exercuere, tubam repererunt, ad bella utiliſſimam, quæ Tyrrhena inde vocatur*. Adſcribam & locum concordem Servii Honorati Mauri ad verſ. 526. libr. 8. Æneid. *Tyrrhenum clangorem dicit, ideo quia apud Tuſcos tubam conſtat inventam; ergo Tyrrhenus clangor, ſonus Tyrrhenarum tubarum: & bene congruis ominibus arma nuntiantur per ſonum tubarum; & figurate per epitheti immutationem, Tyrrhenæ tubæ. Varro de Seculis auditum Cælo ſonum tubæ dicit. Videtur autem hic opportune Tyrrhenæ tubæ facta mentio, ut jam Tyrrhenorum caſtra vocare videatur Æneas*. Expreſſius C. Plin. libr. 7. cap. 56. *æneam tubam* invenit *Piſeus Tyrrhenus*. Suſpectus mihi locus; quis enim hic eſſe potuit Piſeus Tyrrhenus, hactenus ignotus aliis ſcriptoribus? quid? quod doctiſſimus Servius dicat *Tuſcos* inveniſſe, cum *Piſei* non ſint in Italia *Tuſci*, ſed in Mæonia. Putarem igitur levi manu corrigendum: *æneam tubam* invenit *Piſis Tyrrhenus*: quæ correctio valitura eſt apud doctos, ſiquidem nulli bellicoſiores in Etruria Piſanis: & certum, diu ante Æneæ in Italiam adventum conditas a Tyrrhenis Piſas, ut infra doceo. Vel ſi lectio vulgata placet, adi ad libr. 2. hoc opere ſupra cap. 29. Diſcrepat ab iſtis Luctatius Placidius,

do-

Digitized by Google

doctus etiam Grammaticus ad v. 402. libr. 6. Thebaid. Statianæ: *Tubam*, inquit, *ſignificat, quam Meleus Tyrrhenorum imperator primus invenit: a qua opinione nec Virgilius diſcrepat*. Cumque ſint Libyſticæ, & Ægyptiacæ tubæ, Tyrrhenicæ tamen prævalent, quia *ſoni acutiſſimi*. Sophocles Ajace Maſtigophoro, & Scholiaſtes ibidem. Vide Alexand. Sardum libr. 1. de Rer. Invent. Ita audiendi Poëtæ. Sil. Italic. libr. 5. Punicor. in principio:

Lydius huic genitor Tmoli decus, æquore longe
Mæoniam quondam in Latias advexerat oras
Tyrrhenus pubem, dederatque vocabula terris.
Iſque inſueta tuba monſtravit murmura primus
Gentibus, & bellis ignava ſilentia rupit.

Idem libr. 2. principio:

Haud dictis nunc eſſe locum, ſtrepere omnia clamat
Tyrrhena clangore tubæ.

Stat. Papin. libr. 3. v. 652. Thebaid.

Et tua non unquam Tyrrhenus tempora circum
Clangor eat.

Idem libr. 6. Thebaid. v. 402.

Inſonuit contra Tyrrhenum murmur, & omnes
Exiliere loco.

Et libr. 7. Thebaid. v. 630.

Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra tumultus.

P. Virgil. libr. 8. Æneid.

Tyrrhenuſque tubæ mugire per aëra clangor.

Uſus ejus in navalibus prœliis; quare Martialis libr. Spectaculorum Epigr. 28. *navalem tubam* appellat: in ſacris certaminibus, ut multis P. Faber in Agoniſticis obſervat: in judiciis publicis, ut a Criticis diſcuſſum: in ultimis ſuppliciis damnatorum exigendis: in funere inducendo, & deducendo, ut in Antiquitatum mearum corpore adnoto: in auctionibus præconiiſque publicis, L. Apulejus libr. 2. In ſacrificiis Judaicis, Iſidor. libr. 2. Etymologiar. cap. 20. *Tuba primum a Tyrrhenis inventa; adhibebatur autem non ſolum in prœliis, ſed & in omnibus feſtis diebus propter laudes vel gaudii claritatem, unde & in Pſalterio dicitur: Canite initio menſis tuba, in die inſigni ſolemnitatis veſtræ; præceptum enim fuerat Judæis, ut initio novæ lunæ tuba clangerent, quod etiam hucuſque faciunt*. Denique dividendis vigiliis, ineundo prœlio, ad ſtationem & ſigna redeundo deſtinabatur. Idem Iſidorus diverſa quædam ab aliis libr. 17. cap. 4. *Tubam Tyrrheni primi invenerunt*; laudatoque Virgilio deinde addit: *hanc a Tyrrhenis prædonibus excogitatam dicunt, cum diſperſi circa maritimas oras, non facile ad quamque prædæ occaſionem voce aut buccina convocarentur, vento plerumque obſtrepente. Hinc poſtea bellicis certaminibus adhibita eſt ad denuncianda ſigna bellorum, ut ubi exaudiri præco præ tumultu non poterat, ſonitus tubæ clangentis at-*

tingeret. Quæ deſumpta ſunt pæne verbatim ex Julio Polluce libr. 4. Onomaſt. cap. 11. cujus verba poſita ſuperiori capite. Ex hoc apparet, varium fuiſſe & multiplicem tubæ uſum: neque vero ſola ea in bellis, ſed & lituus, quo diſcrimine diſces ex Helenio Acrone ad Horatium libr. 1. Carm. od. 1. *Litui acutus eſt ſonus, tubæ gravis; lituus equitum eſt & incurvus, tuba vero peditum & directa*. Eadem fere Aurel. Macrob. libr. 6. Saturnal. cap. 8. Vetuloniatis id tribuit Silius Italicus libr. 8.

Hæc eadem pugnas accendere protulit ære.

Lituum certe tubæ conjungunt Horatius loco laudato, & alii; unde apparet, præcipuum in bellicis expeditionibus ejus fuiſſe uſum. L. Seneca in Thyeſte:

Jam ſilet murmur grave claſſicorum:
Jam tacet ſtridor litui ſtrepentis:
Alta pax urbis revocata lætæ eſt.

Q. Ennius Annal. libr. 4.

Inde loci lituus ſonitus fundebat acutos.

Corrigendus Adhelmus, ſive Aldhelmus, aut, ut quibusdam placet, Athelmus, gente Scotus, vetus & illuſtris Scriptor. libr. 1. de laude Virginitatis:

Horridus exultat crudo certamine Mavors,
Cornua rauca ſonant, & ſalpix claſſica clangit.

Sed legendum eſt: *Salpinx claſſica clangit*; σάλπιγξ enim tuba Græce eſt, qua voce idem utitur, ſed corrupte libr. de octo vitiis.

Dum vexilla ferunt, dum clangit claſſica ſalpix.

Reſtitue iterum: *clangit claſſica ſalpinx*. Erat certe mos quibusdam auctoribus dictiones Græcas Romana civitate donare, ne litera quidem mutata: ſic Virgilius *Actam* pro littore dixit: & apud Plinium *Probata* ſunt oves, quod alii adverterunt, quod & huic auctori valde eſt familiare; nam libr. 1. de laud. Virginit.

Punica mela vident granis ſcitiſque referta.

Cum potuiſſet *mala* dixiſſe, maluit τὰ μῆλα dictionem Græcam uſurpare. Sic libr. de octo vitiis:

Angelicus princeps, & protus lucifer æthræ.

Vide M. Ant. Muretum libr. 1. Variar. Lection. cap. 3. & Baptiſtam Pium Annotat. poſterior. cap. 178. ſic κάρα caput, & Æolice καρὴ pro toto vultu uſurpatum, ut docet Henricus Stephanus in Euripidem; quare *Cara* tanquam vox Latina audit apud Corippum Africanum meum libr. 2. de laudib. Juſtini Minoris Aug. num. ult.

. . . . poſtquam venere verendam
Cæſaris ante caram.

Frequens in hoc eſt Abbo Poëta ante ſeptingentos annos duriſſimus, & niſi commendaret antiquitas, indignus legi. Ita igitur libr. 1. de Obſid. Pariſior.

Urbs

Urbs mandata fuit Karolo nobis Baſileo
Imperio cujus totus regitur prope coſmus.

Et poſt eod. libr.

Quæ lubrica Salvatorem coſmo genuiſti.

Et libr. 2. ad finem:

Aphrodite adeo ſaltem quo arcere parentes
Haud valeas lecto.

Revertor ad tubam, quam omnes pæne gentes bellis adhibuerunt, exceptis Spartanis, ut dixi, & Amazonibus, quibus ſiſtrum erat pro tuba, ut Alexander ab Alexandro notat libr. 4. cap. 2. ex Iſidoro libr. 2. Etymol. cap. 21. *Eſt autem ſiſtrum crepitaculum æneum, ovalis & manubriatæ figuræ, circa oras tintinnabula habens*. Hadrian. Turneb. libr. 26. Adverſar. cap. 33. Ambigo, an Amazones ab Ægyptiis ſiſtrum ſint mutuatæ? & probabilis eſt conjectura, ita ſe rem habere; ſiquidem in Iliacis omnibus ſacris ejus præcipuus uſus. Poëtæ paſſim. Martial. libr. 12. Epigr. 29. Ovid. libr. 3. Amor. Eleg. 8. Tibull. libr. 1. Eleg. 3. Propert. libr. 3. Eleg. 10. L. Apul. libr. 11. *Æreis & argenteis, imo vero & aureis ſiſtris tinnitum argutum perſtrepentes*. Et libr. 2. Mileſiar. *Miſerere per ſidera cæleſtia, & arcana Memphitica, & ſiſtra Phariaca*. D. Auſon. Paulino. Epiſt. 25.

Iſiacos agitant Mareotica ſiſtra tumultus.

Quin imo Iſidis ſtatuæ ſiſtrum appendebatur. Servius ad 8. Æneid. Valer. Flacc. Argonaut. libr. 4. alluſit:

Aſpide cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.

Sed quid, inquies, ante tubam inventam in uſu gentibus? Concha ſane, aut ego fallor, pro tuba, tibiaque, ac ſiſtro, antiquitus habebatur. Gloſſ. Iſidori *Barcanda* Didymus & Euſtathius ad Homerum, & obſervat Joannes Meurſius ad Lycophronem pag. 161. ſed qualis illa ſit, explicat C. Plinius libr. 9. cap. 33. *ad plauſum apertis, ad buccinum recurvis*: Turneb. libr. 28. Adverſarior. cap. 44. Hiſtoricum illud ab eodem relatum Plinio, libr. laudato cap. 5. *Tiberio principi nuntiavit Olyſipponenſium legatio ob id miſſa, viſum auditumque in quodam ſpecu concha canentem Tritonem, qua noſcitur, forma*. Atque ita conſtanter a veteribus Tritones cum conchis depingebantur. L. Apul. libr. 4. erudite, ut ſolet: *Jam paſſim maria perſultantes Tritonum catervæ, hic concha ſonaci leviter buccinat, ille ſerico tegmine flagrantiæ ſolis obſiſtit, alius ſub oculis dominæ ſpeculum prægerit*. Sic Poëtæ Tritones tubicines celebrant. Ovid. libr. 1. Metamorph. fab. 7. quem locum adſcribam, quia conchæ formam exprimit:

Ceruleum Tritona vocat, conchaque ſonanti
Inſpirare jubet, fluctuſque & flumina ſigno
Jam revocare dato, cava buccina ſumitur illi
Tortilis in latum, quæ turbine creſcit ab imo,
Buccina, quæ medio concepit ubi aëra ponto,

Litora voce replet ſub utroque jacentia Phœbo.

In primo verſu MS. meus habet, *conchaque ſonaci*, epitheto ſignificantiori, quod & L. Apulejus, ſupra laudatus, expreſſit, & vidit Philippus Beroaldus. Virgil. libr. 6. Æneid. v. 171.

Sed tum forte cava dum perſonat æquora concha
Demens, & cantu vocat in certamina Divos,
Æmulus exceptum Triton, ſi credere dignum eſt,
Inter ſaxa virum ſpumoſa immerſerat unda.

Stat. Papin. libr. 5. Thebaid. v. 718.

Rex ſublimis equis, geminuſque ad ſpumea Triton
Fræna natans, late pelago dat ſigna cadenti.

L. Lucan. libr. 9. Pharſal. v. 345.

Hanc, ut fama, Deus, quem toto litore pontus
Audit ventoſa perflantem murmura concha,
Hanc & Pallas amat.

Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 6.

Proſequitur cantu Triton, omneſque marinæ
Plauſerunt circa libera ſigna Deæ.

MS. meus, optimæ notæ, concipit melius:

Proſequitur concha Triton;

quaſi dicat triumphalem ſonum Auguſti victoriam celebrare; notum quippe in triumphali pompa tubicines locum habuiſſe, atque hanc genuinam eſſe hujus loci interpretationem facile docti admittent. Addendus Claudianus de Nupt. Hon. & Mariæ:

Heus quis erit, pueri, vitreas qui lapſus in undas
Huc rapidum Tritona vocet, quo vecta per altum
Deferar? haud unquam tanto mihi venerit uſu,
Sacri quos petimus thalami, pernicius omnes
Quærite, ceu concha Libycum circumtonat æquor,
Ægeas ceu frangit aquas.

Silius Italicus libr. 14. Punicor. ritum optime adumbrat:

Nec mora, terrificis ſæve ſtridoribus æris
Per vacuum late cantu reſonante profundum
Incubuere tubæ, queis exitus æquore Triton
Expavit, torta certantia murmura concha.

Etru-

Conſentaneum cenſuimus hic apponere ea Etruſcorum Monumenta, in quibus milites, & arma cernuntur, ut ex his, & anaglyphis poſitis pag. 343. gladiatores repræſentantibus, Lector conjicere valeat, quæ forma eſset armorum apud Etruſcos.

Digitized by Google

Digitized by Google



Vas Fictile Altum Ped I Vn VII






Romæ Apud Em Card Gualterio

Tab. LXVI Tom. I. pag. 389.




Vas Fictile Meum Ped. I. Vn. IIII





Romæ Apud Emi: Card. Gualterio

Tab. LXVII. Tom. I. pag. 389.



1 Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles De Meniconis. C. M. ſcul.

2



Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles De Meniconis. C. M. ſcul.

Digitized by Google



Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles De Conſtanzeis



Cluſij In Marmore Apud C V Riſtorum Paolozzi



Peruſiæ In Marmore In Aedibus Angelettis C.M. Scul.

2



Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles De Anſideis. C. M. Scul.



Peruſiæ In Marmore Apud Nob. V Hyacinthum De Vinciolis

Cyr. Mogalli Sculp.



1 Clusij In Marmore Apud C. V. Ristorum Paolozzi

V Franceschini Sculp.

2



Clusij In Marmore Apud C V Ristorum Paolozzi

Tab. LXXII.

1·



Vrna Marmorea Apud Nob· Gentem Ghisii

2



Ex Lapide Arenario Cinereo
Florentiæ Apud Nob de Bonarotis

Digitized by Google

Etruſcorum inventum molæ: ſervi ad eas damnati, qui & aſini dicti: eorum manſiones præſepia, uti immundorum, haxæ: aſini & equi velatis capitibus: molæ aquariæ, oleariæ: earum partes: Fornax Dea.

C A P. LXVIII.

UTi pietatem, Divorumque cultus, & arcana Religionis a Tuſcis hauſerunt Romani, ita quoque & vitæ neceſſitatem iiſdem eos debere fatendum eſt; ſiquidem molarum uſus, incognitus Italis, priuſquam in Etruria Volſcinienſes eas excogitaſſent. C. Plin. libr. 36. cap. 18. *Item molas verſatiles Volſiniis inventas, aliquas & ſponte motas invenimus in prodigiis*. Quare hic obiter quædam de illis dicenda. Primum ſibi ipſe Plinius contrarius & pugnans videtur, qui libr. 7. cap. 50. inventionem ad Cererem referat, quæ *homines molere docuit prima*. Utrumque certe reprobat Stephanus libr. de Urbib. qui ad Mylantem quendam refert, in voce Μυλαντία. Magnum fuiſſe uſum vel heroicis temporibus docemur ex Homeri Odyſſea; nam in Alcinoi Phæacum Regis horto libr. 7. v. 105.

Αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπὸν.

Aliæ molunt ſub mola pomacei coloris frugem.

Manubrium ejus, quam deſcribimus molæ, *molucrum* appellatur, & Græce μύλικρον, quo molæ vertuntur, inquit Feſt. libr. 10. licet Cloatius in libris ſacrorum velit eſſe *lignum quoddam quadratum, ubi immolatur*. Et Ælius in Explanatione Saliorum Carminum, *quod ſub mola ſupponatur*. Denique Aurelius Opilius, *ubi molatur*, contendit. *Inferior autem pars molæ meta, ſuperior catillus* audit. Scævola apud Paulum l. 18. §. 4. ff. de Inſtruc. vel Inſtr. leg. Catillus autem Græce ὄνος, ideſt aſinus appellabatur. Suida teſte, & Heſychio, ὄνος ὁ ἀνώτερος λίθος τῦ μύλυ. onos *ſuperior lapis molæ*. Euſtathium & Xenophontem ad id citat eruditus Briſſonius, quem vide. Molam vero a τρέπω, *verto*, nonnulli putarunt *trapetum* dici; ſed manifeſte diſtinguit L. Moderatus Columella libr. 12. cap. 50. Cato de Re Ruſt. cap. 145. Q. Symmach. libr. 3. Epiſt. 23. *trapetis teritur bacca Sicyonia*. Ex Virgilio libr. 2. Georg. v. 519. Jun. Phylargir. ad eum locum vult *lapideas eſſe molas*. Ratio nominis, quod circumacto lapide, quod jam paulo infra oſtenſurus ſum, fruges tererentur. M. Martialis libr. 7. Epigr. 27. ea voce utitur, & libr. 13. Epigr. 36.

Hæc, quæ Picenis venit ſubducta trapetis,

Incboat,

Incboat, atquè eadem finit oliva dapes.

Papin. Stat. libr. 2. Silv. 7.

Unctis Bætica provocas trapetis.

Paulus J.C. libr. 3. Sentent. tit. 7. *cogendorum fructuum cauſa comparata inſtrumenta cedunt, velut corbes, alvei, falces meſſoriæ, item molæ olivariæ.* Adi ad l. 19. ff. *locati:* cenſeturque ædificii pars; nam *inædificata* dicitur a Pomponio J.C. l. 21. ff. de Inſtr. vel Inſtrum. leg. at M. Varro non a vertendo, verum a terendo contendit libr. 4. de Ling. Lat. *trapetum* vocari. Dicitur & *moletrina.* M. Cato apud Nonium Marcellum cap. 1. num. 320. *nervo, carcere, moletrina:* quod adnotatum & præoccupatum video a Guilielmo Budæo Annotationibus ad Pandectas prioribus. Primas ſane molas conſtat *truſatiles* fuiſſe, quæ manum laborioſiſſimo actu circumverſarentur. A. Gell. libr. 3. cap. 3. *Ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ truſatiles appellabantur, operam piſtori locaßet;* ideoque *manuales* audiunt. Servius Maurus Honoratus ad v. 274. pag. 83. libr. 1. Georgic.

Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli
Vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens
Incußum, aut atræ maßam picis urbe reportat.

Lapidem incuſſum recte dixit; nam circumacto lapide frumentum terebatur. Vulgariter lapis iſte *molaris* ſolet vocari. Gloſſ. vet. *molaris*, Μυλίτης: aliud Lexicon Atticum: Μυλίτης λίθος, *ſilex.* Locus elegans eſt ejusdem Servii ad v. 184. libr. 1. Æneid. *Quia apud majores noſtros molarum uſus non erat, torrebantur fruges in pilis, & pinſebantur, neque molebantur.* Ideo poëtæ ad heroica illa reſpicientes tempora, ſic fere loquuti. Virgilius loco ultimo laudato:

Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

Et libr. 1. Georgic. v. 267.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite ſaxo.

T. Lucret. libr. 1.

. . . . . . fruges quoque ſæpe minutas
Robore cum ſaxi frangunt.

In MS. Codice, uti obſervavit Dionyſius Lambinus, erat *minacis* pro *minutas;* ſed parum intereſt. Stat. libr. 1. Thebaid. v. 524.

His labor inſerto torrere exanguia ferro
Viſcera cæſarum pecudum: bis cumulare caniſtris
Perdomitam ſaxo Cererem.

Poſterioribus deinde ſeculis licet mos ille exoleverit, manſit tamen uſus loquendi. D. Auſon. Moſella:

Nobilibus Gelbis celebratur piſcibus, ille
Præcipiti torquens Cerealia ſaxa rotatu,
Stridenteſque trahens per levia marmora ſerras.

In locum manualium harum molarum, ſive truſatilium, ſucceſſerunt *aſinariæ*, quas ſcilicet aſini verſarent. Ritum perbelle explicat L. Apu-

lejus

lejus Mileſiar. libr. 7. *Nequiſſima illa mulier molæ machinariæ ſub jugum me dedit, frondoſoque baculo ſubinde caſtigans, ſibi, ſuiſque panem de meo corio parabat: nec tantum ſui cibi gratia me fatigare contenta, vicinorum etiam frumenta mercenariis diſcurſibus meis conterebat*. Ex eodem libro paulo poſt. *Ad eundem modum diſtractus & ipſe variis equorum incurſibus, ru ſus molares illos circuitus requirebam*. Ubi & hoc diligenti obſervatione dignum, aſinis jumentiſque aliis, huic operi adhibitis, faciem velari conſueviſſe, ne ſcilicet vertigo noceret. Teſtis eſt Lucianus: Ὀθόνην τοῖς ὄμμασιν ἐπιπετάζαντες ὑποζευγνύουσι με τῇ κώπῃ τῆς μύλης. *Velamine oculos meos convelantes, ſubligant me ad manubrium molæ*. L. Apul. eodem loquendi ritu uſus libr. 9. Mileſiar. *Sed die ſequenti, molæ, quæ maxima videbatur, matutinus adſtituor, & illico velata facie propellor ad incurva ſpatia flexuoſi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco greſſu mea recalcans veſtigia vagarer errore certo*. Hinc effectum eſt, ut *aſinos molarios* periti dicant ſcriptores, pro jumentis, molarum machinis adhibeti ſolitis. Ita uſurpat M. Varro libr. 2. de Re Ruſtica; quamquam in MSS. Codicibus adnotet Petrus Victorius reperiſſe, non *molarium*, ſed *molendarium*, quod propius accedit ad veritatem, nitoremque Latini ſermonis: ita *aſina molendaria* apud Neratium l. 18. ff. Inſtr. vel Inſtrum. leg. Licet veteres gloſſæ primam lectionem firment, Μυλώνιον, *molarium*. Ex qua conſuetudine derivatum, ut in aſinorum locum ſervi improbi damnarentur. Achmes Seirim cap. 195. Oneitocrit. Μύλωνα, ἀλήθοντα ὄνον δυναστῷ. *piſtrinum, in quo aſinus robuſtus moleret*. Vet. Gloſſ. *piſtrinum*, Μύλων, Ἀρτοκόπιον. P. Terent. Andria Act. 1. ſc. 2.

Verberibus cæſum te, Dave; in piſtrinum
Dedam uſque ad necem.

Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad v. 67. ſat. 8.

Segnipedes, dignique molam verſare nepotis.

Atque hi ſervi in piſtrinum detruſi ſolebant nomine *aſinorum* appellari, & molæ ipſæ *præſepia*. Unde in MS. Codice Plautino ſic concipiebatur titulus primæ comœdiæ: *M. Aſini Plauti Amphytruo*; quippe ſervi ergaſtulo hujuſmodi incluſi, tamquam laboris omnigenæ patientes, quales ſunt aſini molis appliciti, ſic jure merito vocati videbantur: quod non ſum ignarus præoccupatum ab eruditiſſimo Joanne Meurſio Criticar. Exercitation. part. 1. cap. 9. & certum eſt ex A. Gellio ſupra laudato loco, Plautum *quaſdam in piſtrino ſcripſiſſe comœdias*, & ſervilibus addictum fuiſſe operibus. Locus eſt apud eum Curcul. Act. 2. ſc. 1.

. . . . paraſitus, quia non rediit Caria,
Afferre argentum credo; nam ſi non ferat
Tormento retineri non potuit ferreo
Quin reciperet ſe huc eſum ad præſepim ſuam.

Tertium verſum in MS. meo reperi aliter, & fortaſſis melius. Vide Petrum Fabrum libr. 1. Semeſtr.

Tomen-

Digitized by Google

Tomento retineri non potuit ferreo.

Quartus verſus longe aliter legebatur vel Nonio Judice cap. 3. num. 160.

Quin reciperet ſe hic ceſſum ad præſepiam ſuam.

Sed melior prior lectio vel ipſo Plauto aſſertore in prologo Caſinæ:

Qui ſibi uxorem poſcat, ſcit, ſi id impetret,
Futurum, quod amet, intra præſepes ſuas.

Et videntur mihi non molarii tantum ſervi, ſed quilibet alii in privatis ſuis ſtationibus, in dominorum domibus locum habuiſſe ſervi, qui a vilitate rei & officii, ceu pecudes habiti, locum ſic nuncupaverint; erat enim par ſervorum & jumentorum conditio, teſtis eſt M. Varro libr. 1. de Re Ruſt. cap 13. *Illic laudatur villa ſi habebat culinam ruſticam bonam, præſepias laxas, cellam vinariam.* Huc pertinet locus Claudiani libr. 1. in Eutropium, a nullo hactenus explicatus:

Hæc erat, hæc, Ptolemæe, fides? hoc profuit ætas
In gremio conſumpta tuo, lectique jugales,
Et ducti toties intra præſepia ſomni?

Utque ſervi in præſepi habitare dicti, ita ſordidi homines *porcorum* nomine appellati, & habitatio illorum *hara* audiebat. Idem M. Varro in Prometheo: *In tenebris ac ſuilla vivunt, niſi non forum hara, atque homines, qui nunc plerique ſues ſunt exiſtimandi.*

Sed ad molas revertor, quæ etiam *aquariæ* dicebantur, quod ſicuti truſatiles manuum opera, aſinariæ jumentorum induſtria; ita iſtæ aqua per canales derivata circumagebantur. Pallad. Æmilian. libr. 1. de Re Ruſtica cap. 42. *Si aquæ copia eſt, fuſura balnearum debent piſtrina ſuſcipere, ut ibi formatis aquariis molis, ſine animalium vel hominum labore frumenta frangantur.* Modum præſcribit Vitruvius libr. 10. cap. 10. *Ita dentes ejus tympani, quod eſt in axe incluſum, impellendo dentes tympani plani, cogunt fieri molarum circinationem, in qua machina impendens infundibulum ſubminiſtrat molis frumentum, & eadem verſatione ſubigitur farina.* In quem locum quid notet Guilielmus Philander, conſule. Meminit & Zeno Imperator l. 10. C. de Aquæduct. *Suburbanum vel prædium, vel balneum, vel aquæ mola, vel hortus, ad cujus uſum aqua publica fuerit derivata.* Sic enim recte locus ille legitur, licet in quibusdam aliis editionibus, pro *aquæ mola* ſit *aquariola*, peſſime, & nullo ſenſu. Valentinianus & Valens Augg. l. 4. C. Theodoſ. de Canone frumentario urbis Romæ: *Improborum petitiones, qui impudentius auſi ſunt poſtulare penſiones, aquæ molarum, quæ urbi venerabili annonas abundantius præſtitiſſent, quinque librarum auri mulcta infligatur.* Aquariæ molæ rotis ſublevatis inverſiſque ſuppeditabatur aqua, eique officio juncti aſini, equi, equæ adhibebantur. Secundus, vetus poëta libr. 1. Antholog. cap. 33. Epigr. 21.

Τίπτε τὸν ὀγκηστὴν βραδύπουν ὄνον ἔμμιγ' ἐν ἵπποις
Πύρου ἀλωναῖον ἐξελάσατε δρόμον;

Οὐχ

Οὐχ ἅλις, ὅττι μύλαιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκης
Στειρηδὸν σκοτίοις κυκλοδίωκτος ἔχω;
Ἀλλ' ἔτι καὶ πώλοισιν ἐρίζομεν.

Cur rudentem tardum aſinum ſimul cum equabus in rotundum in areis triturantibus agitatis curſum? Nonne ſatis eſt, quod molæ circularium onus neceſſitatis convolutim oculis clauſis in gyrum actus habeo? quin adhuc cum equis curſu contendamus? Neque illud prætereundum, quod ab Artemidoro Daldiano libr. 2. cap. 47. Oneirocrit. traditum: Μύλος ἀεὶ τῶν σκληρῶν καὶ πονηρῶν πραγμάτων λύσιν, καὶ πίστον θεράποντα σημαίνει· *Mola ſemper durorum & difficilium negotiorum ſolutionem portendit, & fidelem ſervum ſignificat*. Denique obſervandum, piſtrinis ſuum fuiſſe Deum, ſuaque numina tutelaria ab aliis opificiis diſtincta. Jul. Poll. libr. 7. Onomaſt. cap. 33. tit. 8. Μυλώθρος μύλων, μύλη, προμυλαία θεὸς, καὶ εὔνοστος. *Molitor, mola, piſtrinum, Dea molaris, & benevola*. Hinc veteri ſuperſtitione cautum, ut *Promylius Deus* ſemper ante molas locaretur, ob ſuavem alimoniam. Suid. in voce Προμύλαιος θεὸς: quæ vero Græcis Promylia dicta, Latinis fortaſſe *Fornax* fuerit. De qua cum alii abunde diſſeruerint, non repeto. Vide Feſtum Pompejum libr. 6. & libr. 14. in voce *Popularia ſacra*. Plutarch. Problem. Rom. cap. 89. Lactant. Firmian. libr. 1. cap. 20. Ovid. libr. 2. Faſtor.

Facta Dea eſt Fornax,

Et libr. 6. Faſtor.

Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et Fornacali ſunt ſua ſacra Deæ.

Etruſcorum inventum atria: quæ loca eſſent: templorum primum, mox ædium profanarum: imagines in iis, & vela; porticibus reſpondent: eorum ornatus: ſervi, iis præfecti, atrienſes.

CAP. LXIX.

Ut multa alia Romani ab Etruſcis mutuati ſunt, ita vel hoc in primis, ut ædes ſuas, atriis adjectis, ſplendidiores, laxioreſque efficerent; quod ut manifeſtius conſtet, ponam quorundam veterum, ſed fide digniſſimorum Auctorum loca. M. Varro libr. 4. de Ling. Lat. *Atrium appellatum ab Atriatibus Tuſceis, illinc enim exemplum ſumptum*. Feſtus Pompejus ex illo libr. 1. de Verbor. ſignificat. *Dictum autem atrium, quod id genus ædificii Atriæ primum in Etruria ſit inſtitutum*. Addatur & Servius Maurus Honoratus ad

ad v. 730. libr. 1. Æneid. *Alii dicunt, Atria Etruriæ eſſe civitatem; quæ domus amplis veſtibulis habebat, quæ cum Romani imitarentur, atria appellaverunt*. Locum putarim ex Feſto, proxime ſupra laudato, corrigendum, & pro *Atria* reponendum *Atriam*, niſi plus Servio, quam Feſto tribuendum. Ut ut ſit, certe conſtat, atrii primam inventionem Tuſcis deberi; nunc vero quis ejus uſus, videndum. Primum templa anguſtiora atrio decorabantur; nam *atrium Minervæ* ponitur in 8. Urbis regione a P. Victore: & *atrium Libertatis* ex eodem etat in 13. regione, adſtipulante B. Marliano libr. 4. Topograph. cap. 3. quod Gracchus *ex multatitia pecunia* erexit. T.Liv. 3. Decad. libr. 4. in principio. In eo publica acta ſignabantur, aſſervabantutque, eodem Livio ſcribente 5. Decad. libr. 3. *Cenſores extemplo in atrium Libertatis aſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, ac dimiſſis ſervis publicis*. Dedicatio illius Eidibus Aprilis. Faſti Capitolini, & P. Ovid. libr. 4. Faſt.

Hac quoque, ni fallor, populo digniſſima noſtro
Atria Libertas cœpit habere ſua.

Conjectura eſt, in eo fuiſſe bibliothecam publicam; ita eodem Ovidio docente libr. 3. Triſt. Eleg. 1.

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis
Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.

In monte Aventino locat Feſtus Pompejus libr. 10. cujus auctorem non Gracchum facit, ut Livius proxime ſupra, ſed Aſinium Pollionem C. Suetonius in Auguſto cap. 29. *Atrium Veſtæ* in 8. Urbis etiam regione collocatur a Topographis, & pleniſſime Servius Maurus ad libr. 7. Æneid. v. 153. quem conſule. Ad eum ritum Chriſtianis etiam templis atria adjecit Corippus Afticanus libr. 3. num. 1.

Donec Apoſtolici ſubeuntes atria templi.

Uti Deorum templis atria appoſita, ita & profanis quorumlibet civium domibus eadem in otnamentum adiecta, de quotum ſtructura adeundus M. Pollio Vitruvius libt. 6. cap. 3. quotum uſus antiquiſſimus extra Italiam, heroicis ſcilicet temporibus; nam Homerus αἴθουσαν, *atrium* vocat, apud Julium Pollucem libr. 1. Ouomaſt. cap. 8. aliis αὐλὴ appellatur; ſed parum intereſt. Locum apponam elegantem M. T. Ciceronis libr. 3. ad Quintum Fratrem Epiſt. 1. *Quo loco in porticu te ſcribere ajunt, ut atriolum fiat, mihi, ut eſt, magis placebat, neque enim ſatis loci videbatur eſſe atriolo, neque fere ſolet, niſi in his ædificiis fieri, in quibus eſt atrium majus, nec habere poterat adjuncta cubicula, & ejuſmodi membra*. Ubi duo a Criticis omnibus prætermiſſa obſervare licebit: primum, in una domo plura atria fieri potuiſſe; quod a nullo, quod ſciam, eſt notatum: alterum, atrio vicina, aut potius juncta, cubicula; quod alias non puto, neque apud alium Scriptorem notæ alicujus legi. Confer C. Plinii Junioris Epiſtolam 17. libr. 2. Maximum utcumque ſit in atriis ornamentum, præcipuaque nobilitatis & opu-

lentiæ

Digitized by Google

lentiæ oſtentatio. M. Varro, ut alios omittam, in Menippæa Satyra, cui titulus Ἀνθρωπουργία περὶ γενεθλιῶν.

Non fit theſauris, non auro pectus ſolutum,
Non demunt animis curas ac relligiones
Perſarum montes, non atria divitis Craſſi.

Quamobrem columnis periſtyliiſque diſtinguebantur, quæ ex marmore verſicolore dominorum potentiam indicarent. Claudian. libr. 2. in Ruffin.

. . . . . quid purpureis effulta columnis
Atria.

T. Lucret. libr. 4.

Atria verſari, & circumcurſare columnæ
Uſque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipſi
Deſierint verti.

Illa majorum imagines continebant, & longum familiæ ordinem intrantibus offerebant, erantque pars ædium ſpecioſiſſima; imagines autem, ſive ſtemmata cera, ut ſæpe, plerumque etiam ære aut marmore exprimebantur. L. Seneca libr. 3. de Benefic. cap. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, & multis ſtemmatum illigata flexuris, in prima ædium parte collocant, noti magis, quam nobiles ſunt.* C. Plin. libr. 35. cap. 2. *Aliter apud majores in atriis hæc erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec æra aut marmora, expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, ſemperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* P. Ovid. Eleg. 6. libr. 5. Triſt.

Creditur & ceris, & quos prætexta verendos
Vittaque cum virgis imperioſa facit.

Et libr. 1. Amor. Eleg. 8.

Nec te decipiant veteris quinquatria ceræ,
Tolle tuos tecum pauper amator avos:

Corruptum eſſe locum omnes vident, ſed corrigunt varie Critici; nam quidam reponunt: *veteris quinque atria ceræ*, ſed minus, ut mihi videtur, probabiliter; cum in una domo uti plura atria poſſe eſſe ſupra oſtendi, ita quinque fuiſſe præter morem ſuſpicor. Melius itaque: *veteri cincta atria cera*. M. Martial. libr. 2. Epigr. 90.

Atriaque immodicis arctat imaginibus.

Et libr. 4. Epigr. 40.

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.

Auctor carminis ad Piſonem, qui neque Ovidius, temporis ratione diſſentiente, nec Lucanus, cum paupertatem ſuam defleat, tenuiſque fortunæ injuriam v. 241. & Lucanum Juvenalis ſat. 7. v. 79. marmoreos hortos habuiſſe ac poſſediſſe dicat. Ille igitur, quiſquis eſt, auctor venuſtus ac elegans:

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo Conſule faſti
Profuerint?

D. Juvenalis ſat. 8.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria.

C. Plinius proxime ſupra laudatus excluſit ab atriis imagines omnes, niſi cereas: quod de primis Reipublicæ temporibus intelligendum; re vera enim poſtea etiam æreæ & marmoreæ, argenteæ aureæque in uſu. Statius libr. 2. Silv. 2.

Quid referam veteres ceræque cæriſque figuras?

Nec modo majorum ſuorum cæra metallove expreſſos vultus in atriis iſtis aſſervabant; ſed & pretioſa quæque clarorum virorum monimenta. C. Petron. Satyr. pag. 22. in deſcriptione domus Trimalcionis: *Interrogare ego atrienſem cæpi, quas in Medica picturas haberet? Iliada & Odyſſeam, inquit*. Sic enim rectiſſime legendum docet Joſephus Scaliger, ut quibusdam videtur, *quaſi Medica ſit porticus inſtar Peciles Atbenienſis, in qua Mædi ſuperati depingebantur*; ut probat longus ſcribentium ordo. Probus Æmilius, ſive Cornel. Nep. in Milciade. Pauſan. Attic. Diogen. Laert. in Cittico. Apul. Mileſiar. libr. 1. Ælian. libr. 13. Var. Hiſtor. cap. 12. Strabo libr. 9. Lucian. in Vita Demonactis. C. Plin. libr. 35. cap. 9. vocaturqne Pyſianactia, auctore Plutarcho in Cimone. In ea pugna Marathonia erat depicta, in qua fœdiſſima ſtrage Medi a Græcis debellati, unde illi nomen. A. Perſ. ſat. 3. v. 54. ex quo loco apparet, auditorium philoſophorum fuiſſe:

Quæque docet ſapiens braccatis illita Medis
Porticus.

Hæc quidem probabilis eſt conjectura; ſed ego nihilominus cenſerem legendum, *quas picturas in media haberet*. Confirmat hanc lectionem vetus Gloſſarium Latinum: *Tullia media vel Regia*. Et forte *media* dicebatur, quia *media* quædam pars eſſet inter domum ipſam & veſtibulum. Duo ſane atriorum genera: unum, quod Feſto auctore *aterreum*, ſeu planum, de quo jam diximus: alterum, quod ſnbdivale, ut nonnulli putant minus vere, in quod gradibus quibusdam aſcendebatur. Martial. libr. 12. Epigr. 3.

Atria ſunt illic Conſulis alta mei.

Utrumque velis tapetibuſque penſilibus adumbrabatur. Corippus de Byzantinis ædibus eadem, quæ de Romanis alii. libr. 3. num. 7.

Clara ſuperpoſitis ornabant atria velis.

Et paulo poſt eodem loco:

Verum ut contracto patuerunt intima velo
Oſtia, & aurati micuerunt atria tecti.

Referendum huc cultiſſimum Epigramma (1) Sulpicii Servaſti Luperci

(1) Inter Catalect. Scalig. libr. 1. pag. 191. ſed ſine auctore, & inter vetera Epigrammata l. 1. p. 33.

ci Junioris, quod propter inſignem elegantiam integrum adſcribam:

Quod tua mille domus ſolidas habet alta columnas,
Quod tua marmoreo janua poſte nitet:
Aurea quod ſummo ſplendent laquearia tecto,
Imum cruſta tegit quod pretioſa locum:
Atria quod circum dives tegit omnia cultus,
Hoc animos tollit nempe, beate, tuos.
Ædibus in totis gemmæ licet omnia claudant,
Turpe eſt nil domino turpius eſſe ſuo.

Solis nobilibus competebat jus iſtud imaginum: cauſa pulchra apud Valerium Maximum libr. 5. cap. 8. tit. 3. Videbat ſe in eo atrio conſediſſe, in quo imperioſi illius Torquati ſeveritate conſpicua imago poſita erat, prudentiſſimoque viro ſuccurrebat effigies majorum ſuorum cum titulis ſuis; idcirco in prima ædium parte poni ſolere, ut eorum virtutes non ſolum poſteri legerent, ſed etiam imitarentur. Sext. Propert. libr. 1. Eleg. 4.

Nec tibi nobilitas poterit ſuccurrere amanti;
Neſcit Amor priſcis cedere imaginibus.

P. Ovid. libr. 1. Faſtor.

Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras.

Pinathecis hiſce aut tablinis claudendis, conſervandis, in funebrem pompam efferendis præerant ſervi, quos Atrienſes ab atrii cura appellabant. M. Tull. Paradox. 5. *Atque ut in magna familia ſunt alii lautiores, ut ſibi videntur, ſervi, ſed tamen ſervi atrienſes, atque tu pari ſtultitia, quos ſigna, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia vaſa, quos ædificia magnifica nimio opere delectant.* Quem locum corruptiſſimum MS. optimæ notæ beneficio ſic poſſe reſtitui, nitorique ſuo reddi exiſtimo. *Lautiores, ut ſibi, videntur, ſervi, ut atrienſes, alii inferiori loco, ut mediaſtini, ſic ſtulti quidem omnes, ut tu, pari ſtultitia ſunt, quos ſigna, &c.* Petronius ſupra laudatus officium obiter indicavit, ſed plenius, uberiuſque Junius Moderatus Columella libr. 12. Rei Ruſt. cap. 3. *Uxorem*, ait, *debere inſiſtere atrienſibus, ut ſuppellex & ferramenta deterſa nitidentur, atque rubigine liberentur, ceteraque ſi refectionem deſiderent, fabris concinnanda tradantur.* Meminit liber de Offic. Proconſul. Vet. Gloſſar. Latinum: *Atriarii ſeu atrienſes ſunt cuſtodes atrii.* Aliud vetus Gloſſarium Latino-Græcum. *Atrienſis*, διαιτάριος, διαιτάρχης. Alfenus Varus libr. 7. Digeſtorum: *Itemque de ſervis eadem ratione quæri, qui eorum uſus ſui cauſa parati eſſent, diſpenſatores, villici, inſularii, atrienſes, textores: operarii quoque ruſtici, qui agrorum colendorum cauſa haberentur.* Vide Legem 203. ff. de Verbor. ſignificat. Ulpian. J.C. l. 15. §. 2. ff. de Uſufructu. *Librarium ſi rus mittat, & qualum & calcem portare cogat, hiſtrionem, balneatorem faciat, vel de ſymphoniaco atrienſem, vel de palæſtris ſtercorandis latrinis præponat, abuti videbitur proprietate.* Eſt & eorumdem officium apud eundem J.C. l. 8. ff. de

Inſtr.

Inſtr. & Inſtrum. leg. §. fin. *Quibusdam in regionibus accedunt inſtrumento, ſi villa cultor eſt, veluti atrienſes, ſcoparii, ſi etiam viridaria ſint, topiarii*. Phædrus Tiberii Aug. libertus libr. 2. fab. 36. venuſtiſſime habitum eorum deſcribit:

Ex alticinctis unus atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo peluſio
Erat diſtricta, cirris dependentibus.

M. Accius Plaut. Pſeudolo Act. 2. ſc. 2.

. . . . *PS. Condus promus ſum, procurator peni,*
HA. Quaſi te dicas atrienſem. PS. imo atrienſi ego impero.
HA. Quid tu ſervus ne es, an liber? PS. nunc quidem etiam ſervio.
HA. Ita videre & non videre, dignus qui liber ſies.

Supereſt nunc, ut diſcutiatur, quæ, qualiſque ædium pars, aut apud Tuſcos inventores, aut Romanos fuerit atrium? Sunt inter doctos nonnulli, quorum facile primus Iſaacus Caſaubonus ad Suetonii Auguſtum, qui *locum ſubdivalem intectumque* definit: ratio vel hæc una, quod Tertullianus *ſubdival* videatur vocaſſe; itaque cum *impluvio* confundit, minus perite, aut *cum loco in mediis patenti*, æque ſane incrudite; nam L. Seneca, M. Valerius Maximus, C. Plinius ſupra hoc capite a me laudati, *primam ædium partem* concordi conſenſu nuncupant. M. Varro præterea libr. 4. de Ling. Lat. *Quod relictum erat in medio, ut lucem caperet, deorſum, quo impluebat, impluvium dictum, & ſurſum, qua compluebat, compluvium, & deinde atrium ab Atriatibus Tuſcets*. Diſerte togatorum doctiſſimus, impluvium, compluvium, atrium, tria diverſa ædificiorum quorumlibet loca oſtendit fuiſſe: adde compluvium, ſive ſubdivalem illum locum, ut ipſi loquuntur, in mediis ædibus locatum, cum *atrium prima domus pars* audiat apud A. Gellium libr. 16. cap. 5. Virgil. libr. 2. Æneid.

Ædibus in mediis, nudoque ſub ætheris axe
Ingens ara fuit.

Et utrumque memorat, ſed tamquam quippiam diſcretum diſtinctumque Corippus Africanus libr. 1. num. 7.

Eſt domus interior tectorum in parte ſuperna,
Luce ſua radians, & aperto libera cœlo
Conſpicuo vitrei ſplendens fulgore metalli.

En ſubdival, quod ab atrio aliud, ut liquet ex eodem Poëta libr. 2. n. 4.

Jam latus princeps divalia tecta ſubibat,
Amplaque gaudentes implebant atria turbæ.

Corrigatur idem libr. 3. num. 7.

. . . . *miratur barbara pubes,*
Ingreſſus primos, atque immenſa atria luſtrat.

Antea corrupte legebatur:

Ingreſſus primos, immenſaque atria luſtrat.

Sane

Sane ut omnis dubitandi anſa penitus tollatur, *atrio porticus extrinſecus adjacebant, inter quas & impluvium;* ut ait Iſidorus libr. 15. cap. 3. ut non poſſit concipi, qua ratione idem fuerit atrium cum impluvio. Deinde in atrio ignis extrui ſolebat, recte obſervat Joannes Britannicus ad Juven. Sat. 8. v. 8. ubi *fumoſas imagines* exponit *fumo ſordidas*, igne ſcilicet in atrio extructo. At ſub dio quis ſanæ mentis putet, ignem veteres quotidie excitare ſolere? Quid quod in atrio, ut jam probatum abunde, majorum vultus cera expreſſi, nobilitatis ſuæ, & generis claritudo aſſervaretur, quos aperti cœli injuriæ exponere, quam ridiculum, & ab re alienum? Denique non tantum *pinnas prominentes* atria habebant, ſive, ut Vitruvius ſupra laudatus appellat, *alas*; ſed etiam *laquearia:* quod qui pertinacius, quam doctius propugnantes ſuum errorem, ad ſubdivalem atrii ſitum trahunt, toto cœlo errant, & delirant. M. Tull. Orat. de Prætura urbana: *Conſiderat templum, videt undique tectum, laqueatum pulcherrime*. En Cicero undique tectum interpretatur laqueatum; laqueare autem non tantum alas habuiſſe atria indicio eſt D. Auſon. Moſella:

. . . nunc Phrygiis ſola conſere levia cruſtis,
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.

L. Apul. libr. 5. Mileſiar. *Summa laquearia citro atque ebore curioſe cavata ſubeunt aureæ columnæ*. Vide locum, & diligenter expende.

Etruſcorum inventum columnæ Tuſcanicæ dictæ: in mediis ædibus: arma ſuſtinebant: æratæ: in iis leges ſculptæ: ſepulchris impoſitæ.

CAP. LXX.

UTi atriis adjectis ædes ſuas magnificentiores Romani exemplo Etruſcorum feciſſe oſtendi; ita & columnas Tuſcanicas ab iiſdem accepiſſe eos, certum eſt: quod vel nomen ipſum docet, quippe cum quatuor ſint, aut ad ſummum quinque columnarum genera, unum tantum Italicum eſt, quod *Tuſcanum* a Vitruvio, *Tuſcanicum* ab aliis audit; reliqua vero omnia exotica ſunt, & peregrina. Iſidor. libr. 19. cap. 10. Etymologiar. *Columnæ pro longitudine & rotunditate vocatæ, in quibus totius fabricæ pondus erigitur: antiqua ratio erat columnarum altitudinis, tertia pars latitudinum. Genera rotundarum quatuor ſunt, Doricæ, Jonicæ, Tuſcanicæ, Corinthiæ, menſura craſſitudinis & altitudinis inter ſe diſtantes: quintum genus eſt earum, quæ vocantur Atticæ*. Ornabantur ſane harum capita, uti ex Pollione

lione Vitruvio libr. 3. Architectur. cap. 3. *In Araeoſtylis autem nec lapideis nec marmoreis epiſtyliis uti datur, ſed imponendae de materia trabes perpetuae, & ipſarum aedium ſpecies ſunt barycae, barycephalae, humiles, latae, ornantque ſignis fictilibus, aut aereis inauratis earum faſtigia, Tuſcanico more, uti eſt ad Circum maximum Cereris & Herculis, Pompejani item Capitolii*. Locus indubie eſt depravatus; neque enim Capitolium ullum Romae Pompejanum. Suſpicor legendum *Pompejani theatri, item Capitolii*. De quo conſule Plinium libr. 36. cap. 15. Sueton. Nerone cap. 46. Lucan. libr. 7. princ. Propert. libr. 4. Eleg. 9. Martial. libr. 2. Epigr. 14. libr. 5. Epigr. 10. libr. 11. Epigr. 48. libr. 14. Epigr. 29. Ovid. libr. 1. de Arte. Claudian. libr. 2. de Laud. Stilic.

Pompejana dabunt quantos proſcania plauſus.

Supereſt, ut de uſu pauca expediantur, idque levi tantum manu. Primum Coelius Rhodiginus libr. 17. Antiquar. Lection. cap. 20. ex Servio Honorato ad libr. 8. Aeneid. pag. 528. ait: *Sepulcbris optimatum ſolemnem fuiſſe morem columnas imponere*: de quarum altitudine Plato apud Graecos, in Latio vero M. Cicero leges praeſcripſerunt, quod & Fulvius Urſinus pridem obſervavit. Neque tantum columnas, ſed & Pyramides & montes ad tumulos aedificabant; unde Mythologis derivata fabula, ut Phornuto & Albrico, Palaephatoque placuit, Atlantem ſyderum curſus motuſque obſervaſſe, quod ad ejus nominis in Mauritania montem ſepultus fuerit. De Pyramidibus M. Lucan. libr. 8. v. 594. uti & de monte:

Cum tibi ſacrato Macedo ſervetur in antro,
Et Regum cineres extructo monte quieſcent,
Cum Ptolomaeorum manes ſeriemque pudendam
Pyramides claudant indignaque Mauſolea,
Pompejus ponto fluitet.

De Pyramidibus ſepulchralibus elegantiſſime C. Claudian. libr. 2. in Ruffin.

Qui ſibi Pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura ſuos extruxit culmina manes.

De montibus, ſub quibus ſepeliri heroës ſueti, P. Maro libr. 6. Aeneid.

Tum pius Aeneas ingenti mole ſepulchrum
Conſtituit, ſuaque arma viro, remumque tubamque
Monte ſub aërio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur.

Et libr. 11. Aeneid. ad finem:

. . . . . . fuit ingens monte ſub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum.

P. Stat. libr. 5. Silv. 3.

Exere ſemirutos ſubito de pulvere vultus
Parthenope, crinemque afflato monte ſepulti
Pone ſuper tumulos, & magni funus alumni.

Atque

Atque iſtis columnis pyramidibuſque impoſitæ ſtatuæ defunctorum; quare primis ſeculis columnæ pro ſimulacris Deorum colebantur, neque alii erant Dii, ut notat Deſiderius Heraldus ex Euſebio Pamphilo libr. 1. de Præparat. Evangel. & Clemente Alexandr. Stromat. 1. Arnob. libr. 7. Contra Gentes: *Quoties vatum juſſis, aruſpicumque reſponſis, poſtquam divina res facta eſt, & ex gentibus tranſmarinis acciti Dii quidam, delubraque his facta, & in altioribus columnis ſigna quædam & ſimulacbra ſunt conſtituta*. Sueton. Galba cap. ult. *Senatus ei, ut primum licitum fuit, ſtatuam ei decrevit, roſtrata columnæ ſuperſtantem, in parte fori, qua trucidatus fuit; ſed decretum Veſpaſianus abolevit*. Illud erat, quod Vitruvius, ſuperius laudatus, dixerat fictilibus ſignis ornari columnas; nam revera vel aliquem ornatum imponebant iis, vel ſaltem diverſa e materia capitella formabant. Prius ex Corippo liquet, qui Victoriam alatam, columnæ impoſitam, ſcribit libr. 3. num. 9.

Nobilitat medios ſedes Auguſta penates,
Quatuor eximiis circumvallata columnis,
Quas ſuper ex liquido præfulgens cymbius auro
Immortale caput, ſoliumque ſedentis obumbrant,
Ornatum gemmis, auroque oſtroque ſuperbum:
Quatuor in ſe ſe nexos curvaverat arcus,
Per lævam dextramque tenens Victoria partem,
Altius erectis pendebat in aëre pennis.

Alterum ex eodem eſt planum libr. 4. num. 1.

Buxea populeis aptans capitella columnis,
Materiaque ipſa baſes firmaverat imas.

Nec modo capitella iis aut apex ornata, ſed totæ ipſæ velis intectæ; eodem auctore libr. 4. num. 3.

Syrica per cunctas pendebant vela columnas.

Quæ quidem a nullo, quod ſciam, fuerant notata: uti nec quod ex ipſo Corippo & aliis eruitur, in mediis ædibus ſitas etiam columnas. Idem Corippus libr. 3. num. 1. de funere Juſtiniani:

Interius flentes famuli: vaſa aurea mille,
Mille columnarum ſpecies.

Ac injis ſuſpendebantur arma, & præcipue haſtæ. Homerum habeo auctorem libr. 1. Odyſſ. v. 126. & libr. 17. v. 29. Virg. libr. 12. Æneid.

Exin quæ mediis ingens adnixa columna
Ædibus adſtabat, magna vi corripit baſtam.

Addo denique in columnis æreis inſcribi ſolitas leges, vel lateritiis, vel lapideis: & multis allatis probavi in Antiquitatibus meis, quæ quia paſſim leguntur, non repeto. Adde Ciceronem libr. 2. de Divinat. pag. 288. Edit. Steph. *Æra legum de cœlo tacta*. Jul. Obſequens libr. de Prodigiis cap. 123. *Tabulæ legum æneæ literis liquefactis*. Itaque tabulæ iſtæ vel columnis appenſæ, vel columnis ipſa legum verba inſculpta, uti loco laudato docui.

Digitized by Google

Etruſcorum inventum ludi: diverſis linguis editi, Oſci: & quia in Deorum falſorum honorem excogitati, Chriſtianis interdicti: colores in iis quatuor, mox ſex: eorum cauſa, & factiones uſque ad Reipublicæ interitum.

CAP. LXXI.

LUdicras artes, ab iisdem Etruſcis excogitatas, antiquiſſimis ſcriptorum probatorum receptum eſt monimentis. Q. Florens Tertullianus libr. de Spectaculis cap. 2. *De originibus quidem ut ſecretioribus & ignotis penes plures noſtrorum altius, nec aliunde inveſtigandum fuit, quam de inſtrumentis Ethnicarum literarum, extant auctores multi, qui ſuper iſta re Commentarios ediderunt. Ab his Ludorum origo ſic traditur: Lydos ex Aſia tranſvenas in Etruria conſediſſe, ut Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri ſuo ceſſerat regni contentione.* Sic enim legitur in antiquiſſima Beati Rheani editione Pariſienſi, Anno 1566. ut jure mirer J. Lipſium voluiſſe correctionem novam inducere, quaſi prius fuiſſet conceptum, *qui fratri ſuo ſucceſſerat;* odi enim hanc nimiam in veteribus corrigendis oſtentationem, & præpoſteram diligentiam in iis reſtituendis, quæ omnibus editionibus ſana incorruptaque leguntur. Ita nihilominus olim lectum ſuſpicari poſſumus ex Iſidoro libr. 18. cap. 16. qui verbatim hunc Tertulliani integrum locum mutuatus, cujus verba mutilatiſſima: *Lydi ex Aſia tranſeuntes in Etruria conſederunt, duce Tyrrheno, qui fratri ſuo ſucceſſerat in regno contentione, ergo in Etruria.* Reſtitue: *qui fratri ſuo ceſſerat regni contentione.* Quod ex libr. 1. ſuperius diſcere potes, ubi uberrime hæc diſcuſſi. C. Tacit. libr. 14. *Majores quoque non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis, pro fortuna, quæ tum erat, eoque a Tuſcis accitos hiſtriones.* Hæc quidem manifeſte oſtendunt, Ludorum ortum a Tuſcis propagatum, uſque adeo, ut etiam florente Republica *Ludicri* quoddam genus reperiatur, quod *Oſcum* a gente Etruſca videlicet nomine deſumpto, appellaverint. M. Cic. libr. 7. Familiar. Epiſt. 1. *Quod ſi tu per eos dies operam dediſti Protogeni tuo, dummodo is tibi quidvis potius, quam orationes meas legerit, næ tu haud paulo plus, quam quiſquam noſtrum, delectationis habuiſti. Non enim te puto Græcos aut Oſcos ludos deſideraſſe, præſertim cum Oſcos ludos vel in Senatu noſtro ſpectare poſſis: Græcos vero ita non ames, ut ne ad villam quidem tuam Græca via ire ſoleas.* Ludi hi, non Latina Lingua, ſed Oſca editi, hoc eſt Etruſca. Strabo

Ama-

Amaſian. libr. 5. pag. 161. *Τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις, ὥστε καὶ ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι, κατά τινα ἀγῶνα πάτριον, καὶ μιμολογεῖσθαι*. *Nam cum Oſcorum gens interierit, ſermo tamen eorum reſtat apud Romanos, ita ut carmina quædam a mimis certo quodam certamine, quod inſtitutum majorum celebratur, in ſcenam producantur*. Meminit C. Tacitus libr. 4. Annal. *Multa ab iis in publicum ſeditioſe, fœda per domos tentata, Oſcum quondam ludicrum leviſſimæ apud vulgus oſtentationis, eo flagitiorum & virium veniſſe, ut auctoritate patrum coercendum ſit*. Igitur quia hoc ludicrum Etruſcum erat, ſervatum, ut ſemper Etruſca lingua ederetur. Quare digniſſimum eſt notatu, non ſemper Latine ludos populo Romano edi ſolitos; nam illud efficaciſſimum captandæ popularis auræ vinculum, ſi pro gentium diverſitate, quæ ex omnibus pæne habitabilis mundi partibus eo confluxerant, ſermone ab iis intelligendo ludicra celebrarentur. Sueton. Cæſare cap. 39. *Edidit ſpectacula varii generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim urbe tota; & quidem per omnium linguarum hiſtriones*. Iſtius exemplo Auguſtus filius eodem auctore Suetonio cap. 43. Ludos fecit *nonnumquam vicatim ac pluribus ſcænis, per omnium linguarum hiſtriones, non in foro modo, nec Amphitheatro, ſed in Circo, & in ſeptis, & aliquando nihil præter venationem edidit*. Ad quem locum vide viros doctos.

Initium horum ludorum ſuperſtitioſum fuit, cum nulli ludi edi conſueverint, niſi in alicujus Dei honorem, ut non immerito Etruria Ludorum parens ſimul & ſuperſtitionis mater dici poſſit. Tertullian. loco proxime ſupra laudato. *Igitur in Etruria inter ceteros ritus ſuperſtitionum ſuarum, ſpectacula quoque religionis nomine inſtituunt; inde Romani accerſitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem, ut Ludi a Lydis vocarentur*. Quæ verba, ne ſyllaba quidem immutata, tranſcripſit Iſidorus libr. 18. cap. 16. Et certe, ſi examinemus exactius, nullum genus ludorum, non in Dei alicujus honorem excogitatum deprehendemus. Comici enim Tragicique Baccho ſacri, Circenſes Soli Lunæque, Quinquatrus Minervæ, Equeſtres Conſo, Equiria Marti, Seculares Apollini & Dianæ, Lupercales Fauno, Capitolini Jovi; ut ſemel dicam, non alio fonte *Idololatria* profluxit, quam a ludis, in quîs Deorum, ſive Idolorum verius, ingens numerus collocabatur, quæ pompa dicta. Sueton. in Auguſto cap. 16. in Claudio cap. 11. in Tito cap. 2. Ovid. libr. 3. Amor. Eleg. 2. qui locus mire huc facit. Et idem libr. 1. de Arte Amandi:

At cum pompa frequens certantibus ibit ephœbis.

Nunquam mihi ſatisfaciam, quin locum aureum protulero Lactantii Firmiani, qui elegantiſſime eruditiſſimeque libr. 6. Inſtit. cap. 20. idem, quod hoc loco agimus, deducit, itáque concludit: *Vitanda igitur ſpectacula omnia, non ſolum ne quid vitiorum pectoribus inſideat, quæ ſedata & pacifica eſſe debent; ſed ne ejus nos voluptatis conſuetudo deliniat, atque*

a Deo, atque a bonis operibus avertat. Nam ludorum celebrationes Deorum feſta ſunt, ſiquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes ſunt conſtitutæ: & primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno erant attributa: ludi autem Scenici Libero, Circenſes Neptuno, paulatim vero & ceteris Diis idem honor tribui cœpit, ſingulique ludi nominibus eorum conſecrati ſunt; ſicut Siſinnius Capito in libris Spectaculorum docet. Si quis ſpectaculis intereſt, ad quæ religionis gratia convenitur, diſceſſit a Dei cultu, & ad Deos ſe contulit, quorum natales & feſta celebravit. Ex quibus clariſſimum eſt, initio naſcentis Eccleſiæ Chriſtianis omnibus interdictum, ne ludis intereſſent, quod verum Dei cultum ſpectaculo illo violari certum eſſet. Arnob. libr. 7. *Ludi vero, quos facitis, quibus Floralibus & Megalenſibus nomen eſt, ceterique omnes alii, quos eſſe ſacros voluiſtis, & religionum inter officia deputari, quam rationem habent, quam cauſam, ut inſtitui condique debuerint, & ex numinum appellatione ſignari? Honorantur, inquis, his Dii.*

In iſtis ludis factiones erant, a colorum quadruplici differentia deſumptæ. Mythologica ratio apud Aurel. Caſſiod. libr. 3. Variar. Epiſt. 51. *Colores in vicem temporum quadrifariam funduntur: praſinus virenti verno: venetus nubilæ hiemi: roſeus æſtati flammeæ: albus pruinoſo autumno dicatus eſt. Sic factum, ut naturæ myſteria ſpectaculorum compoſita imaginatione luderentur.* Ita corruptus locus legendus: antea erat, *naturæ miniſteria*, inepte. Solin. cap. 47. *Quidam equi cantibus tibiarum, quidam ſaltationibus, quidam facibus accenſis, quidam colorum varietate ad curſum provocantur.* Poëtæ. Chriſtodorus Copita Thebanus, vetus Epigrammatarius:

> Χρώμασι καὶ πέπλοις συμμετέβαλλε τύχας.
> *Coloribus & pannis commutavit fortunam.*

Corippus Africanus libr. 1. de Laudib. Juſtini Aug. minoris num. 17. quem locum, quia neceſſarium, integrum apponam, uti in mea editione reſtitui:

> *Solis honore novi grati ſpectacula Circi*
> *Antiqui ſanxere patres, qui quatuor eſſe*
> *Solis equos quadam rerum ratione putabant,*
> *Tempora continui ſignantes quatuor anni:*
> *In quorum ſpecie, ſignis, numeriſque modiſque*
> *Aurigas totidem, totidem poſuiſſe colores;*
> *Et fecere duas ſtadia in contraria partes,*
> *Ut ſunt æſtivis brumalia frigora flammis;*
> *Nam viridis vernis campus ſeu concolor herbis*
> *Pinguis oliva comis, luxu nemus omne vireſcit:*
> *Æſtatis roſeus rubra ſic veſte refulgens,*
> *Ut nonnulla rubent ardenti poma colore:*
> *Autumni venetus ferrugine dives & oſtro,*
> *Maturas uvas, maturas ſignat olivas:*

Albi-

Digitized by Google

Albicolor viridi ſocia conjungitur uva,
Æquiparans candore nives, hiemiſque pruinam.

M. Martial. libr. 10. Epigr. 48.

De praſino conviva meus, venetoque loquatur.

P. Ovid. libr. 3. Amor. Eleg. 2.

Jamque patent iterum reſerato carcere poſtes,
Et volat admiſſis diſcolor agmen equis.

Sidon. Apollinar. carm. 23.

. . . . *micant colores*
Albus, vel venetus, virens, rubenſque.

Quod Caſſiodorus attribuit colorum varietatem quatuor anni diverſis tempeſtatibus: alii quatuor elementis. Georg. Cedrenus Compend. Hiſtor. pag. 121. Διεῖλεν τὴν Ῥώμην εἰς μέρη τέσσαρα, εἰς τιμὴν τῶν τεσσάρων στοιχείων, γῆς, θαλάσσης, ἀέρος, καὶ πυρὸς, καὶ ἐπέθηκε τοῖς μέρεσι τὰ ὀνόματα ταῦτα, τῇ γῇ τὸ πράσινον, ὅ ἐστι χλωρὸν, τῇ θαλάσσῃ τὸ βένετον, καθὸ ἀεὶ τὰ ὕδατα κυανὰ, τῷ πυρὶ τὸ ῥούσιον, καὶ τῷ ἀέρι τὸ λευκόν. *Urbem in quatuor partes diviſit, in honorem quatuor elementorum, terræ, maris, aeris, & ignis: impoſuitque partibus hæc nomina, terræ viride, quod eſt herbæ color, mari cæruleum, quia is eſt aquarum color, igni roſeum, aëri album.* Conſentit Florens Tertullianus Caſſiodoro libr. de Spectaculis cap. 6. *Albus hiemi ob nives candidas, ruſſeus æſtati ob ſolis ruborem voti erant.* Poſtea Cedreni ſententiam confirmat: *Praſinum terræ matri vel verno, venetum cælo & mari, vel autumno.* Iſidor. libr. 18. cap. 33. *Praſinus terræ, venetus cælo & mari a paganis eſt dicatus.*

Ab his factionibus oriebantur *ſtudia* varia, in hanc aut illam prona. Plin. libr. 9. Epiſt. 6. *Favent panno, pannum amant, etſi in ipſo curſu, medioque certamine: hic color illuc, ille huc transferatur, ſtudium, favorque tranſibit.* Luctat. Placid. ad libr. 1. Thebaid. v. 423. quod non modo de Romanis moribus, verum etiam de Græcorum ritu accipiendum docet eo loci Statius, quem conſule. Corippus libr. 1. num. 8.

. . . . *ſtudiorum gaudia ſurgunt.*

Eodem libr. num. 9.

. . . . *ſtudiorum jurgia ceſſant.*

Eadem illa ſtudia *favor* appellantur. Plinius Junior proxime laudatus. Ovid. libr. 1. κακοτεχνίας.

. . . . *cui favet illa, fave.*

Et Amor. libr. 3. Eleg. 2.

Favimus ignavo.

Sil. Italicus libr. 16. Punicor.

Hic ſtudio furit acris equi, furit ille magiſtri.

Virgilius libr. 5. Æneid. *ſtudia faventum* vocavit. Veteres Inſcriptiones paſſim, qualis illa in Eutychetis aurigæ monimento. (1)

Favi-

(1) Apud Gruter. pag. 340. num. 4.

Digitized by Google

Faviſti. vivo. forſitan. ipſe. mihi.

Et in alio marmore de Fuſco auriga. (1)

Factionis. venetæ. Fuſco. ſacravimus. aram.
De. noſtro. certi. ſtudioſi. ac. bene. amantes.

Hæc ſtudia favorque accendebantur maxime ſponſionibus, de quibus non obſcura in antiquitate veſtigia. Vetus Scholiaſtes Juvenalis ſat. 11. v. 199. *Juvenibus ſpectacula concede, qui propter certamina ſponſiones ponunt, & delectat eos juxta puellas ſpectare, quia antiquitus ſolebant mulieres cum viris omnibus ſpectaculis intereſſe indifferenter*. Tertullian. libr. de Spectacul. cap. 16. *Aſpice populum ad id ſpectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuoſum, jam cæcum, jam ſponſionibus concitatum*. Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 17. *Nec moratus ſponſione contendit*. Sponſio iſta fiebat depoſita præſenti pecunia. Hadrian. Turneb. libr. 8. Adverſarior. cap. 4. & libr. 18. cap. 33. P. Ovid. libr. 1. de Arte, etiam per libellum in ſponſiones itum oſtendit:

Dum loquitur, tangitque manu, poſcitque libellum,
Et, quærit poſito pignore, vincat uter.

M. Martial. libr. 11. Epigr. 1.

Sed jam ſponſio fabulæque laſſæ
De Scorpo fuerint, vel Incitato.

Quod ſi præſentanea non fuiſſet pecunia, annulos deponebant. Ulpian. J.C. l. 17. ff. de præſcript. verb. *Si inhoneſta ſponſionis cauſa erit, annuli dumtaxat repetitio erit*. Denique tantus erat faventium ardor, ut plerumque ad ſeditionem res ſpectare videretur. Paul. Varnefrid. libr. 4. de Geſt. Longobardor. cap. 37. *Hujus tempore praſini & veneti per orientem & Ægyptum civile bellum faciunt, ac ſe mutuo proſternunt*.

Quatuor iſti, quos memoravi colores, uſque ad ævum Veſpaſianorum permanſerunt; tum vero Domitianus duos addidit: *pannum aureum, & purpureum*, ut loquitur Suetonius in eo cap. 7.

Etru-

(1) Apud Gruter. pag. 339. num. 4.

Etruſcorum inventum ludii, ſive hiſtriones: planipedes, moriones, gelaſini, geletopi, copreæ, & pantomimi: præmia iis, & corona data: ſcholæ geſticulatorum.

CAP. LXXII.

Conſequens certe erat, ut Romani ludorum celebritatem a Lydis, hoc eſt Etruſcis mutuati, uti jam pleniſſime oſtenſum, ab iisdem etiam ſcænicos artifices acciperent. Vide libr. 1. cap. ult. ibi enim Hiſter, ideſt Ludius dicitur. P. Ovid. libr. 1. de Arte:

Dumque rudem præbente modum tibicine Tuſco
Lydius æquato ter pede pulſat humum.

Q. Tertullian. libr. de Spectacul. cap. 2. *Igitur in Etruria inter ceteros ritus ſuperſtitionum ſuarum, ſpectacula quoque religionis nomine inſtituunt: inde Romani accerſitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem, ut Ludi a Lydis vocarentur.* Quæ verba more ſuo tranſcripſit Iſidorus libr. 18. cap. 16. ſed corruptiſſima. Vide ſuperiori capite. Ex Etruria itaque artifices iſti petebantur, manſeruntque aliquo nomine in ludis Romanis uſque ad tempora Tiberii Auguſti, qui *de immodeſtia hiſtrionum retulit*, ut ait C. Tacitus libr. 4. Annal. *multa ab iis in publicum ſeditioſe, fœda per domos tentari: pulſi tum hiſtriones Italia.* Non ſemper Latine loquebantur iſti, ſed vel Oſce, vel Græce, vel Latine, ut alibi hoc opere docui. Addo Tacitum libr. 14. Annal. *Non nobilitas cuiquam, non ætas, non acti honores impedimento, quo minus Græci Latinive hiſtrionis artem exercerent, uſque ad geſtus modoſque haud viriles.* Elegantiſſimus locus eſt apud eundem auctorem paulo poſt in laudato libr. 14. *Majores non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis, pro fortuna, quæ tum erat, eoque accitos e Tuſcia hiſtriones.* Subſcribit T. Livius, Antiquitatis Romanæ diſertiſſimus arbiter, & hiſtoriæ callentiſſimus libr. 7. Decad. 1. principio: quæ verba adſcribam: *Pacis Deum expoſcendæ cauſa, tertio tum poſt conditam urbem lectiſternium fuit, & cum vis morbi nec humanis conſiliis, nec ope divina levaretur, victis ſuperſtitione animis, ludi quoque ſcænici, nova res bellicoſo populo, (nam circi modo ſpectaculum fuit,) inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur. Ceterum parva quoque, ut fere principia omnia, & ex ipſa peregrina res fuit, ſine carmine ullo: ſine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos ſaltantes haud indecoros motus more Tuſco dabant: imitari deinde eos juventus ſimul incondıtis inter ſe jocularia fundentes, verſibus, cœpere; nec abſoni a voce motus erant. Accepta itaque res, ſæpiuſque uſurpando excitata, vernaculis artificibus, quia Hiſter Tuſco verbo Lu-*

bo Ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum, qui non ſicut ante Feſcēnino verſu, ſimilem incompoſitum temere ac rudem alternis jacebant, ſed impletas modis ſatyras, deſcripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Ex his tribus Hiſtoricorum probatiſsimorum locis, & auctoritate Poëtæ antiquiſſimi, & Grammatici non contemnendi, jam allata, patet liquido, turpiter erraſſe Feſtum Pompejum libr. 8. *Hiſtriones* inquit, *dicti, quod ex Hiſtria venerint*. Delirium apertum; quippe eo ſeculo, quo hiſtrionica primum in urbem recepta, ignotum Hiſtriæ nomen, neque ullum cum gente tam longinqua commercium. Favet laudatis Valerius Maximus, cujus verba paulo infra hic vide. Sed qui illi fuerint, explico.

Hiſtriones erant, qui in ſcæna fabulas agebant: indecoris motibus res exprimebant turpes: ad numeros ſaltabant: ſive, qui *hiſtrionicam exercebant*, ut loquitur Paulus J.C. l. 73. M. Tullius in Parodoxis. *Hiſtrio ſi paulo ſe moveat extra numerum, aut verſus pronuntiatus eſt una ſillaba longior, aut brevior, exibilatur*. Gloſſ. Vet. *Ludio*, σατυριστής. Perite; nam ſatyræ tum nullæ, ſed ludionum facetiæ, & ſales protervi civium taxandis vitiis inſerviebant. Erant ex ſervorum genere, & ante pubertatem artem profiteri diſcebant. Venulejus J.C. l. ult. §. fin. ff. de libr. cau. *Impubes poteſt operas dare, ſi ſit hiſtrio*. Et Ulpianus J.C. l. 7. §. dabitur ff. oper. libertor. tradit, *impuberis etiam miniſterium eſſe, ſi ſit hiſtrio*. Plura exempla in Jure.

Ludiones iſti idem cum *pantomimis*. Vet. Gloſſ. *Hiſtrio*, παντόμιμος: & exemplis probatur; nam *Mneſter pantomimus* audit apud L. Senecam in Apocol. & Sueton. Calig. cap. 36. Domitian. cap. 10. Ulpian. J.C. l. 3. ff. de condict. cau. da. eundemque idem Suetonius in Nerone cap. 24. & Tacitus libr. 13. Annal. *hiſtrionem* appellant. Nomen pure Græcum eſt, inde ſumptum, quod & ſaltaret, & imitaretur res quaſcumque. Lucian. libr. περὶ ὀρχήσεως, *de ſaltatione*, quo quidem nomine intelligendus eſt ibi ὀρχηστής, *ſaltator*. Macrob. libr. 2. Saturnal. cap. 7. *Saltabat Hylas Oedipodem*. Quintilian. libr. 6. cap. 2. *Fruitione uſus Auguſtus de pantomimis duobus, qui alternis geſtibus contendebant, cum eorum alterum ſaltatorem dixit, alterum interpellatorem*. Juvenal. ſatyr. 6. v. 64.

Chironomon Ledam molli ſaltante Bathyllo
Tuccia veſicæ non imperat.

Lucillius libr. 2. Antholog. & ex eo Auſonius Epigr. 83.

Idem qui Nioben ſaltavit ſaxeus.

D. Cyprian. libr. 2. Epiſt. 2. *Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum, non magis regno, quam vitiis principem, terrenos amores ardentem, nunc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere*. Vetus lapis (1)

M. AVR.

(1) Apud Gruter. pag. 330. num. 3. in baſi.

M. AVR. AVG. LIB.
AGILIO. SEPTENTRIO
NI. PANTOMIMO. SVI
TEMPORIS. PRIMO. SACERDO
TI. SYNHODI. APOLLINIS. PA
RASITO. ALVMNO. FAVSTINAE
AVG. PRODVCTO. AB. IMP. M.
AVREL. COMMODO. ANTONI
NO. PIO. FELICE. AVGVSTO
ORNAMENTIS. DECVRIONAT
DECRETO. ORDINIS. EXORNATO
ET. ALLECTO. INTER. IVVENES
S. P. Q. LANIVINVS

A latere dextro baſis.

... IBVS. COMMODAS
.... ELIANO . CoS

Sed quando primum Romæ producti ludiones, diſceptatum video; nam Suidas gravis Auctor in voce Ἀθηνόδωρος: Τοῖς χρόνοις ἐκείνοις καὶ ἡ Παντόμιμος ὄρχησις εἰσήχθη μὴ πρότερον οὖσα. *Iis temporibus quoque*, ſcilicet ſub Tiberio Cæſare, *pantomimorum ſaltatio introducta eſt*, *ante non uſitata*. Quod falſiſſimum eſſe oportet; nam libera Republica notiſſimum eſt nomen *Roſcii & Æſopi* ex Cicerone, Horatio, & aliis: quin imo ævo Auguſti *Pylades & Bathyllus* pantomini in pretio, ut vel ex ipſo Suida colligere licet: cujus verba in voce ὄρχησις, quia corrigenda, apponam: eoque lubentius, quod Hieronymum Volfium interpretem fugerit mendum. Ὄρχησις πάντιμος, αὐτὴν ὁ Αὐγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε, Πυλάδου καὶ Βαθυλλίδου πρῶτον αὐτὴν μετελθόντων. Ubi pro πάντιμος lege παντόμιμος, & ſenſus erit perſpicuus. *Saltatio Pantomima, hanc Cæſar Auguſtus invenit, tractatam prius a Pylade & Bathyllo*. Juvenal. proxime ſupra citatus. Non conſtat ſibi Suidas, & modo tempore Tiberii introductam comminiſcitur, modo ab Auguſto inventam artem hanc ſcenicam prodiit, modo ante eum Pyladem & Batyllum eam exercuiſſe, nec unquam ſibi conſtat. Certe igitur anno Urbis Conditæ 389. C. Sulpitio Bætico, C. Licinio Stolone Coſſ. ab Etruria ludiones accerſitos retulit ſupra laudatus Livius, & obſervavit Joannes Cuſpinianus in Chronicon Caſsiodor. pag. 159. cui addendus Valerius Maximus libr. 2. cap. 4. tit. 4. Verba adſcribam, quia conſona: *Parvula initia*, inquit, *pertinaci ſtudio proſequens venerabilibus erga Deos verbis iuventus, rudi atque incompoſito corporum motu, jocabunda geſtus adjecit. Eaque res Ludium ex Etruria accerſendi cauſam præbuit: cujus decora pernicitas vetuſto ex more Curetum, Lydo-*

rumque, a quibus Etruſci originem traxerunt, novitate grata Romanorum oculos permulſit. Et quia Ludius apud eos Hiſtrio appellabatur, ſcænico nomen hiſtrionis inditum eſt.

Iſti laſcivis motibus, ut jam dictum, impudicorum mores repræſentabant, oculis, digitis, nutibus. Terentian. Maurus libr. de Metris ex C. Petronio:

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

Sidon. Apollinar. carm. 23.

Clauſis faucibus, & loquente geſtu.

M. Manil. libr. 5. Aſtronom.

Alternis tamen aptus erit nunc voce poetis
Nunc ſaturo geſtu, referetque affatibus ora,
Et ſua dicendo faciet, ſoluſque per omnes
Ibit perſonas, & turbam reddet in uno,
Aut magnos heroas aget, ſcæniſque togatas,
Omnes fortunæ vultus per membra reducet,
Æquabitque choros geſtu, cogetque videre
Præſentem Trojam, Priamumque ante ora cadentem.

Hinc certe factum, ut ars eſſet loqui per digitos, de qua Poëtæ. Ovid. Epiſt. Helenæ Paridi:

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa ſupercilio pæne loquente dari?

Idem libr. 1. Amor. Eleg. 4. libr. 3. Amor. Eleg. 10. libr. 1. de Arte, libr. 2. Amor. Eleg. 5.

Sermonem agnovi, quid non videatur? agentem,
Verbaque pro certis viſa valere notis.

Caſtigatus in MS. Codice meo:

Sermonem agnovi, quid non videatur, amanti?
Verbaque pro certis juſſa valere notis.

Locus elegans eſt Q. Ennii in Annalibus, ut vult Iſidorus libr. 1. Etymologiar. cap. 25. licet Feſtus libr. 1. in voce *adnictat*, adſcribat Nævio in *Tarentilla*:

Datatim dat ſe ſe, & communem facit,
Alii tenet, alii adnictat, alibi manus
Eſt occupata, alii pervellit pedem,
Alii dat digito literas.

Incertus Poëta, ſed elegans libr. 4. Epigrammatum pag. 157. & poëmation veterum(1), lemma eſt PANTOMIMVS, ubi docet hiſtriones veſtibus muliebribus indui ſolitos:

Maſcula femineo derivans pectora ſexu,
Atque aptans lentum ſexum ad utrumque latus,
Ingreſſus ſcænam populum ſaltator adorat,

Soler-

(1) Editionis Pariſienſis 1590. cui titulus: *Epigrammata, & Poëmatia vetera.*

Solerti pendet prodere verba manu.
Nam cum grata chorus diffundit cantica dulcis,
Quæ reſonat cantor, motibus ipſe probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adſtat,
Illuſtrat verum, cuncta decora replet.
Tot linguæ, quot membra viro: mirabilis eſt ars,
Quæ facit articulos voce ſilente loqui.

Eosdem *mimos*, *mimarios*, *ſcurras* dixere Scriptores. Jul. Capit. in Ælio Vero: *Adduxerat ſecum & tibicines, & fidicines, & hiſtriones, & mimarios ſcurras, & præſtigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria paſcitur voluptate, prorſus ut videretur bellum non Parthicum, ſed hiſtrionicum confeciſſe*. Joan. Saresber. libr. 1. Policrat. cap. 8. *Deſidiam prorogant hiſtriones, exoccupatis etenim mentibus ſurrepunt tædia, ſeſeque non ſuſtinerent, niſi alicujus voluptatis ſolatio mulcerentur. Admiſſa ſunt ergo ſpectacula, & infinita tirocinia vanitatis, quibus qui omnino otiari non poſſunt, perniciosius occupentur: hinc Mimi, Salii vel Saliares, balatrones, Æmiliani, gladiatores, paleſtritæ, gignadii, præſtigiatores, malefici quoque multi, & tota joculatorum ſcæna procedit*. Qui vero *Æmiliani* ſint, & *gignadii* in ſcæna? quæratur. *Scurram* Gloſſ. Vet. exponit ὀρχιστὴν, & *ſcurrari* ὀρχίζειν. Scurra idem certe ac paraſitus. Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad Sat. 5. v. 4. Auſon. Epiſt. 13. Plaut. Menæchmis ſc. *Sportulam:* & in Perſa ſc. *Veterem:* & in Captivis ſc. *Juventus*. C. Lucilius apud Feſtum libr. 17. in voce *ſcurra*. Sed & iſti *Deorum paraſiti* vocati. D. Auguſtin. libr. 6. Civit. Dei cap. 7. *Paraſitos Jovis & mimica ſacra*. Martial. libr. 9. Epigr. 29. Et vetus Inſcriptio (1) in qua & *Archimimi* mentio: uti apud Plutar. Sylla ad finem. Σῶριξ ὁ ἀρχιμῖμος. *Sorix Archimimus*, pag. 474.

L. ACILIO. L. F. POMPT. EVTYCHAE
NOBILI. ARCHIMIMO. COMMVN. MIMOR
ADLECTO. DIVRNO. PARASITO. APOLL. TRAGICO
COMICO. PRIMO. SVI. TEMPORIS. &c.

Mimi hi etiam appellati *Urbani*, & alio nomine *Sanniones*. Non. Marcell. cap. 1. num. 302. Cornutus Grammaticus, ſeu verius Pſeudocornutus ad A. Perſii Satyr. 1. v. 72. *Tria ſunt genera ſannarum*. D. Juvenal. Satyr. 6. v. 301. M. Cicero libr. 2. de Oratore: *Quid porro tam ridiculum, quam ſannio eſt? qui ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipſo*. Igitur ab effectu Græci γελωτοποιὲς dixere. Dio Coccejanus libr. 73. non multum a limine, quod riſum ſcilicet excuterent ſpectatoribus, iidemque *gelaſiani*, ſive *gelaſini*. Sidon. Apollinar. Carm. 23. v. 302.

Quid dicam cithariſtrias choraules,

 Mi-

(1) Apud Gruter. pag. 330. num. 1. ſed integrius pag. 1089. num. 6.

Mimos, ſchænobatas, gelaſianos.

Et quia larvati plerumque ludebant, dicti ὑποκριταὶ, & *Hiſtrionica* ipſa *ars* ὑπόκρισις. Jul. Pollux libr. 4. cap. 17. Onomaſt. ubi plura vide. P. Apollon. Collatius Excid. Hieroſolymit. libr. 1.

Larvatoſque inter geſtu contendere mimos.

Hos domi *Copreas* nuncupavere. Sueton. in Tiberio cap. 61. Et in Claudio cap. 8. quibus locis depravatiſſime legitur *capreis* aut *tropeis*. Hadrian. Turneb. libr. 22. Adverſar. cap. 32. Delirant Antonius Sabellicus, & Philippus Beroaldus, qui *capreas* inſulæ Caprearum cives interpretantur: nec Marcellus Donatus Comes non fallitur Annot. pag. 639. qui *tropæis* legit.

Denique *moriones* audiebant. C. Plin. libr. 9. Epiſt. 17. *Quereris tibi tædio fuiſſe quamvis lautiſſimam cœnam, quia ſcurræ, moriones, cinædi, menſis inerrabant*. Erant autem, qui ſtuporem quendam fingentes, admirationem concitarent. Martial. libr. 14. Epigr. 210. Corrigendus Ennodii Ticinenſis locus in Epigrammatis:

Cur te Virgilium mentiris, peſſime, noſtrum?
Non potes eſſe Maro, ſed potes eſſe Moro.

Andreas Scottus, vir doctiſſimus, quem vide, legendum putat:

Non potes eſſe Maro, Μωρὸς *at eſſe potes.*

Qui plura de hiſtrionibus cupis, eorumque geſticulationibus, adi ad Commentarium meum in illud Cl. Claudiani de Manlii Conſulatu:

Nec molles egeant noſtri dulcedine ludi
Qui lætus riſum ſalibus moviſſe facetus,
Qui nutu, manibuſque loquax.

Illud non omiſerim, corruptis jam moribus, pleroſque etiam ex nobilioribus, qui pantomimis in diſciplinam ſe traderent. L. Seneca Epiſt. 47. *Oſtendam nobiliſſimos juvenes mancipia pantomimorum:* eoſdemque appellat *ſcenæ peritos* Epiſt. 121. licet Turnebus libr. 26. Adverſarior. cap. 20. legat *ſaltationis peritos*, nihil intereſt. Idem libr. 7. Nat. Quæſt. cap. ult. *Quanta cura laboratur, ne cujus pantomimi nomen intercidat? Stat per ſucceſſores Pyladis & Bathylli domus: harum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores, privatim urbe tota ſonat pulpitum: in hoc viri, in hoc feminæ tripudiant, mares inter ſe uxoreſque contendunt, uter det latus illis*. Fortaſſis legendum foret: *mariti inter ſe uxoreſque contendunt*. Quæ corruptela eo uſque proceſsit, ut legibus in id latis opus eſſet; quare lege ſevera cautum tradit C. Tacitus libr. 1. Annal. *Ne pantomimorum domum Senator introiret*.

Ut ſemel abſolvam, data magnifica præmia geſticulatoribus iſtis, & coronæ. Arnob. libr. 4. Cont. Gent. ad finem. *Nec ſatis hæc culpa eſt, etiam mimis & ſcurrilibus ludicris ſanctiſſimorum perſonæ interponuntur Deorum. Et ut ſpectatoribus vacuis riſus poſſit atque hilaritas excitari, jocularibus feriuntur cavillationibus numina, conclamant atque aſſurgunt theatra, caveæ omnes conſtrepunt fragoribus atque plauſibus. E quod nul-*

lis

Digitized by Google



Peruſiæ In Marmore Apud Nobiles De Meniconis.

lis poſſit ſatisfactionibus expiari, exoletis, atque irriſoribus numinum dona inſtituantur & munera, ab officis otium publicis, immunitas & vacatio cum coronis. Duplex itaque præmium hiſtrionibus, unum ante ludos pactum, alterum a grato populo datum, in eo etiam pretioſa nonnunquam conceſſa. Jul. Firmicus Siculus Junior Romæ advocatus libr. 8. Mathemat. cap. 20. *Tertia pars tauri ſi in boroſcopo fuerit inventa, celebres faciet ſcænicos, qui in ſacris certaminibus conſtituti, pulcherrima conſequentur coronarum inſignia.* Philonis Judæi locum pulcherrimum laudat ad Arnobii 4. Deſiderius Heraldus vir doctiſſimus, quem non exſcribo, eſt enim in aureo illo opere de Legatione ad Cajum. Erant hæ coronæ *ex auro argentoque foliis intextis:* quam luxuriam M. Craſſus dives invexit. C. Plin. libr. 21. cap. 3. putantque viri docti easdem eſſe *Lemniſcatas*, e quibus ſcilicet vittæ ſeu lemniſci dependeant. Conſule Criticos, & præcipue Hieronymum Magium, qui libr. 2. cap. 17. tradit eſſe *laniſcas*, quaſi e lana confectas. Quidquid ſit, certe immodicum hunc luxum, circa ludos præmiaque hiſtrionum temperavit modo adhibito Alexander Severus Aug. Æl. Lamprid. in eo. (1)

Etruſcorum inventum equi jugales in ludis: victores abſinthium bibebant: & quis quadrigæ ſit auctor: equi nobiles.

CAP. LXXIII.

Lydi, Etruſcorum parentes, equorum fuere ſtudioſiſſimi, ut ſcribit Philoſtratus Junior Iconum libr. 1. in Pelope pag. 757. Duravit certe iis hæc præcipua cura uſque ad Romanorum tempora, qui ab illis uti ludicrum ipſum, & hiſtriones, ita equos curules ſunt mutuati. Tit. Liv. 1. Decad. libr. 7. *Ludicrum fuit, equi pugileſque ex Etruria maxime acciti.* C. Tacit. libr. 14. Annal. *Majores quoque non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis, pro fortuna, quæ tum erat, eoque a Tuſcis accitos hiſtriones, a Tuſcis equorum certamina, & poſſeſſa Achaja Aſiaque ludos curatius editos.* Ita optima lectio: in aliis editionibus eſt, non *a Tuſcis*, ſed *a Thuriis:* inepte ſane, quippe rudi ævo illo, quo ludi inſtituti, Thurii incogniti, ne dicam Romanis inauditi; cum Tuſci vicini, & ob id, qui ludos communicaverant, etiam equorum curulium exemplum conferre finitimis non gravate potuerunt. Sunt Thurii *una ex Italicis civitatibus* in remotiſſimo Magnæ Græciæ tractu. Joan. Tzetz. Chiliad. 5. cap. 34. E Tuſcia igitur

(1) Saltationis Etruſcæ extat exemplum in anaglypho ſepulcrali, hic appoſito.

tur petebantur, erantque *Corithii* in uſu rudi illo ſeculo. Locus paucis animadverſus eſt apud Juvenalem, Satyr. 8. v. 57.

Quis generoſa putet, niſi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, & exultat rauco victoria circo,
Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis:
Sed venale pecus Corithæ, poſteritas &
Hirpini, ſi rara jugo victoria ſedit.

Ad quæ verba vetus quidam Anonymus MS. qui penes me eſt, ita ſcribit: *Denotat equos Tuſcos ex Coritha civitate, qui velociſſimi, & omnibus Italicis præſtantiores, ideoque triumphantes eo utebantur equorum genere.* Quadrigarum autem agitatores in Capitolio, ubi victoria eſſent potiti, *abſinthium jubebantur bibere, ſanitatem præmio dari honorifice arbitratis majoribus;* ut loquitur C. Plinius libr. 27. cap. 7. & tranſcripſit Pierius Valerianus libr. 58. Hieroglyphic. pag. 612. Populo certe *viſceratio* dabatur *in monte Albano*. Vide Alexandrum Alexandrium libr. 5. cap. 7. & in eum locum Andream Tiraquellum. M. Varro in Quinquatribus apud Nonium cap. 4. num. 279.

Abſinthium uti bibam gravem & Caſtoreum
Levemque robur.

Indoctus auctor de Herbis meminit, qui a ſciolis in Germania prodiit ſub nomine Æmilii Macri, qui vivebat ætate Auguſti celebris famæ medicus, cum hic paſſim Plinium Galenumque laudet, atque etiam Valafridum Strabum, qui non potuiſſent a vero Macro laudari, ut taceam multa in iſto eſſe indigna ævo Latino; utcumque ita hic auctor, in futili editione Joannis Atrociani:

Plinius attollit magnis hanc laudibus herbam,
Romanoſque refert ſacris ex more diebus,
Dum quadrigarum curſus certare ſolebant
Abſinthi ſuccum ſolitos donare bibendum
In Capitolina victori ſede locato,
Credentes pretium præ cunctis reddere dignum
Illi, quo firmam poſſent donare ſalutem,
Quæ conſtat mundi pretio pretioſior omni.

Verum de auctore quadrigæ ambigitur. Gloſſarium Iſidori, *adſella ſella quadrijugis*. Sunt qui putent, Palæphatum ſecuti, id eſſe Athenienſium inſtitutum, & quidem Erichtonium auctorem aſſerunt. Virgil. libr. 3. Georg.

Primus Eriobthonius currus, & quatuor auſus
Jungere equos.

Hinc ſupplendum cenſui Corippi locum e libr. 1. num. 18.

Cecropidem referam primas junxiſſe quadrigas,
Et currus armaſſe novos.

Ce-

Cecrops primus Athenienſium Rex, cui Cranaus ſucceſſit, ille ab Amphyctione vi regno pulſus, atque huic Erichthonius ſucceſſit, quem alium ab Erichthonio quidam falso faciunt. Pauſan. Atticis. Hic Vulcano & Minerva genitus, ſeu verius effuſo in terram a Vulcano ſemine. Euripid. Jone: Julianus Aug.

Μήτηρ ἄνευ τέκνων, νύμφη ἄνευ γάμων.

Mater ſine liberis, ſponſe ſine nuptiis.

Educatus clam a Minerva in ciſta, pedes habere ſerpentinos eſt repertus, ut retulit Julius Hyginus in Aſtronomicis, ubi *de Auriga*. Quare ita etiam poſſe Corippum ſuppleri exiſtimavi:

Anguipedem referam.

Ut prima lectio Regem ſignificet, poſterior educationis admoneat: ſiquidem *ad velandam deformitatem*, ait Plinius libr. 7. cap. 56. *quadrigam invenit*. Et ex eo Iſidorus libr. 18. Etymologiar. cap. 34. Concors eſt ſcriptorum multorum pro eo conſenſus. Legendi Ado Viennenſis Chronico pag. 24. Fr. Laziardus Supputation. cap. 21. *Triptolemum facit quadrigæ inventorem*. Martianus Heracliota v. 563. Freculphus Lexonienſis Epiſcopus tom. 1. libr. 2. cap. 11. licet idem ſibi non conſtans eodem libro cap. 6. velit, quadrigas inventas *a Trochilo*: qui deceptus ſane; nam non quadrigam ille, *ſed currum Junoni primus dedicavit*, ut emendat Paulus Leopardus libr. 1. cap. 15. Meminit hujus Theon Sophiſta, & Pauſanias, uti notat eruditus Pamelius ad Tertulliani librum de Spectac. cap. 9. ubi antea male *Acropilus*, aut *Prophilus* legebatur; ut referunt Sigiſmundus Gelenius, & Cagnæus. Cur autem de Erichthonio id creditum, explicat Joannes Tzetzes Hiſtoriar. Chiliad. 3. cap. 63.

. . . . Ἐριχθόνιον βασιλῆα

Τοῦ τρισχίλιαι ἵπποι ἕλεος κατὰ βουκολέοντο

Πᾶσαι θήλειαι.

. . . . *Erichtonium Regem*

Cujus tres mille equi juxta ſaltum paſcebantur

Omnes feminæ.

Feminas itaque omnes facit Homerus, quia illæ velociores, & lotium currentes emittunt. Rerum naturalium ſcriptores. Dixi fuſiſsime libr. 5. Antiquitat. Romanar. cap. 5. Joſephus Scaliger in Euſebii Chronicon pag. 26. laudato Hygino in Aſtronomicis, putat locum Corippi laudatum ita ſupplendum:

Orſilochum referam primas junxiſſe quadrigas.

Quidquid ſit, indubitatum eſt, *apud Græcos tantum* hanc Erichthonii, Trochili, aut Orſilochi *inventionem valuiſſe*. Cœlius Rhodigin. libr. 13. cap. 7. *Cum Romulus Romæ primus quadrigam oſtenderit;* ut loquitur Tertullianus loco proxime ſupra laudato: atque ille exemplum artis a Tuſcis petierat, apud quos Vejentes peritia illa clari, uti narrant Plutarch. in Publicola, & C. Plin. libr. 8 cap. 42. Eruditiſsimus Jo: Savaro ſupplet: *Oenomaum referam*. Sidon. Carm. 2. *... re-*

. . . . reparatis Piſa quadrigis.
Suſcitat Oenomaum.

Idem Carm. 23. v. 391. Luctat. Placid. ad libr. 1. Thebaid. v. 275. Ipſe Statius libr. 4. Thebaid. v. 243. libr. 6. v. 285. libr. 7. v. 416. Et libr. 1. Sil. 2. Claudian. de laudib. Serenæ:

Perdidit Oenomai deceptus Myrtilus axem.

Pindar. Od. 1. Olymp. Sed illi omnes celebrem Oenomaum aurigandi peritia aſſerunt: quadrigæ inventorem nemo, quod ſciam, facit. Itaque a Romulo & Vejentibus devictis acceptus hic mos, quadrigis in ludis certandi, duravit uſque ad exciſum a barbaris imperium. Unicum locum Claudiani corrigam e ſexto Honorii Conſulatu ad finem:

Nec ſolis hic curſus equis, aſſueta quadrigis
Cingunt arva tigres.

Nec ſenſus conſtat, nec ritus intelligi poteſt; nam vult cum curulibus certantibus etiam ferarum venationes editas; idcirco reſtitue:

Nec ſolis hic curſus equis, aſſueta quadrigas
Cingit rava tigris.

Quemadmodum ſuperiori capite oſtendi, quatuor circenſium colores anni quadruplicem ſignificare varietatem, ita *totius anni metas temporum quadriga percurrit*, ut ait Petrus Ravennas Serm. 87. Corippus libr. 1. num. 18. Aurel. Caſsiodor. libr. 3. Epiſt. 51.

Nunc ad equos pergo, qui quadrigis juncti *Curules* vocati. Vet. Gloſſ. *curulis equus* τροχηλάτης ἵππος: & rurſus, *equus curulis*, ἵππος δρομεὺς: & rurſus *curulis equus*, σὺν ἅρματι ἀγωνιζόμενος ἵππος. Eſſe autem eoſdem cum Circenſibus, aliorum præoccuparunt obſervationes. Feſtive L. Apulejus, ut cetera, libr. 4. Mileſiar. princ. *Curſu me concito proprio, ut hercule ipſe ſentirem, non aſinum me, verum etiam equum curulem nimia celeritate refectum.* Theodoſius & Valentinianus Augg. l. 21. Cod. Theod. de diverſ. offic. *Thymelæ equorumque curulium diverſarum civitatum.* Iidem l. 22. Cod. eod. tit. *Actuarios quoque Thymelæ & equorum curulium.* Honorii Aug. eſt reſcriptum l. 3. Cod. Theodoſ. de Spectacul. *Nemo judicum ex quacumque civitate in aliud oppidum, vel ex provinciæ ſolo equos curules, aurigas cives tentet traducere.* Ex his patet, male legi in reſcripto eorundem Cæſarum Theodoſii & Valentiniani l. 7. C. de numer. actuar. libr. 12. *equos curiales;* cum legendum ſit, *equos curules.* Q. Symmach. libr. 4. Epiſt. 60. *Quadrigarum curracium nobilitas præparanda eſt.* Sed bene Pithæi Codex, *quadrigarum curulium nobilitas.* Equos ſane iſtos præſtigiis magicis debilitabant, incitabant: atque illæ artes magorum παίγνια, *artes ludicræ* audiebant. Irenæus apud Epiphanium Hæreſi 34. Arnobius libr. 1. Adverſ. Gent. *Magicarum artium ludi mortiferam immittere, quibus libuerit, tabem, aut familiarum dirumpere caritates, aut ſine clavibus reſerare quæ clauſa ſunt, aut ora ſilentio vincire, aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare.* Exemplum perappoſitum apud D. Hieronymum Epiſtola de D.

Hila-

Hilarione. D. Ambroſ. Apolog. David cap. 9. *Plerique equorum cum ceciderint, ſe jactare conſueverunt, & quos caſus non læſerit, jactando ſe debilitant, & frangunt: alii, qualis Græcorum equorum fertur natura, cum in certamine curuli eliſi fuerint, vel fortuito ceciderint, nequaquam ſe movere conſuerunt, & quandam tenent quietis & patientiæ diſciplinam.* Itaque equi & debilitabantur incantamentis, & cadebant: alii anteibant, prout carminum potentia aurigæ valerent. Aurel. Caſsiodor. libr. 3. Epiſt. 51. *Modo agitatores arte ſuperans, modo equorum celeritate tranſcendens, frequentia palmarum eum dici faciebat maleficum, inter quos magnum præconium videtur ad talia crimina pervenire. Neceſſe eſt enim ad perverſitatem magicam referri, quando victoria equorum curſibus & meritis non poteſt applicari.* Petrus Broſſeus J.C. & Dionyſius Gothefredus animadverterunt. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius l. 9. C. de Malefic. & Mathemat. *Quod ſi quiſquam ex agitatoribus, id eſt aurigis, ſeu ex quolibet alio genere hominum contra hoc interdictum venire tentaverit.* Quo in reſcripto ſuperfluum eſt illud, *ideſt aurigis*; quippe quod gloſſema e margine irrepſit: expungendum eſſe admonuit Rænardus. Ammianus Marcellin. libr. 26. princ. ſcribit: *Apronianum præfectum urbi, capitali ſupplicio damnaſſe Hilarium aurigam convictum ac confeſſum, vix dum pubeſcentem filium ſuum venifico tradidiſſe docendum artium nefariarum ſecreta legibus interdicta, ut nullo conſcio adminiculis juvaretur internis.* Idem libr. 28. *Alius ſi creditorem ſuum flagitare animadvertit moleſtius debitum, ad aurigam confugit audentem omnia prælicenter, eumque ut veneficum curat urgeri.* Verum hac faſcinatione magica, in quadrigarum curſibus, omiſſa, ad equos ipſos redeo, & quædam neceſſaria attingo.

Equi iſti curules vel Tuſci erant, primis, ut dixi, ſeculis, & paupere republica; poſtea vero Hiſpani. Edictum eſt Valentiniani, Valentis, & Gratiani A. A. A. Tit. *de equis curulibus*. Cod. Theodoſ. *Equos vero Hiſpani ſanguinis vendendi ſolitam factionariis copiam non denegamus.* Notat ex Symmacho ſuo paſſim eruditiſſimus Fr. Juretus: ego aliquot loca adſcribam libr. 4. Epiſt. 64. *Qui potiſſimos Iberorum nobilitate prævertunt.* Idem libr. 7. Epiſt. 105. & Epiſt. 106. *Coëmptioni equorum ex Hiſpania celeritas admonenda eſt.* Et libr. 9. Epiſt. 12. *Ex omnibus gregibus, quibus pollet Hiſpania, lectiſſimos genere & velocitate præſtantes edecumes.* Et eodem libro Epiſt. 18. *Ad Hiſpanias miſimus, quibus equorum curulium mandavimus emptionem.* Et Epiſt. 19. *Quapropter ad Hiſpanias fideliſſimos cum copioſis ſumptibus miſimus, ut generoſas quadrigas ſub diligentiſſima electione mercentur.* Et Epiſt. 20. *Miſſurus igitur ad Hiſpanias meorum aliquos, qui curules quadrigas ex omni gregum nobilitate mercarentur.* Vide ejuſdem libri Epiſtolam 23. & alibi. Et quia equi iſti ibi provinciæ abundantes, & ſupra alios Europæ veloces, inolevit fabula, Favonio vento flante equas concipere. C. Plin. libr. 8. cap. 42. *Conſtat in Luſitania circa Olyſipponem oppidum, & Tagum am-*

amnem, equas Favonio flante obverſas, animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri, & gigni perniciſſimum. M. Varro apud Servium ad libr. 3. Georgic. & ipſe Virgilius:

Vere magis, quia vere calor redit oſſibus, illæ
Ore omnes verſæ in Zephyrum, ſtant rupibus altis
Exceptantque leves auras, & ſæpe ſine ullis
Conjugiis vento gravidæ, mirabile dictu.

Jul. Solin. cap. 26. *In proximis Olyſipponis equæ laſciviunt mira fœcunditate; nam ſpirante Favonio vento concipiunt, & ſitientes viros, aurarum ſpiritu maritantur.* Idem cap. 47. *Edunt equæ ex ventis conceptos, ſed hi numquam ultra triennium ævum trahunt.* Idemque dixit Plinius loco proxime laudato, *triennium vitæ non excedere.* Adſtipulatur Junius Columella libr. 6. cap. 27. *Nec dubium eſt, quin aliquot regionibus tanto flagrent ardore coëundi feminæ, ut etiamſi marem non habeant, aſſidua & nimia cupiditate figurantes ſibi ipſæ venerem, cohortalium more avium, vento concipiant.* Ludatis poſtea Maronis verſibus, ſubjungit. *Cum ſit notiſſimum etiam in ſacro monte Hiſpaniæ, qui procurrit in Occidentem juxta Oceanum, frequenter equas ſine coitu ventrem pertuliſſe, fœtumque educaſſe: qui tamen inutilis eſt, quod triennio priuſquam adoleſcat, morte abſumitur.* Sacrum hunc montem apud M. Varronem libr. 2. Rei Ruſt. cap. 1. corrupit operarum incuria: *In fœtura res incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera, quod in Luſitania ad Oceanum in regione, ubi eſt Ulyſippo oppidum, monte Tagro, quædam vento concipiunt certo tempore equæ: ut hic gallinæ quoque ſolent, quarum ova ὑπηνέμια appellant; ſed ex his equis, qui nati pulli, non plus triennio vivunt.* Reſtitue locum & lege: *ubi eſt Ulyſippo oppidum, monte ſacro,* &c. Verum totum hoc fabuloſum contendit Trogus Pompejus apud Juſtinum libr. 44. *In Luſitanis juxta auctores prodiderunt, quæ fabulæ ex equarum fœcunditate & gregum multitudine natæ ſunt, equas vento concipere.* Quod autem auctores ſupra citati natos ex tali conceptu pullos non ultra triennium durare dicant, paulo diverſum ſentit Silius Italicus libr. 3. Punicor.

Hic adeo cum ver placidum flatuſque tepeſcit
Concubitus ſervans tacitos grex proſtat equarum,
Et venerem occultam genitali concipit aura;
Sed non multa dies generi, properatque ſenectas,
Septimaque in ſtabulis longiſſima ducitur ætas.

Malim legere clariori ſenſu, & rerum naturalium ſcriptoribus convenientiori; quis enim unquam ætatem pro anno dixerit?

Tertiaque in ſtabulis longiſſima ducitur æſtas.

Tuſci itaque & Hiſpani equi, & paupere & florente Imperio Romano Italis in uſu; at Græcis, & maxime in ſacris illis agonibus recepti *equi Cappadoces.* Jculariter L. Apulejus libr. 8. Mileſiar. *Is nimio præſtinandi ſtudio præconem rogat, cujatis eſſem? at ille Cappadocum me & ſatis forticulum denuntiat.* Quem locum Petrus Colvius aptius de equo,

quam







Romæ Apud Emi Card. Gualterio

quam Philippus Beroaldus de ſervo interpretatur. Juſtus Lipſius legit, *Cappadocum me ſatu, & forticulum*. Jul. Capitol. in Gordianis in princ. *Equos Siculos centum, Cappadoces centum, permittentibus imperatoribus, factionibus diviſit*. Solin. cap. 47. *Terra illa* (Cappadocia) *ante alias altrix equorum, & proventui equino accommodatiſſima est*. Habitique equi præſtanriores, vivacioreſque, qui ad Argæum fluvium nati. Oraculum Apollinis Pythii in Delphico Templo:

Ἄργεος ἱπποβότου πῶλον λάβε.
Argei, equorum altoris, pullum accipe.

Claudian. libr. 2. in Ruffinum in principio:

. . . . *Jam paſcua fumant*
Cappadocum, volucrumque parens Argæus equorum.

Et in Epigrammate de phaleris equi regii:

Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis,
Turbidus Argæa ſeu nive lavit Halis.

Narrant Theocriti & Pindari Scholiaſtæ, cum in Cappadocia equi omnes interiiſſent, ex oraculo reparatos fuiſſe ſemine Agrigentinorum: & notat Baptiſta pius Annotationib. poſterioribus. cap. 39. Claudian. de Laudibus Serenæ:

. . . . *delectus equorum*
Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina paſtæ
Semine Cappadocum ſacris præſepibus edunt. (1)

Etruſcorum inventum pugiles in ludis, & eorum unctura: corpora nudata, Græcorum instituto, haud recte: nuditas libidinis incentiva: juramentum.

CAP. LXXIV.

Affinis pugillatus equeſtribus certaminibus, ut fabulæ Græcorum reſtantur de Caſtore & Polluce, atque ideo ut a Tuſcis Romani ea, ita & hunc ſunt mutuati. T Livius 1. Decad. libr. 1. *Ludicrum fuit equi pugileſque maxime ex Etruria acciti*. Aurel. Prudent. libr. 2. in Symmachum:

Nunc maſtrucophoris oleoque, & gymnadis arte
Unctis pugilibus, miles pugnabat Etruſcus.

Ante omnia more Græcanico ſolebant pugiles jurare adhibito porco, vera virtute, non dolis ſe acturos. Pauſania, & ex eo Pierius Valerianus libr. 9. Hieroglyph. pag. 89. Paleſtritæ iſti, ſeu πύκται, ut eſt apud Pindari Scholiaſtem, & Julium Pollucem libr. 3. num. 5. cap. 30. oleo ſe

(1) Uſum equorum, & quadrigarum, & forte etiam ad formam curulium apud Etruſcos demonſtrat vas fictile Emin. Cardinalis Gualterii, cujus hic appoſita ſunt delineamenta.

ſe inungebant. Plin. libr. 15. cap. 4. *Uſum ejus* (olei) *ad luxuriam vertere Græci, vitiorum omnium genitores, in gymnaſiis publicando*. Servius Maurus ad libr. 2. Georgic. pag. 116. *Oleum generalem uſum habet, quod cum in unguentum fuerit corruptum, uni rei tantum eſſe aptum incipit*. Longus ordo Poëtarum id probat. Claudian. Panegyrico de Conſulatu Manlii Theodori:

Calliope liquidas Alciden poſce paleſtras.

M. Lucan. libr. 9. Pharſal.

. . . *auctoris cythara liquidæque paleſtra*

Virgil. libr. 3. Æneid.

Exercent patrias oleo labente palæſtras . . . . .
Nudati ſocii.

Et libr. 5. Æneid.

Cetera populea velatur fronde juventus,
Nudatoſque humeros oleo perfuſa niteſcit.

Helenius Acron Grammaticus ad Horatii libr. 1. od. 8. *Paleſtram tractantes, oleo ungebantur*. Ipſe Lyricus:

Cur vitat flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino cautius vitat?

Iterum Lucan. libr. 4. de Lucta Herculis, & Antæi:

. . . . *perfudit membra liquore*
Hoſpes Olympiacæ ſervato more paleſtræ.

Papin. Stat. libr. 6. Thebaid. de Tydeo & Agyllæo:

Poſtquam oleo gaviſa cutis, petit æquor uterque
Procurſu medium.

Sidon. Apollinar. Carm. 9.

Unctas Tyndaridis dicaſſe luctas.

Q. Catull. Epigr. 64.

Ego mulier, ego adoleſcens, ego ephæbus, ego puer,
Ego gymnaſii fui flos, ego decus eram olei.

Prior verſus corruptiſſimus; quis enim credat, Atym ſe ipſum appellare mulierem? corrige itaque:

Ego inuber, ego adoleſcens.

Inuber enim recte pro eo, qui eſt impubes, cuique ubera non ſuccreverunt (1). A. Gell. libr. 20. cap. 8. *Oſtreæ, multæ, inuberes, macræ*. Idem valet apud Feſtum Pompejum *Infantes exuberes*. Unctura hæc non ſimpliciter ex oleo, ut membra agiliora forent, faciliuſque adverſarii nexus effugerent; verum etiam admixta cera, unde unguentum *ceroma* vocatum. L. Seneca libr. de Brevit. vitæ cap. 11. C. Plin. libr. 35. cap. 13. libr. 22. cap. 24. D. Juvenal. Sat. 3. Mart. libr. 4. Epigr. 4. libr. 5. Epigr. 66. libr. 7. Epigr. 31. libr. 11. Epigr. 99. & alibi ſæpe.

Nudato corpore luctabantur, ſubligaculo tantum pudendis velandis indu-

(1) Joſeph Scaliger emendat: *Ego puber, ego adoleſcens, ego ephæbus, ego puer*
Ego gymnaſii fui flos, ego eram decus olei.

inducto. Euſtathius Homeri Scholiaſtes ad libr. 18. Odyſſ. princ. cujus ritus initium a Platonis Republica apud Athenienſes, & a Licurgi legibus apud Spartanos. Xenophon libr. de Lacedæmoniorum Republica. Thucydid. libr. 1. Belli Pelopon. Ἐγυμνώθησάν τε πρῶτοι καὶ ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες λίπα μετὰ τοῦ γυμνάζεσθαι ἠλείψαντο, τόδε πάλαι καὶ ἐν τῷ ὀλυμπιακῷ ἀγῶνι διαζώματα ἔχοντες περὶ τὰ αἰδοῖα οἱ ἀθληταὶ ἠγωνίζοντο. *Primi* (Lacedæmonii) *corpora certaturi nudaverant, propalam ſe exuentes, oleoque unxerunt; quum olim etiam in Olympico certamine athletæ, ſubligacula circa pudenda habentes, pugnarent*. Egregia ibidem loci Scholiaſtes vetus, & Clemens Alexandrinus libr: 3. Pædagogi cap. 5. Inſtitutum hoc Licurgi, uti in ejus vita docet Plutarchus, & obſervat eruditus Nic. Cragius libr. 3. de Rep. Lacedæmonior. tabula 6. inſtituto 12. quem non exſcribo. Euripid. Andromache:

Γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις,
Δρόμους παλαίστρας τ' ἀνασχέτους ἐμοὶ
Κοινὰς ἔχουσι,
Nudis femoribus & tunicis diſſolutis
Curſus palæſtraſque non tolerabiles
Communes habent.

Quod non tantum viris juvenibuſque in uſu, ſed etiam virginibus, quæ eodem ritu corporis exercitamentis utebantur; quare φαινομηρίδες vocantur, *quaſi patentibus apertiſque femoribus*. Jul. Pollux libr. 7. cap. 13. Ovid. Epiſt. Paridis ad Helenam:

More tuæ gentis nitida dum nuda palæſtra
Ludis, & es nudis femina mixta viris.

Sext. Propert. libr. 3. Eleg. 13.

Quod non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros.

Hæc vetus lectio, quam male tuetur Robertus Titius libr. 4. locor. Controverſor. cap. 1. Ivo vero Villiomarus legit *infames ludos*, non bene; optima enim vetus lectio, nam *luctam non eſſe infamem laudem*, quis non intelligit?

Inſtitutum hoc Lycurgi, legemque Platonis reprehendunt plerique. Euſebius de Præparat. Evangel. libr. 3. cap. 12. quare Plutarchus in Comparatione Numæ & Lycurgi mulieres Spartanas vocat ἀνδρομανεῖς, *quaſi viros in furorem libidinis concitantes*; nuditas quippe libidinis incentiva. D. Ambroſ. libr. 3. de Virginibus: *An quicquam eſt tam pronum ad libidines, quam inconditis motibus ea, quæ vel diſciplina velavit, membrorum operta nudare?* Exempla de Davide & Berſabee nuda in ſacris literis libr. 2. Regum cap. 11. & de Caracalla & noverca ipſius Æl. Spartian. in eo. Hinc ſalaces Dii, Venus, Cupido, Priapus nudi a Poëtis paſſim finguntur: ſevera contra & pudica numina veſtita cinctaque, quod multis ab omniſcio Andrea Tiraquello in Legib. Connubialib. obſervatum, hic non repeto. Vide Tibullum libr. 2. Eleg.

6. Cæl.

6. Cœl. Rhodigin. libr. 4. cap. 7. denique verum eſt illud Ennianum apud Tullium libr. 4. Tuſculanar. Quæſt. ad finem:

Flagitii principium eſt nudare inter cives corpora.

Ideoque rectiſſime Martialis libr. 4. Epigr. 55.

. . . . aut libidinoſa
Ledæas Lacedæmonis paleſtras.

Id in Italia etiam receptum non eſt dubium. Papin. Stat. libr. 3. Silv. 1. in fine:

. . . . ridetque benigna
Parthenope gentile ſacrum, nudoſque virorum
Certatus.

Atque adeo apud Tyrrhenos noſtros non modo viri, ſed & mulieres nudatis in ludo corporibus, nec non in conviviis, ut docet Timæus libr. 1. Hiſtoriar. apud Athenæum libr. 4. Dipnoſophiſt. cap. 16. (1)

Lanificii uſus apud Etruſcos: de lanificiis matronalibus.

CAP. LXXV.

LAnificium inter mores Etruſcorum fuiſſe docet fortaſſe Juvenalis Satyr. 6. v. 289.

. . . . . . ſomnique breves, & vellere Tuſco
Vexatæ duræque manus.

Illud hoc loco animadverſione dignum matronalis caſtitatis vel primum encomium fuiſſe, lanificium exercuiſſe; nam *θάλαμος ἱστῶν ταλασιουργὸς οἶκος*, *thalamus telarum, domus operoſi lanificii*, gynæcium matronale vocatur. Jul. Pollux libr. 1. Onomaſt. cap. 8. Euſtathius ad libr. 2. Iliad. v. 515. Heſychius Illuſtris Grammaticus in voce *γυναικωνίτης*. Serv. ad libr. 8. Æneid. v. 646. Moderat. Columella libr. 12. Rei Ruſt. cap. 3. Feſt. Pomp. libr. 16. in voce *Rica*. Xenophon libr. 3. Memorabil. cujus verba adducta a me reperies libr. 1. Antiquitat. pag. 38. Hinc illud D. Hieronymi ad Demetriadem Virginem præceptum: *Habeto ſemper lanam in manibus*. Exempla plurima, eaque illuſtria, ſorores, uxor, filiæque Auguſti *veſtem* ipſi texebant: Sueton. cap. 73. Alexandri Magni ſorores *veſte eum donarunt*. Curtius libr. 5. Xerxi Regi Ameſtris ſoror *amiculum nevit:* Herodot. libr. 7. Etiam heroico illo ſeculo, Calypſo libr. 5. Odyſſ. Arete mater Nauſicaæ libr. 6. Odyſſ. & Pallas libr. 8. Iliad. & libr. 12. Iliad. in fine apud Homerum textri-

ces

(1) In fine capitis 46. hujus libri inter nummos Etruſcos videre poſſumus manum ceſtu armatam, quod plane ſpectat ad pugilatum, qui in Etruria uſu receptus erat.

Digitized by Google

ces finguntur. Theano Bronrini Crotoniatæ uxor, ut Plotino placuit philoſopho, aut Pythagoræ, quod viſum Theocriro, rogata quam uxorem probaret, ut retulit Joannes Stobæus ſerm. 72. reſpondir verſu illo ex libr. 1. Iliad. v. 13.

Ἱςὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν

Telam texentem, & meum lectum ſternentem.

Ptolomæus Hepheſtio ex Sappho:

Γλυκεῖα μᾶτερ ὄυτοι δύναμαι κρέκειν τὸν ἱςὸν.

Dulcis mater, non poſſum texere telam

De Cyrena Pindar. Pythicor. od. 9. Ovid. libr. 1. Amor. Eleg. 13. & libr. 12. Metamorphoſ. fab. 5. Claudian. libr. 1. de Raptu fine. Et de Conſul. Olyb. & Probini:

Lætatur veneranda parens, & pollice docto,
Jam parat auratas trabeas.

Idem Epigr. de equo Regio, & alibi paſſim. Virgil. libr. 3. Æneid. Andromache *manuum monimenta ſuarum* appellar veſtem, quam Aſcanium donat. Er libr. 4. Æneid. *Lænam Dido* dicitur feciſſe, & *auro variaße telam*. C. Flacc. Balb. libr. 5. Argonaut.

Accipe Tænarii clamydem de ſanguine abæni,
Frænaque & accinctum gemmis fulgentibus enſem
Hoc patrium decus, hæc materni texta labores.

Apud Silium Italicum matrona illa nobilis libr. 7. Punicor.

Quod noſtræ nevere manus, venerabile donum.

D. Auſon. Parental. Carm. 3.

Morigeræ uxoris virtus, cui contigit omnis
Fama pudicitiæ, lanificæque manus.

Ejusdem operis Carm. 13.

Docta ſatis, vitamque colo, famamque tueri,
Docta bonos mores.

Incertus Poëta Comicus, ſed vetus & elegans:

Ἱςοὶ γυναικῶν ἔργα, κ' ὐκ ἐκκλησίαι.

Telæ feminarum opera, non conciones.

C. Lucilius libr. 6. Satyrarum:

. . . *Thannomeno inquit valva ſorore*
Lanificam dici ſiccam atque abſtemiam audit.

Ex his facile percipitur, præcipuum matronarum ornamentum in lanificio poſitum; quare *novam nuptam* ritu Romano *colus cum fuſo comitabatur*, exemplo Tanaquillis, quæ Tarquinii Priſci uxor, Erruria erat oriunda: C. Plin. libr. 8. cap. 48. & alibi hoc opere abunde docui. Frequentiſſima laus illa in vetuſtis marmorum ſepulchralium monimentis: Adſcribam Inſcriptionem. (1)

HOSPES.

(1) Apud Gruterum pag. 769. num. 9. Romæ.

HOSPES. QVOD. DEICO. PAVLLVM. EST. ASTA. AC. PELLEGE HEIC. EST. SEPVLCRVM. HAV. PVLCHRVM. PVLCHREI. FEMINAE NOMEN. PARENTES. NOMINARVNT. CLAVDIAM SVOM. MAREITVM. CORDE. DILEXIT. SOVO GNATOS. DVOS. CREAVIT. HORVNC. ALTERVM IN. TERRA. LIQVIT. ALIVM. SVB. TERRA. LOCAT SERMONE. LEPIDO. TVM. AVTEM. INCESSV. COMMODO DOMVM. SERVAVIT. LANAM. FECIT. DIXI. ABEI.

Et ſane matronæ laudi ducebant ſtamina, telas, veſtes, ſuis manibus textas, habere, aliis donare; quare & ancillis penſa diurna diſtribuebant, & eunuchum illis præficiebant, qui ſevere illud exigeret. Ovid. libr. 2. Faſtor. de Lucretia:

Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant.

Claudian. libr. 1. in Eutrop.

Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ,
Tu telas, non tela pati, tu ſtamina noſſe,
Tu ſegnes operum ſolers urgere puellas.

Juriſconſulti etiam libris ſuis multa inſeruerunt de lanarum, lanificarumque conditionibus: eamque faciunt *pecudum, ovium, anſerinam, caprinam, leporinam, ſuccinam, lotam, tinctam, notam, non notam, factam, infectam*. Conſule Paulum J. C. libr. 3. Sententiar. tit. 6. Ulpian. l. 70. ff. de leg. 3. & alios.

Etruſcorum opificium fictilia, & quidem Aretii: eorum pretia: uſus in conviviis, templis: vocata gryte, & catinus, & frivola, & ſympunium, & caudes.

CAP. LXXVI.

PArva loquimur, ſed neceſſaria ad tantæ gentis gloriam illuſtrandam. Vide Plinium, ad finem hujus capitis laudandum, qui plene ſatisfacit. Monachus Anonymus, ſed ipſe ad Satyr. 6. Juvenal. v. 407. & Scotum ſe fatetur diſerte, & incluſum ad D. Jacobi ſub muris Herbipolis; is ergo ad ejusdem Satyr. 11. v. 109. ita inquit: *Tuſci in Italia ante Romanos dominabantur, & catinos ex argilla rubra excoquebant, quibus Numa Rex in Deorum ſacrificiis utebatur tanta elegantia, ut argentea ſuperarent vaſa. Iſidorus.* Locus Iſidori, quem

quem laudat, extat libr. 20. Etymolog. cap. 4. *Antiquiorem fuiſſe dicunt uſum fictilium vaſorum, quam fundendi æris aut argenti; apud veteres enim nec aurea, nec argentea vaſa, ſed fictilia habebantur*. Et paucis interjectis, Aretina vaſa *ex Aretio, municipio Italiæ, dicuntur, ubi fiunt; ſunt enim rubra*. Fictilia certe & Samia, & Saguntina erant a locis ibidem ſuis nominata, de quibus nihil hic, ſed de Etruſcis tantum, Martial. libr. 14. Epigr. 98.

Aretina nimis ne temnas vaſa monemus,
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

D. Juvenal. Sat. laudata proxime:

Ponebant igitur Tuſco ferrata catino
Omnia tunc.

Et Perſ. Sat. 3. v. 60.

Veſtaleſque urnas, & Tuſcum fictile mutat.

Inventio horum, ut dixi, Aretii erat, quod oppidum etiam nunc celebre, & antiquitate illuſtre. Martial. libr. 1. Epigr. 54.

Sic Aretinæ violant criſtallina teſtæ.

Erant rubra vaſa Aretina. Præter ſuperius laudatos, addendus Sedulius presbyter, Scotus, in Præfat. Carm. Paſchal.

Nobilium nitidis doctorum veſcere cœnis,
Quorum multiplices nec numerantur opes.
Illic invenies quidquid mare nutrit edendum,
Quidquid terra creat, quidquid in aſtra volat.
Cærea gemmatis flaveſcunt mella caniſtris,
Collucentque ſuis aurea vaſa favis.
At nos exiguum de paupere carpſimus horto,
Rubra quod appoſitum teſta miniſtrat olus.

Deorum honori primum illa dedicata. C. Plin. libr. 35. cap. 12. *In ſacris quidem etiam hodie inter has opes, non myrrhinis criſtalliniſque, ſed fictilibus prolibatur ſympuviis*. Julius Pollux libr. 10. cap. 19. ex Antiphane vetere Comico in Myſtide ex ſacrificio loquens ἐξ ὀξυβαφίων ἐπίνομεν, *ex acetabulis fictilibus bibebamus*. Flor. Tertull. Apolog. cap. 25. *Frugi religio & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo; ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & nidor ex illis*. M. Cic. Paradox. 1. *Quid autem Numa Pompilius? minuſne gratas Diis immortalibus capedines, ac fictiles urnas fuiſſe,* (1) *quam delicatas aliorum patinas arbitramur?* Lazarus Baifius corrigit appoſite meo quidem judicio, legitque: *quam Deliacas aliorum patinas*. At male in Plinio reſtituit idem, *ſympullis* pro *ſympuviis*; ſympuvium enim rectius legitur, ut infra hoc ipſo capite probabitur. Parietes templorum, non tantum vaſa ſacra fictiles. Plin. libr. 36. cap. 2. *Non ergo in tam malo exemplo moribus cavere utilius fuerat, quam tacere tantas moles in privatam domum trahi preterfictilia Deorum faſtigia?* Ipſorumque Deorum rudi illo ævo ſtatuæ fictiles. L. Sen. de Conſ. ad Helviam cap.

(1) Locus Ciceronis reſtitutus fuit a Lambino, auctoritate Cod. MSS. ſic *quam ſilicatas aliorum patinas*, & ſic habent omnes ferme editiones, idemque conjecturam legentium *Deliacas* minime probat.

10. *Tunc per fictiles Deos religioſe jurabatur*. Ita Poëtæ paſſim. Sext. Propert. libr. 4. Eleg. 1.

Fictilibus crevere Diis hæc aurea templa,
Non fuit opprobrio facta ſine arte caſa.
Tarpejuſque pater nuda de rupe tonabat.

D. Juvenal. Satyr. 11. verſ. 115.

Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.

Poſtea a Deorum cultu, e Numæ religioſo inſtituto, fictilia in optimatum domos migrarunt. Valer. Maxim. libr. 4. cap. 3. tit. 9. de privata Tuberonis cœna: *Cui Conſulatum gerenti, cum Ætolorum gens omnis uſus vaſa argentea, magno pondere, exquiſita arte fabricata, per legatos miſiſſet, qui ſuperiori tempore gratulandi cauſa ad eum profecti retulerant, fictilia ſe in ejus menſa vidiſſe vaſa, monitos, ne continentiæ quaſi paupertati ſuccurrendum putarent, cum ſuis ſarcinis abire juſſit*. Quod ille domi factum, alii publice in Capitolio admiſſum narrant. L. Sen. Epiſt. 95. *Tuberonis ligneos lectos, cum in publicum ſternerentur, hædinaſque pro ſtragulis pelles, & ante ipſius Jovis cellam, propoſita convivis vaſa fictilia, quid aliud eſt, quam paupertatem Capitolio conſecrare?* Et deinde paucis interjectis ſubditur elegantiſſime & appoſite: *Omnium illorum aurum argentumque fractum eſt, & millies conflatum, at omnibus ſeculis Tuberonis fictilia durabunt*. Idem Epiſt. 98. *Tubero paupertatem & ſe dignam, & Capitolio judicavit, cum fictilibus in publica cœna uſus oſtendit, debere his hominem eſſe contentum, quibus Dii etiam uterentur*. Ambigua eſt in eodem lectio libr. 1. Benef. cap. 6. *Sicut in victimis quidem, licet opimæ ſint, multoque auro præfulgeant, Deorum non eſt honos, ſed in pia ac recta voluntate venerantium; itaque boni farre etiam ac fictili religioſi ſunt: mali rurſus non effugiunt impietatem, quamvis aras multo ſanguine cruentaverint*. Ferdinandus Pincian. in nullo MSS. ab ſe viſorum repertum ait *fictili*, ſed in quibuſdam *ficiola*, in nonnullis *ficilla*, & in Facundi & Primitivi exemplaribus *fitilla*; itaque leviſſima opera, uno elemento inſerto, legendum eſt arbitratus *fritilla*, ut ſit pultis cujuſdam genus in ſacrificiis receptiſſimæ. M. Antonius Muretus libr. 12. Variar. Lection. cap. 1. retinet *fitilla*, eadem prorſus ſignificatione. Ex Arnobio libr. 7. *Quid fitilla, quid frumen, quid africia?* C. Plin. libr. 17. cap. 8. *Hodie ſacra priſca atque natalium pulte fitilla conficiuntur*. Joſephus Scaliger Pincianum ſecutus, putavit legendum *fritilla*: quod placuiſſe video & Juſto Lipſio, qui vaſa ipſa, quibus ſacrificia offerebantur, non pultem ipſam ſeu libamen ſignificari ea voce contendit. Teſtem laudat Feſtum Pompejum libr. 11. *Muries eſt, quemadmodum Veranius docet, ea, quæ fit ex ſale ſordido, in pila pinſato, & in ollam fritilem conjecto, ibique operto, gypſatoque, & in furno percocto*. Olla ei *fritilis* diſerte appellatur, ut appareat non ſacrificii partem aliquam, aut libum ea dictione denotari, ſed vas ſacris aptum; nam Paulus Diaconus

conus

conus perperam, ut multa ex Feſto tranſcripſit: *muries dicebatur ſal in pila tunſum, & in ollam fictilem conjectum, & in furno percoctum*. Denique Fr. Modius Novantiquar. Lection. Epiſt. 29. ur ab aliis quippiam diverſum adducat, ita legendum cenſuit, *farre ac frivolis*, non male, ut infra docebitur.

Non modo optimates, ſacerdoteſque fictilia in uſu rudi & paupere re Romana, ſed etiam ruſtici, æquali cum potentioribus, ut viderur, fortuna. Alb. Tibull. libr. 1. Eleg. 1.

Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.

Sed & Siciliæ Regis ea uſurparunt. D. Auſonius Epigr. 8.

Fama eſt fictilibus cenaſſe Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.

Pergo ad diverſas fictilium appellationes. Primum *caudes* diſcimus vocari obſoleto & inuſitato vocabulo. Iſidori Gloſſarium: *Caudes, Vaſa fictilia*.

Secundo a Græcis γρῦ, *gry*, ſive γρύτη audiunt. Auctor eſt Joannes Tzetzes Chiliad. Hiſtoriar. 4. cap. 7.

Καὶ γρύτη δὲ, σκευάρια μίκρα τῶν ὀστρακίνων.
Et gryte vero, vaſcula parva ex teſtis.

Tertio *catini* audiunt, *in quibus jurulenta, & pulmenta ponebantur*, ut docte Hadrian. Turneb. libr. 22. Adverſarior. cap. 9. nos docuit. Juvenal. Sat. 6. v. 340.

Et quis tunc hominum contemptor numinis? aut quis
Sympullum ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Auſus erat?

Secundum verſum Bartholomæus Marlianus libr. 7. Topogr. Urb. in fine legit: *Sympullum, priſcumque catinum*. MS. meus optimæ notæ:

Sympuvium ridere Numæ, Tuſcumque catinum.

Joan. Britannicus de Tuſco vico nugatur ad v. 109. Satyr. 11. Novam inrerpretationem adfert Corius parte 1. Hiſtoriæ pag. 124. *Sic dicti ſunt a catino, hoc eſt vaſe, quo aqua Imperatoriæ menſæ deſtinata, continebatur, quod officium, qui adminiſtrabant, dicti ſunt Catanei.* Subdit deinde aliis etiam in locis pleroſque nobiles, arque eriam Epiſcopos Cataneorum appellatione inſignitos, ut obſervavit Franc. Sanſovinus de Illuſtrib. Ital. Famil. pag. 222.

Quarto *frivola* dicebantur. L. Seneca proxime ſupra laudatus ex lectione Franc. Modii. Ulpian. J.C. l. 11. ff. de pignerat. *Non enim credibile eſt hoc conveniſſe, ut ad univerſam penſionem Inſulæ, frivola mea tenebuntur*. Feſt. Pomp. libr. 6. *Proprie vaſa fictilia quaſſa*. Lexicon vetus apud Hadrianum Turnebum libr. 28. Adverſarior. cap. 6. *frivola, vaſa fictilia*. Non laruir Guilielmum Budæum in Annotationib. in Pandectas. Juvenal. Sat. 3. v. 199.

 ....*jam*

. . . . jam poſcit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon.

Idem Satyr. 5. v. 59.

Et ne te teneam, Romanorum omnia Regum
Frivola.

Denique *Sympuvia* eadem vocata. Vetus Scholiaſt. D. Juvenal. ad Satyr. 6. v. 340. *Sympuvium vas ſacrificiis aptum, in quo pontifices lavare ſolebant; ſympuvium autem, quia omnes Sacerdotes ſimul bibebant, unde ſympuviatrix illa dicitur, quæ porrigit poculum ipſum.* Paulo aliter idem Turnebus libr. 3. Adverſarior. cap. 10. *Simpulatrices mulieres rebus divinis deditæ a ſympulo ita vocatæ.* Ex quo apparet, eum locum Juvenalis legiſſe *Simpullum*, non vero *Sympuvium*, uti & Feſtus libr. 17. *Simpulum vas parvum, non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur; unde & mulieres, rebus divinis deditæ, ſimpulatrices dicuntur.* Quam lectionem etiam ſecutus videtur L. Apulejus libr. 4. Floridor. *Paupertas populo Romano imperium a principio fundavit, proque eo in hodiernum diem Diis immortalibus ſimpulo & catino fictili ſacrificat.* M. Varro etiam hanc lectionem videtur confirmare libr. 4. de Ling. Lat. *A ſumendo, ſympulum nominavere: in hujuſce locum in conviviis in Græcia ſucceſſit epichyſis & cyathus, in ſacrificiis remanſit guttum & ſimpulum.* Sed tamen graves auctores, nec contemnendi, legunt conſtanter *ſympuvium*. Plin. libr. 35. cap. 12. *Fictilibus prolibatur ſympuviis.* Non poſſum, quin ex eodem capite locum perneceſſarium recenſeam, unde id totum, quod probare cupio, eluceſcet: *Fingere ex argilla ſimilitudines Dibutades Sicyonius figulus primus invenit Corinthi, filiæ opera, quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumſcripſit, quibus pater ejus impreſſa argilla typum fecit, & cum ceteris fictilibus induratum igni propoſuit, eumque ſervatum in nymphæo, donec Corinthum Mummius everteret, tradunt. Sunt, qui in Samo primos omnium plaſticen inveniſſe Rhæcum & Theodorum tradant, multo ante Battiadas Corintho pulſos. Demaratum vero, ex urbe eadem profugum, qui in Etruria Tarquinium Priſcum Regem populi Romani genuit; comitatos fictores Euchira & Eugrammum, ab iis Italiæ traditam plaſticen.* Eandem cum Plinio lectionem admittit Q. Florens Tertullianus Apologet. cap. 13. *Quo differt ab epulo Jovis, ſilicernium, a ſympuvio, obba, ab aruſpice pollinctor?* Quam veram eſſe & genuinam hujus loci lectionem Franciſcus Zephyrus Paraphraſtes vetus teſtatur. *Aræ, ubi in ſympuvio vaſe vinum Diis libatur;* quod ex MS. ſe eruiſſe Jacobus Pamelius ſcribit. (1)

Qui de Samiis & Saguntinis fictilibus plura deſideras, adi ad Antiquitates meas libr. 5. cap. 30. nam hic Etruriam tantum illuſtro.


Etru-

(1) Artem figulinam magnopere illuſtrant, cum vaſa paſſim in hoc opere allata, exornata figuris, tum quæ hic adferimus, quæ formæ novitate notabilia viſa ſunt.



Vasa et Varcula fictilia Clusina Etrusca pleraque apud Nob. Ristorum Paolozzi.

Digitized by Google



Vasa et uascula fictilia Clusina pleraque apud Nob. Ristor. Paolozzi reperta tam haec quã praecedentia in Vrnulis uel circa Vrnulas Etruscas.

Etruſcorum in Italia inventum Plaſtice: ſimulachra Deorum fictilia: Tuſcanica dicta: aurea poſtea.

CAP. LXXVII.

PLaſticen, ſive artem ſtatuas ex argilla, terra pinguiori, aut creta fingendi formandique, ſuperiori capite Plinii verba allata, Corinthi excogitatam, & a Corinthiis artificibus in Etruria toti Italiæ oſtenſam, fidem facere potuerunt. Addo nunc ſtatuas, a plaſticis elaboratas, vocari ſolitas *Tuſcanicas*. Idem Plinius loco laudato: *Plaſtæ nobiliſſimi fuere Damophilus & Gorgaſus, iidemque pictores, qui Cereris ædem Romæ ad Circum maximum, utroque genere artis ſuæ excoluere, verſibus inſcriptis Græce, quibus ſignificarunt a dextra opera Damophili, eſſe, a parte læva Gorgaſi. Ante hanc ædem Tuſcanica omnia in ædibus fuiſſe, auctor eſt M. Varro*. Sic intelligendus P. Ovidius libr. 1. Faſtor.

Jupiter exigua vix tutus ſtabat in æde,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Sed a Plinio avelli non poſſum, qui libr. 36. cap. 2. pulcherrime id, quod cupimus, expreſſit: *Præter fictilia Deorum faſtigia*. In quibusdam editionibus eſt *fictilia Deorum faſtidia*, nullo ſenſu; melius in MS. Codice Toloſano Collegii Foxienſis *fictilia Deorum ſimulacra*. Eodem ſenſu *fictiles Dii* apud Propertium libr. 4. Eleg. 1. *fictilis Jupiter*. Juvenal. Satyr. 11. L. Sen. Epiſt. 31. *Exurge modo, & te quoque dignum finge Deo; finges autem non auro, non argento, non poteſt ex hac materia imago Dei exprimi ſimilis: cogita illos, cum propitii eſſent, fictiles fuiſſe*. Et libr. 2. Controv. 1. ubi Fuſcus Arelliuspater: *Facilius poſſum paupertatem laudare, quam ferre. Quid mihi Phocionem loqueris, quid Ariſtidem? Tunc paupertas erat ſeculi. Quid loqueris Fabricios, quid Coruncanos? Pompæ iſta exempla. Fictilibus fuerunt Dii faciles*. Alibi hoc fuſius, ubi de idolorum ſtatuarumque inventione; hic enim tantum de figlina agimus. Certe igitur initio pauperis rei Romanæ, templa, vaſa, adeoque ipſorum Divorum ſtatuæ ex terra fictiles erant. Propert. libr. 4. Eleg. 1.

Fictilibus crevere Diis hæc aurea templa.

Poſtea vero tantus urbem invaſit luxus, ut argenteæ, marmoreæ, aureæ, atque adeo gemmeæ, pernitioſiſſimo & exemplo & ſumptu, ſtatuæ erigerentur. L. Seneca Conſol. ad Helviam cap. 10. *Quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis renidebant*. Eoque luxuria proceſſit inaudita, ut creſcente Republica, partem prædæ, manubia-

nubiarumque, ditandis templis, erigendiſque ſtatuis dedicarent. Alios omitto auctores, unico contentus Silio Italico libr. 15.

Poſtquam perfectæ laudes hominumque Deumque,
Captivæ ſpectantur opes, digeſtaque præda:
Hoc aurum patribus, bello hæc Martique talenta,
Hoc regum donis, divum hoc ante omnia templis,
Cetera bellantum dextris, pulchroque labori.

Creſcente deinde magnificentia, ipſis civibus privatis ſtatuæ argenteæ aureæque ponebantur, viris feminiſque promiſcue. Stat. libr. 5. Silv. 1.

Si manus, aut ſimiles docilis mihi fingere ceras,
Aut ebur, impreſſis aurumve animare figuris,
Hinc Priſcilla tuo ſolatia grata marito
Conciperem.

Quin imo morituri teſtamentis aurum decernebant ſtatuæ Imperatori conflandæ. Hiſtoricos & Juriſconſultos omitto: idem Statius ſufficiet, eodem libro Silvaque v. 191.

Da Capitolinis æternum ſedibus aurum,
Quo niteat ſacri centeno pondere vultus
Cæſaris, & propriæ ſignet cultricis amorem.

Etruſcorum mos in corticibus arborum ſcribere, item in cæra, in linteis textis, in ligneis tabulis, in ære, in charta expreſſæ literæ, in membrana, in plumbo: minium primis literis additum, cornua & umbilicus.

CAP. LXXVIII.

ETruſcis iisdem Romani ceteræque Italæ gentes manſuetum politioris vitæ cultum, morumque elegantiam debent, quippe hi, ſive Aborigines (eandem enim eſſe gentem Servius ad libr. 7. Æneid. teſtatur) ſcribere in arborum libris docuere. Aurel. Symmachus libr. 4. Epiſt. 28. *Mallem Aborigenum more, dictionem ſalutis alternæ ligno aut corticibus ſcribere: Ægyptus papyri volumina bibliothecis foroque texuerit.* Vide, quæ diſputat acutiſſime & ingenioſiſſime Petrus Victorius libr. 16. Variar. Lection. cap. 5. Euripidis Scholiaſtes in Hippolyto conſulatur. Cultiſſimus Ariſtenetus libr. 1. Epiſt. 10. Τοῖα δὲ εἴθε, ὦ δένδρα, καὶ νοῦς ὑμῖν γένοιτο, καὶ φωνὴ ὅπως ἂν εἴπητε μόνον, Κυδίππη καλή, ἢ γοῦν κατὰ τῶν φλοιῶν ἐγκεκολαμμένα φέροιτε γράμματα. *Utinam quidem, inquiebat, vobis, arbores, & mens & vox foret, hoc unum dictitaretis*

retis Cydippe pulchra, vel corticibus inſcriptas ferretis, hoc ipſum teſtantes, literas. Ita Poëtæ P. Ovid. Epiſt. Oenones Paridi:

Inciſæ ſervant a te mea nomina fagi,
Et legor Oënone falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea nomina creſcent,
Creſcite, & in titulos ſurgite rite meos.

Ex P. Virgilio Eclog. 10.

. . . . . *teneriſque meos incidere amores*
Arboribus, creſcent illæ, creſcetis amores.

Floridus, vetuſtiſſimus Poëta, elegantiſſimo carmine.(1)

Quando ponebam novellas arbores mali & pyri,
Cortici ſummæ notavi nomen ardoris mei:
Nulla ſit exinde quies, vel finis cupidinis:
Creſcit arbor, gliſcit arbor, ramus implet literas.

Olympius Nemeſianus Bucolicus Poëta, qui ſub Carino Aug. vixit, Eclog. 1.

Accipe quæ ſuper hæc cerasus, quam cernis ad amnem
Continet, inciſo ſervans mea carmina libro.

Calphurnius & ipſe Bucolicus, gente Siculus, Eclog. 3.

Dic age, nam ceraſi tua cortice verba notabo,
Et deciſa feram rutilanti carmina libro.

Corrigendus idem Eclog. 4.

Ut quoque turba bono plaudat ſaginata magiſtro,
Ille meis pacem dat montibus, ecce per illum
Seu cantare juvat, ſeu ter pede læta ferire
Carmina nonnullas licet & cantare choreas,
Et cantus viridante licet mihi condere libro.

Primus & quartus verſus, graviter afflicti, virga critica, aut fulmine verius Ariſtarchico egent; nam *ſaginata* vitioſiſsime contra poëticæ rationem, reſtitue:

. . . . *turba bono plaudat ſagmata magiſtro.*

Ut ſit *ſagmata* turba, ſagminibus coronata; nam ſolemni & compitalitio feſto, non ruſtici modo coronabantur, ſed & boves. Teſtatur cultiſsimus Alb. Tibull. libr. 2. Eleg. 1. de bobus:

Solvite vincla jugis, nunc ad præſepia debent
Plena coronato ſtare boves capite.

De ruſticis ipſis ibidem loci paulo poſt:

Cernite fulgentes, ut eat ſacer agnus ad aras
Vinctaque poſt olea candida turba comas.

Iſta quidem correctio viris doctis placuit. Fr. Modius Epiſt. 17. Novantiquar. lect. at mihi vix ſatisfacit, quod *ſagmata* tam culto Poëtæ inelegans ſit dictio; malim:

. . . . *turba bono plaudat ſaturata magiſtro.*

Indu-

(1) Inter Epigrammata vetera libr 4. pag. 191.

Inducor hac potiſsimum ratione, quod Paganorum feſta, Palilia, luſtratio ſeptorum, Ambarualia, aliaque ſimilia celebrarentur non ſine maximo epularum apparatu. Eodem auctore Tibullo loco jam laudato.

Turbaque vernarum, ſaturi bona turba coloni
Ludet.

In quarto etiam Calphurnii verſu, quid ſibi vult, *ferire pede carmina?* Corrigo, & lego: *pede læta ferire gramina*; ex Horatio libr. 3. od. 18.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus.

Sed redeo ad modos priſcæ ſcripturæ: & ex dictis patet, ante chartam inventam in libris arborum gentes, & maxime Italos ab Etruſcis edoctos conſueviſſe: cujus quidem ſcriptionis exemplaria in pleriſque bibliothecis vidi; ſed nullibi illuſtriora, quam in cœnobio D. Germani a Pratis ad muros Parrhiſiorum, ubi fragmentum Polybii, & alius Herodoti, pæne ante duo annorum millia deſcriptum, & cum admiratione ſpectavi, & cupide legi. Idem etiam memini legere me apud Scholiaſten Ariſtophanis, qui ad Græcos id trahit.

2. Solebant antiqui etiam, ante papyri uſum, mappis ſeu telis ad ſcriptionem uti; unde *linteorum librorum* appellatio. L. Licinius Macer, Annalium Romanorum vetuſtiſsimus auctor, apud T. Livium 1. Decad. libr. 4. *Qui ſi ea in re ſit error, quod tam veteres Annales, quodque magiſtratuum libri, quos linteos in æde repoſitos Monetæ, Macer Licinius citat.* Et eodem libro. *Prætermiſſa nomina Conſulum horum, Licinius Macer auctor eſt, & in fœdere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inventos.* Et eodem libro paulo poſt, auctoribus eodem Licinio Macro, & Tuberone: *Ceterum in tam diſcrepanti editione & Tubero & Macer linteos libros auctores profitentur, neuter Tribunos militum eo anno fuiſſe, traditum a ſcriptoribus antiquis diſſimulat: Licinio ſequi haud dubie libros linteos placet, & Tubero incertus veri eſt; ſed inter cetera vetuſtate incomperta, hoc quoque in incerto poſitum.* Ex his conſtat vetuſtiſsima quæque populi Romani geſta in libris linteis deſcripta. Fl. Vopiſcus in Aureliano princ. *Inveni nuper in Ulpia bibliotheca inter linteos libros epiſtolam D. Valeriani.* Accuratiſsime, ut omnia, C. Plinius libr. 13. cap. 11. *In palmarum foliis primo ſcriptitatum, deinde quarundam arborum libris; poſtea publica monimenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris.* Quem locum Melchior Guillandinus putat non ſanum, ideoque legit *in malvarum foliis.* Non male profecto. Helvius Cinna Poëta vetuſtiſsimus, notante Iſidoro libr. 6. Etymologiar. cap. 12.

Hæc tibi Arateis multum invigilata lucernis
Carmina, queis ignes novimus aëreos.
Lævis in aridulo malvæ deſcripta libello,
Pruſiaca vexi munera navicula.

Lintei hi libri etiam arcanas cæremonias, & Sibyllina oracula continebant.

bant. Q. Aurel. Symmachus libr. 4. Epiſt. 34. *Mandari enim perituræ chartæ epiſtolas quereris, & alligaſti ſacramento enorme judicium: itane de me ludos facis? ut quæ apud te incurioſius loquor, in ſtyli caudice aut tiliae pugillares cenſeas transferenda, ne facile ſenectus papyri ſcripta corrumpat. Et Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata eſt. Monitus Cumanos lintea texta ſumpſerunt.* Conſtantini Aug. reſcriptum eſt C. Theodoſ. libr. 11. tit. 27. l. 1. *Æreis tabulis, vel ceruſſatis, aut linteis mappis ſcriptâ per omnes civitates Italiæ proponatur lex.* Ita intellige Claudianum libr. de Bello Getico:

. . . . quid carmine poſcat
Fatidico cuſtos Romani carbaſus ævi.

Sidon. Apollinar. libr. 9. Epiſt. 16.

Præter Heroas, joca multa, multis
Texui pannis elegos.

3. Æri incidebant monimenta publica, maxime leges, quod, quia in Antiquitatibus meis abunde diſcuſsi, non repeto: hic tantummodò addo locum Julii Obſequentis libello de Prodig. cap. 122. *Tabulæ legum æneæ literis liquefactis.* M. Tull. libr. 2. de Divinat. *Æra legum de cœlo tacta ſunt.* Ovid. libr. 1. Transformat:

. . . . non verba minantia fixo
Ære ligabantur.

4. *Plumbatis* etiam *literis*, ideſt plumbo inciſis uſi antiqui: quod Plinius proxime ſupra laudato loco docuit, nec alibi, quod ſciam, legi.

5. *Tabulis cera oblitis* ſcripta mandabant. Plinius ibidem loci, & Juriſconſulti, Poëtæque paſſim: atque hic mos Romanis perfamiliaris, Tryphoninus J.C. libr. 15. Diſputationum, ut recitatur l. 19. ff. de poſſeſſ. bonor. contr. tabul. *Liberis datam bonorum poſſeſſionem contra lignum*; hoc eſt teſtamenti paterni tabulas, ut interpretatur Jacobus Cujacius libr. 11. Obſervation. cap. 14. Sic *tabulæ nuptiales*. L. Apul. libr. 2. Apolog. Eædemque *matrimoniales*. Jul. Firmicus libr. 7. Matheſ. cap. 7. *Tabulæ dotis*, ſive *dotales*. D. Auguſtin. ſerm. 97. *Tabulæ venditionis, tabulæ emptionum, tabulæ auctionales*. D. Ambroſ. libr. 2. Epiſtolar. *Tabulæ contractus, inſtrumentorum, cautiones*. Denique *Tabulæ teſtamenti*. Quæ omnia vide apud eruditiſſimum Barnabam Briſſonium. Ita Poëtæ. Plaut. Bacchidib. Act. 4. ſc. *Hunc hominem*:

. . . . Stylum, ceram, & tabellas, & linum.

D. Juvenal. Sat. 13. v. 137.

Si decies lectis diverſa parte tabellis
Vana ſupervacui dicunt chirographa ligni.

Et Sat. 16. v. 41.

Debitor aut ſumptos non curat reddere nummos,
Vana ſupervacui dicens chirographa ligni.

Plautus iterum Pſeudolo. Act. 1. ſc. 1.

Per ceram, & linum, literaſque interpretes

Salutem mittit.

Et poſtea ibidem loci:

Pro lignean' ſalute vis argenteam
Remittere illi?

P. Ovid. libr. 1. Amor. Eleg. 12.

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellæ,
Tuque negaturis cera referta notis.
Projectæ in triviis jaceatis inutile lignum.

Materies harum tabularum, aut abies erat. Idem libr. 3. κακοτεχνίας. v. 469.

Verba vadum tentent abiegnis ſcripta tabellis,
Accipiat miſſas apta miniſtra notas,

Aut ex acere. Idem libr. 1. Amor. Eleg. 11. in fine: (1)

Subſcribam. Veneri fidas has Naſo tabellas
Dedicat, at nuper vile fuiſtis acer.

6. In *lignis*, *ſive cera* Græcos ſcripſiſſe exiſtimo; unde & Athenienſium leges Solonis antiquiſſimæ *axones* dicti ob eam cauſam. Erymologic. Magni auctor. Scholiaſtes Apollonii Rhodii ad libr. 4. Argonaut. tmemate 24. qui omnium Græcorum inrerpretum optimus, Poëtam inter Heroicos peſſimum meo judicio illuſtravit. Suidas. Α'ξονες ὄυτως ἐκάλεσαν ἀθηναῖοι τὓς Σόλωνος νόμους, διὰ τὸ ἐγγραφῆναι αὐτὓς ἐν ξυλίνοις ἄξοσι. Vertit Hieronymus Wolfius. *Axes dixerunt Athenienſes Solonis leges, quod inſcriptæ eſſent ligneis tabulis*. Male *axes* vertit; nam *axones* Larina etiam voce frequenter uſurpant melioris notæ auctores. Ammian. Marcellin. libr. 16. *Primum itaque factuque difficillimum, temperantiam ipſe ſibi indixit, atque retinuit, tamquam adſtrictus ſumptuariis legibus viveret, quas ex Rhetris Lycurgi, & Axonibus Romam translatas, diuque obſervatas, & ſeneſcentes paululum reparavit Sylla Dictator*. Sic optime reſtituit Franc. Lindenbrogius, cum antea corrupriſsime eſſet, *ex Rhetris ideſt Axonibus*. Joan. Tzetzes Chiliad. 12. Hiſtoriar. cap. 406.

Οἱ ἄξονες τετράγωνοι, τρίγωνοι δὲ κύρβεις.
Axones quadrangulares, triangulares vero cyrbes.

Subdit paulo infra:

Καὶ ἔτι ὁι μὲν ἄξονες ὑπῆρχον ἀπὸ ξύλων.
Αἱ κύρβεις ἦσαν δὲ χαλκαὶ, ὀ μὲν τι ἀπὸ ξύλων.
Et præterea Axones erant ex lignis:
Cyrbes erant æreæ, non quidem ex lignis.

7. *In chartis* ſcribebatur: quod quando Romam perlarum, alii docuerunt. Inepte; ut cetera, Polydorus Virgilius libr. 2. de Rer. Inventor. cap. 8. C. Plinii verba apponam ex libr. 13. cap. 11. *Chartam Alexandri Magni victoria repertam, auctor eſt Varro, condita in Ægypto Alexandria*. Quod falsum eſſe indicat Melchior Guillandinus, ex Anacreonte, Alcæo, Æſchylo, qui ante natum Alexandrum chartæ meminere: & puto Varronem intelligendum de publico receptoque chartarum uſu, quod & verum eſt. 8. *Mem-*

(1) Heinſius legit: Subſcribam: Veneris fidas ſibi Naſo miniſtras.

8. *Membrana* materia ſcriptionibus. Paulus J. C. libr. 4. Sententiar. tit. 7. *Sive in charta, ſive in membranis, ſive in quacumque alia materia ſint volumina*. Quare *membranei codices* dicuntur ab Ulpiano libr. 24. ad Sabinum. Vet. Gloſſ. *membrana*, Vetus Scholiaſtes, qui putatur Cornutus, ad illud A. Perſii Sat. 3. princ. & Theodorus Marcilius doctiſsimus:

Jam liber, & poſitis bicolor membrana capillis.

9. Denique ante ullum uſum horum, quæ memoravi, cum literis carebant penitus, effigies animalium ſaxis inſculpebant, ſignificandis rebus aptas, vocataque Hieroglyphica, quæ multorum voluminibus poſteris prodita omnino interiere, præter ſolius Hori Apollinis, qui ſub Theodoſio Aug. Conſtantinopoli vixit. De hoc Hieroglyphicorum modo Lucan. libr. 3. Pharſal.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, in ſaxis tantum volucreſque fereque,
Mutaque ſervabant magicas animalia linguas.

Cujuslibet ſcripturæ prima elementa, ſeu capitales literas minio illinebant, aut coloribus aliis depingebant. Ovid. libr. 1. Triſt. Eleg. 1.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Et libr. 1. Amor. Eleg. 12.

At tanquam minio penitus medicata rubebas,
Ille color vere ſanguinolentus erat.

Martial. libr. 3. Epigr. 2.

Et croco rubeat ſuperbus index.

MS. meus melius:

Et cocco rubeat ſuperbus index.

Addebant miniatis ſic literis purpureum tegmen, umbilicum in medio, cornua ad angulos, ut ampliſſimi ſunt teſtes Alb. Tibull. libr. 3. Eleg. 1. Statius libr. 4. Silv. ult. A. Perſius Sat. 3. v. 31. Ovid. libr. 1. Triſt. Eleg. 1. Martialis loco laudato, & libr. 5. Epigr. 6. libr. 8. Epigr. 72. libr. 11. Epigr. 108. quos non exſcribo. Tantum unicum locum Joannis Tzetzis omiſſum adſcribam ex Chiliad. 12. Hiſtoriar. cap. 405.

Ἀπὸ τῆς χαρτῶν εὑρέσεως, οἱ γράφοντες τοὺς νόμους
Ἐν ματρικίοις ἔγραφον, ἤτοι σανίσι ξύλοις.
Ante chartarum inventionem, qui ſcribebant leges
In matricibus ſcribebant, ſive in aſſeribus ligneis.

Digitized by Google

Ab Etruſcis acceptæ fabulæ Atellanæ, ſeu Oſcæ: earum partes, & diſtributio: eiſodium, embola, exodium, ſales; Poëtæ Urbici dicti, & cum his cantores.

C A P. LXXIX.

OBlectamenta animi in ſcænicis hauſere Romani ab Etruſcis; *Fabulæ enim delectationis cauſa inventæ ſunt*, ut loquitur Servius ad Eclog. 6. Virgilianam: & jam antea docui, *Oſcos* eſſe Tuſciæ *populum*. Addendus Vellejus Paterculus libr. 1. Hiſtor. ſcriptor quidem Tiberii ævo illuſtris & facundus; ſed, ut illud ſeculum ſuadebat, ſupra decorum, & hiſtorici gravitatem in adulationem propenſus: *Cumanos Oſca mutavit vicinia*. Quænam Oſca vicinia? certe Etruſca. De harum fabularum igitur origine T. Livius 1. Decad. libr. 7. princ. ubi de ludorum & hiſtrionum origine, ſubjungit: *Poſtquam lege hac fabularum a riſu ac ſoluto joco res avocabatur, & ludus in artem paulatim verterat; juventus, hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactitare cœpit: quæ inde exodia poſtea appellata, conſertaque fabellis potiſſimum Atellanis ſunt: quod genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit juventus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. Eo inſtitutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, & ſtipendia, tamquam expertes artis ludicræ, faciant*. Ex quibus verbis clarum eſt, fabellas has ab Oſcis ſeu Tuſcis petitas, ingentique honore repertores earum affectos. Suffragatur Valerius Maximus libr. 2. cap. 4. tit. 4. *Atellani autem ab Oſcis acciti ſunt, quod genus delectationis Italica ſeveritate temperatum, ideoque vacuum nota eſt; nam neque tribu movetur, neque a militaribus ſtipendiis repellitur*. Livium ille tranſcripſit. Sueton. cap. 45. Tiber. *Unde nota in Atellanico exodio proximis ludis aſſenſu maximo excepta percrebuit*. In his ludis itaque exodium erat, ut liquet ex Livio Suetonioque: hoc eſt carmen dicax ad exhilarandos ſpectantium animos, gravi tragicorum affectuum recordatione exulceratos. Aurel. Caſſiodor. libr. 4. Epiſt. ult. *Mimus etiam, qui nunc ſantummodo deriſui habetur, tanta Philiſtionis cautela repertus eſt, ut ejus actus poneretur in literis, quatenus mundum, curis edacibus æſtuantem, letiſſimis ſententiis temperaret*. In MS erat *repararet*, fortaſſis melius: viderit Lector. Inde exodiarius dicitur harum fabularum actor. Ammian. Marcellin. libr. 28. *Ut in omni ſpectaculo exodiario, venatorii, aurigæ, & hiſtrionum genere omni*. Vide locum.

Partiebantur dicaces haſce fabulas, & diſtribuebant varie, ut verboſiſſimi Grammatici uſque ad legentium tædia gerunt: ego tres tan-

tum

tum earum partes facio. Initio enim εἴσοδος, cantus dictus, quaſi *introitus*, ut vertit Rudolphus Gualterus in Julio Polluce libr. 14. Onomaſt. cap. 15. ut ſcilicet ad audiendum accenderentur ſpectatores. Vel in medio actu canebatur, ut choragus veſtes mutatas ſuppeditaret, eſſetque nonnihili temporis, quo actores ipſi reſpirarent: illaque cantio ἔμβολον vocatum, quaſi *inſertum*; nam embolum axem rotis immiſſum ſignificat, quo tota curſus compago firmatur; ita intermedio illo cantu ſpectantium animi audientiumque incitantur, & præparantur ad ea, quæ ſuperſunt, patientius audienda: hinc cantrices illæ *embolariæ mulieres* a Plinio dicuntur. Denique in fine dramatis ἐξόδια cani ſolita. Feſtus libr. 5. exponit *exitum*. Jul. Firmicus Maternus libr. 6. Matheſeos: *Quum effeminati corporis mollitie cinædos efficient, & qui veterum fabularum in ſcænis ſæpe ſaltantes imitentur exitus*. M. Varro in Hecatombe, *exodium* vitæ, pro termino uſurpavit. Idem in Satyra ταφῆ Μενίππου:

. . . . . quod cœperas modo in via
Narrare, ut ad exodium adducas.

Vetus Scholiaſtes D. Juvenalis ad Satyr. 3. v. 175. *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut quidquid lacrymarum atque triſtitiæ coëgiſſent ex tragicis affectibus, hujus ſpectaculi riſus detergeret: meminit & Lucilius:*

Principio exitusq; dignus exodiumque ſequatur.

Juvenal. loco laudato:

. . . . . tandemque redit ad pulpita notum
Exodium.

Poëtæ horum carminum appellabantur *Urbici*, ad diſcrimen, ut puto, eorum, qui Græcanico ritu in pagis agebant perſonati. Fulgentius Placiadeſve libr. 2. Mytholog. circa fin. *Denique Beatinius augur dicere ſolitus erat, diverſarum urbium honores ſimiliter peragi urbicario mimologo.* Idem Juvenal. Sat. 6. v. 71.

Urbicus exodio riſum movet Atellanæ
Geſtibus Antonoes.

Doctiſſimus Hadrianus Turnebus notat libr. 3. Adverſarior. cap. 17. Martial. libr. 1. Epigr. 42.

Quod non optimus urbicus poëta.

Legibus certe mordacitas hæc nimia coërcita, gravique pœna & poëta ſeu auctor, & actor ſeu comœdus coërciti; ut ex Paulo J.C. infra citando apparebit. Sueton. Domit. cap. 10. *Occidit & Helvidium filium, quod quaſi ſcænico exodio, ſub perſona Paridis & Oenones, divortium ſuum cum uxore tractaſſet.* Dictaque hæc carmina, *joci*, *dicteria*, *ſales*. Furius Bibaculus apud Aurelium Macrobium libr. 2. Saturnal. cap. 1. *Jocus in oratione non extat, mihi ex libro Furii Bibaculi notus eſt, & inter alia ejus dicteria celebratur.* Genus hoc *jocos* veteres, noſtri *dicteria* dicebant. M. Varronis verſus corrupti apud Nonium Marcell. cap. 2. ſic reſtituti ſunt:

Quam

Quam mobile, neque orthopallica attulit pſalteria,
Quibus ſonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia.

Sales vero audiunt apud Poëtas paſsim. Claudian. de Conſulatu Manlii Theodori:

Qui lætis riſum ſalibus moviſſe facetus.

Martial. libr. 10. Epigr. 9.

Et multo ſale, nec tamen protervo.

Horat. libr. 2. Epiſt. 2.

Carmine tu gaudes, hic delectatur jambis,
Ille Bionæis ſermonibus, & ſale nigro.

M. Manil. libr. 5. Aſtronom.

. . . . petulantia corda,
Et ſale mordaci dulces quærentia riſus.

L. Seneca in Epigrammatis:

Quare tolle jocos, non eſt jocus eſſe malignum,
Nunquam ſunt grati qui nocuere ſales.

Cantorum iſtorum duplex officium, vel ut ſpecie oblectamenti ad pſalterium viros quoſque claros inceſſerent, veluti carmina famoſa ingerentes. Jul. Paulus J.C. libr. 5. Receptar. Sententiar. tit. 4. *Pſalterium, quod vulgo dicitur, canticum in alterius infamiam compoſitum, & publice recitatum, tam in eos, qui cantaverint, quam in eos, qui compoſuerint, extra ordinem vindicatur*. Vel certe, ut cœtum dimitterent. Q. Horat. in Arte Poëtica:

Si plauſoris eges aulæa moventis, & uſque
Seſſuri, donec cantor, vos plaudite, dicat.

Etruſcorum inventum carmina nuptialia, ſive Feſcenini verſus.

CAP. LXXX.

A Feſcenia Etruriæ oppido, ut eſt apud Plinium libr. 3. cap. 5. nuptialia carmina & nomen & inventionem habent. Teſtis Servius Honoratus ad libr. 7. Æneid. pag. 479. *Feſcenium oppidum eſt, ubi nuptialia inventa ſunt carmina: hi populi ab Athenienſibus originem ducunt*. T. Liv. 1. Decad. libr. 7. princ. *Qui non ſicut ante Feſcenino verſu ſimilem, incompoſitum temere ac rudem alternis jaciebant; ſed impletas modis ſatyras, deſcripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant*. Sidon. Apollinar. libr. 1. Epiſt. 5. *Vix per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnaſia, thalaſſia,*

laſſia, Feſceninus explicaretur. Cur autem caneretur hic verſus in nuptiis, ſcilicet ne impudica verba audire cogeretur ſponſa, diligenter ad illum locum diſquirit eruditiſſimus Joannes Savaro, quem non exſcribo: tu conſule. Feſt. Pomp. libr. 6. *Feſcenini verſus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Feſcenina dicuntur allati, ſive eo dicti, quia faſcinum putabantur arcere*. Hunc verſum intellige apud Catullum in Epithalamio Juliæ & Manlii:

Excituſque hilari die
Voce carmina tinnula
Nuptialia concinens,
Pelle humum pedibus.

Et eodem loco poſt:

Nec diu taceat procax
Feſcennina locutio.

Et Claudian. libr. 2. de Raptu Proſerpinæ ad finem:

Exultant cum voce pii, Diiſque ſub aula
Talia pervigili ducunt exordia cantu.

Et in Epithalamio Honorii & Mariæ:

Ducant pervigiles carmina tibiæ,
Permiſſiſque jocis turba licentior
Exultet tetricis libera legibus.

Erat autem Feſceninus verſus diverſus ab acclamatione illa fauſta, quam affines concipiebant boni ominis gratia, de qua dico libr. 5. Antiquitat. Romanar. cap. 37. Adde Aſinium Pollionem apud L. Senecam patrem libr. 7. Controverſ. 6. *Inter nuptiales Feſceninos in crucem generi noſtri jocabantur*.

Etruſcorum inventum navis, & illa ex corio & vimine, Britannorum ritu, ſeu Scotorum: ex abjete, ex alno: tutela: varia genera: nomina unde.

CAP. LXXXI.

Uti animi oblectamentum ab Etruſcis accepere Romani, ita & commercia ab iiſdem hauſiſſe eos, jam clarum fiet. Iſidor. libr. 19. cap. 1. *Lydii primam navem fabricaverunt, pelagique incerta petentes, pervium mare uſibus humanis fecerunt*; quamvis Polydorus Virgilius aliter habeat libr. 3. de Rer. Inventorib. cap. 15. Nobilis eſt locus Draconis Corcyrei antiquiſſimi Scriptoris apud Athenæum libr. 15. Dipnoſ. quem conſule hoc ipſo libro cap. 46. ubi de Jano. Rudi illo ævo naves ex corio circumſuto viminibus, exemplo Britan-

tannorum ſeu Scotorum. C. Plin. libr. 4. cap. 16. *Britannos vitilibus navigiis corio circumſutis navigare*. Et libr. 7. cap. 56. *Etiam nunc in Oceano Britannico vitiles corio circumſuto fiunt*. Solin. cap. 56. *Etiam nunc in Oceano Britannico vitiles corio circumſuto fiunt*. Solin. cap. 25. *Navigant*, Britanni, *vimineis alveis, quos circundant ambitione tergorum bubulorum*. Gloſſ. Iſidori. *Carabus, parva ſcapha ex vimine & corio*. Iterum Solinus cap. 60. *Bubulis utribus contabulatas crates* ſuperponunt; *vectatique hoc ratis genere, venenatis ſagittis prætereuntes petunt*. Ideoque Maro libr. 6. Æneid. Charontis cymbam ſutilem fecit, notat Turnebus libr. 28. cap. 45.

. . . . . gemuit ſub pondere cymba
Sutilis.

Ita alii Poëtæ. M. Lucan. Pharſal. libr. 4. v. 139.

Utque habuit ripas Sicoris, campoſque reliquit,
Primum cana ſalix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæſoque induta juvenco,
Vectoris patiens, tumidum ſupereminet amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſoque Britannus
Navigat Oceano, ſic cum tenet omnia Nilus,
Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

Sidon. Apollinar. Carm. 7. v. 370.

Quin & Aremoricus pyratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus, & adſuto glaucum mare findere lembo.

Feſtus Avienus libr. 1. Oræ maritimæ pag. 191.

. . . . ſed res ad miraculum,
Navigia junctis ſemper aptant pellibus,
Corioque vaſtum ſæpe percurrunt ſalum.

Hæc prima origo navis, quam aliqui ad Janum referunt, qui navigio in Italiam devectus, ideoque & nummum cum navis effigie cudit, uti ſupra oſtenſum: poſtea vero e lignis texi naves cœpere, aut mercibus aut bello aptæ: & materia lignum varium.

1. *Ficus*. Ita tamen, ut ficulnæ naves in proverbium abjerint, pro parum firmis & ſecuris. Suidas in voce συκίνη ναῦς.

2. *Pinus*. Ovid. Epiſt. Paridis ad Helenam:

Troja cæduntur Phrygia pineta ſecuri,
Quæque erat æquoreis utilis arbor aquis.

3. *Robur*; unde & robuſtæ naves, ſed parum celeres. P. Ovid. loco eodem, ut citæ ſint naves, flectebatur robur:

Fundatura citas flectuntur robora naves.

4. *Abies*. C. Plin. libr. 16. cap. 10. *Abies expetita navigiis*. Ratio apud eundem libr. eod. cap. 41. *Tradunt, abjetem circa germinationem decorticatam, qua diximus luna, aquis non corrumpi*. Serv. ad libr. 2. Georg. pag. 98. *Eſt ſpecies abjetis apta navigiis, quam ſappinum vocant*. Ipſe Virgilius ibi:

... ca-

Digitized by Google

. . . . *caſus abjes viſura marinos.*

Claudian. libr. 2. de Raptu:

Apta fretis abjes.

5. Arbor quædam innominata in Tylo inſula maris Rubri, *quam durantem*, inquit Theophraſti interpres Latinus libr. 5. Hiſtor. Plantar. cap. 6. *Ducentis annis inventam, etſi mari mergeretur, incorruptam.* Alexandri Magni comites invenerunt, ex iiſque naves fabricarunt, teſte Plinio loco proxime laudato.

6. *Alnus* celebratiſſima apud Poëtas. Unius aut alterius loco contentus ero. Stat. libr. 3. Thebaid. v. 24.

Fluctibus Joniis Calabræ datus arbiter alno.

M. Lucan. libr. 5. v. 597.

. . . . *ſonuit victis compagibus alnus.*

Claudian. de 4. Hon. Conſul.

Æquoreas alni nato commendat habenas.

Navibus ſuæ erant *tutelæ*, hoc eſt Deorum ſimulacra, in quorum præſidio navim eſſe volebant, ut itineris auſpicati ducum. Suid. Παταῖκοι θεοὶ, *Patæci Dii*, purpurei, in puppibus collocati. Vide eundem in voce Παλλάδιον. C. Petron. Satyrico: *Viliſſimo ſanguine tutelam placare.* Feſt. libr. 5. in voce *Europam*. Mentio etiam in ſacris literis. Act. Apoſtolor. cap. 28. Scholiaſtes Ariſtophanis. Plutarchus Convivio ſeptem ſapientum. Theodorus Marcilius, Profeſſor Eloquentiæ Regius Pariſiis, ad Perſium. Hi Dii aut *ex ebore cælati* erant, ut eſt apud L. Senecam Epiſt. 76. *aut picti* tantummodo. Ovid. loco laudato:

Accipit & pictos puppis adunca Deos.

Et libr. 1. Triſt. Eleg. 2.

. . . . . *pictos verberat unda Deos.*

Nec minor inter Criticos contentio, ubinam loci in navigio tutela collocaretur. Joannes Brodæus libr. 1. Miſcellan. cap. 10. *proræ* ſolere imponi contendit. Alii docti, inter quos Lipſius, *puppi* volunt adfixam, & videtur patrocinari A. Perſius Sat. 3. v. 60.

Ingentes de puppe Dii.

Denique in media navi locum ei aſſignatum contendunt alii. Lutatius Placidius in libr. 8. Thebaid. v. 270.

Sic ubi per fluctus uno ratis obruta ſomno
Conticuit, tantique maris ſecura juventus
Mandavere animas, vigili ſtat puppe magiſter
Pervigil, inſcriptaque Deus qui navigat alno.

Navigantes itaque Deum ſibi pro libidine ad tutelam aſſumebant, vocabaturque navis tutelæ ſuæ nomine; ita amantes plerumque Venerem aut Cupidinem. Ovid. Epiſt. Paridis:

Qua tamen ipſe vehor, comitata Cupidine parvo
Sponſor conjugii ſtat Dea facta ſui.

Ita interpretor Sidonii Apollinaris locum e Carm. 9. v. 115.

Cum juſſu Veneris patrocinantis
Terras Oebalias, & hoſpitales
Raptor depopulatus eſt Amyclas.

Horat. libr. 1. Od. 14. ubi recte Joannes Bondus *navis inſigne, Deos* exponit:

. . . . . . *non tibi ſunt integra lintea,*
Non Dî, quos iterum preſſa voces malo.

Navium varia genera. Ab A. Gellio iſtæ ponuntur libr. 10. cap. 25. *Gauli, corbitæ, caudicæ, longæ, hippagines, cercuri, celoces vel ut Græci dicunt celetes, lembi, oriæ, lenunculi, actuariæ, quas Græci ἐπικώπους vocant vel ἐπιβάλιδας, proſumiæ, vel geſeoretæ, vel horiolæ, ſtlatæ, pontones, atatiæ, hemidiæ, phaſeli, parones, myoparones, lintres, caupuli, camaræ, placidæ, cidarum, ratariæ, cataſcopium*. Pleraque nomina iſta ſunt apud Julium Pollucem libr. 1. Onomaſt. cap. 9. Sunt & aliæ Romanis in uſu, videlicet *Prætoria ſeu turrita, roſtratæ, tectæ, conſtratæ, liburnicæ, onerariæ, caudicæ, curſoriæ, cuſtodiariæ, ſpeculatoriæ, tabellariæ, exeres, ſchediæ, epibates*: de quibus Wolfgangus Lazius libr. 6. Commentar. Reip. Rom. cap. 8.

Denique non tantum a tutelis ſeu inſignibus nomina navibus indita, ut dixi, ſed etiam ab urbibus aut locis, in quibus factæ, ut *Naxiurges* ab inſula *Naxo*: *Gnidiurges* a Gnido: *Corcyreæ, Pariæ*, ab inſulis illis. Suid. in voce Ναξιωργὴς κάνθαρος.

Etruſcorum inventum roſtra navium, & naves roſtratæ.

CAP. LXXXII.

ROſtrum, ſeu ἔμβολον, ſeu προεμβολὶς eorundem induſtriæ inventum adſcribitur. Plin. libr. 7. cap. 56. *Antea ex prora tantum & puppi pugnabatur: roſtra addidit Piſeus, Tyrrheni anchoram*. Ita vulgati Codices concipiunt; at in MS. Foxiano aliter: *Roſtrum addidit Piſeus Tyrrhenus, uti & anchoram*. Ex hac inventione roſtratæ naves ſecutæ. Livius paſſim. Cæſar libr. 2. Bell. Civil. *Cum claſſe navium ſedecim, in quibus paucæ erant æratæ*. Hircius de Bello Alexandrino: *Navibus actuariis, magnitudine quamquam non ſatis juſta ad prœliandum roſtra impoſuit*. Deſcribit perite Appianus Alexandrinus libr. 2. Civil. Quem vide. Virgil. libr. 8. Æneid.

In medio claſſes æratas, Actia bella.

Etru-

Etruſcorum inventum anchora.

CAP. LXXXIII.

HÆc quoque, ſine qua navigari non poſſet, Tuſcorum inventum. Plin. quem capite ſuperiore retulimus libr. 7. cap. 56. *Roſtrum addidit Piſeus, Tyrrheni anchoram*. At aliter MS. probiſſimæ notæ ex Bibliotheca Collegii Foxiani Tholoſæ: *Roſtrum addidit Piſeus Tyrrhenus, uti & anchoram;* ut velit ille ab eodem Piſco Rege & roſtrum navibus, & anchoram additum. Sed pergo ad alia. (1)

Etruſcorum Piratica, myoparones, ſtlatæ, cilices, & in eos bellum.

CAP. LXXXIV.

NOn tantum honeſta, vitæque ſalubria inventa fuere Etruſcorum, ſed & quædam a civili cultu, ſed tamen non a fortitudine bellica abhorrentia, iisdem aſſignat vetuſtas, ut in his Piraticam. Iſidor. libr. 18. cap. 4. *Hanc* (tubam) *a Tyrrhenis prædonibus excogitatam dicunt, cum diſperſi circa maritimas oras, non facile ad quamque prædæ occaſionem voce aut buccina convocarentur, vento plerumque obſtrepente*. Menodotus Samius apud Athenæum libr. 15. pag. 672. non multum poſt principium. Diodor. Sicul. libr. 5. Ὁμοίως δὲ καὶ ναυτικαῖς δυνάμεσιν ἰσχύσαντες, καὶ πολλοὺς χρόνους θαλαττοκρατήσαντες. *Quin & claſſe pollentes, diu maris imperium tenuere*. Pierii Valeriani locum adſcribam e libr. 27. pag. 275. *Ab ea ſulcandi maris facilitate, qua Tyrrheni olim plurimum claruere, qui Piraticam exercentes, univerſo fere orbi terrori erant, Delphinorum cognomentum in Græcorum fabulis adepti ſunt, cum præſertim Pelaſgi, referente Mirſilo Lesbio* (ſuppoſitus hic auctor & ab Annio obtruſus) *Crotone occupata, Tyrrhenam etiam regionem invaſiſſent, in qua diutius habitantes, nauticam didicerunt: habiti inter piratas etiam Pelaſgi*. Suſpicari hinc licet ab eodem auctore, Piſeo ſcilicet Rege, & tubam, & navim, & roſtra in belli uſus navalis, & anchoram, & piraticam excogitatas. Et forte ſedes ei Volaterræ electa, quippe urbis ſitus inexpugnabili acceſſu tutiores prædones red-

(1) Hinc inter nummos Etruſcos allatos in fine cap. 46. hujus libri nonnulli ancorâ ſignantur.

debat: nec eſt in eo litore urbs, quæ piratis commodior mihi videatur.

Naves piraticæ piratarumque roſtratæ, Myoparones dicebantur. Iſidor. libr. 19. cap. 1. *Myoparo, quaſi minimus pari, idem quod carabus; eſt enim parva ſcapha ex vimine facta, quæ contexta crudo corio genus navigii præbet, quas habent Germanorum piratæ in Oceani litoribus.* Malim legere: *quæ contecta crudo corio*. Vide ſupra de navis Britannicæ inventione. Valer. Maxim. libr. 2. cap. 8. tit. 5. *Probentur nunc cujuslibet gloriæ cupidi, qui ex deſertis montibus, myoparonumque piraticis roſtris, laudis inopes, laureæ ramulos feſtinabunda manu decerpſerunt.* Et libr. 6. cap. 9. tit. 15. *Parva igitur ſumma clariſſimum mundi ſidus in piratico myoparone rependi fortuna voluit.* Sidon. Apollinar. libr. 8. Epiſt. 6. *Litoribus Oceani curvis pandos inerrare myoparones, quorum quot remiges videris, totidem putes te cernere archipiratas.* Achilles Tatius venuſtæ, ſed impuræ dictionis libr. 3. de Amorib. Clitophontis & Leucippes, pag. 82. videatur; neque enim mihi eſt nunc ad manum. D. Hieronymus in Vita D. Hilarionis etiam conſulatur. Nomen ei certe a *Paro* inſula, & oppido *Myunte*, ut ſcripſit Turnebus. Vide Suidam ſupra, ubi de navis inventione actum in fine capitis. P. Aſpernas apud L. Senecam libr. 1. Controver. 2. *Jacuiſti in piratæ myoparone.* Junius Gallio ibidem loci, & ipſe vetus declamator: *Capta es a piratis, inter ſervos, inter homicidas, in illis myoparonis anguſtiis ſpatiata es.* Ennod. Ticinenſis Declamat. 14. *Gauderem evaſiſſe me pedorem carceris, vincla piratarum, niſi regreſſo mihi myoparonum loco pater exiſteret.* Oroſ. libr. 6. cap. 2. *Mithridates cum quaſſata jam navi mergeretur, in myoparonem Seleuci piratæ, ipſo pirata adjuvante, tranſilivit.* Feſt. libr. 11. *Navigium diſſimilium formarum* interpretatur, quaſi *Midion & paron*: rectius *Miſion & paron*; nam *in Miſia ad Saſonem ſtatio piratarum*. Plin. libr. 3. cap. ult. Joann. Stadius putat *Galeonem* hodie dici, ſed vix Senecæ locus conſentit. Salluſt. libr. 3. *A duobus prædonum myoparonibus circumventa.* Siſen. Hiſtor. libr. 4. *Naveſque biremes triginta, totidemque myoparones.* M. Cicero libr. 3. Republ. apud Nonium cap. 13. num. 6. Et Act. Verr. 6.

Eadem naves piratarum *ſtlatæ* dictæ. Gloſſ. Vetus: *Stlata*, πειρατικοῦ σκάφους εἶδος. Caper Grammaticus libr. de Orthogr. *Stlataris ſine litera c ſcribendum eſt, a ſtlata rate piratica.* A. Gell. libr. 10. cap. 25. Q. Ennius:

Et melior navis, quam quæ ſtlataria portat.

Juvenalis ſic intelligendus Sat. 7. v. 134. de piratarum opulentia:

Spondet enim Tyrio ſtlataria purpura filo.

Piratæ antiquiſſimis ſeculis Tuſci, poſtea Corcyrenſes, tum Cilices. Præter Hiſtoricos Lucan. lib. 9. v. 224.

O nunquam pacate Cilix, iterumque rapinas
Tendis in æquoreas.

Bel-

Bellum in iſtos, omnia depopulantes, anno Urbis 686. Pompejo decretum, qui eos infra anguſtias ſuas quadraginta dierum ſpatio, aut paulo amplius, navibus ademptis, redegit. Hiſtoricos omitto. Horat. Epod. Od. 4. in fine. Claudian. libr. 1. in Eutrop. in fine:

. . . . *piratica Magnum*
Erigit.

M. Lucan. libr. 2. Pharſal. v. 576.

Qui cum ſigna tuli toto fulgentia ponto,
Ante bis exactum, quam Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Anguſtaque domum terrarum in ſede popoſcit.

Cumque ab eo quindecim præfecti fuiſſent conſtituti. Plut. in eo pag. 632. *Gellius mari Tuſco impoſitus.* L. Florus libr. 3. Hiſtor. Roman. cap. 6.

Etruſcorum inventum leges in Italia: ab iis duodecim Tabularum ſupplementum Romani ſumpſerunt.

CAP. LXXXV.

Deerat hoc ſolum ad magnitudinem Tuſcorum oſtendendam, ut etiam victor ille gentium populus ab Etruſcis bene conſtituendi regiminis normam peteret. Servius Honoratus ad libr. 7. Æneid. pag. 479. *Faliſcos Æquos dicit, ideſt juſtos, quia populus Romanus, miſſis decemviris, ab ipſis jura fecialia, & nonnulla ſupplementa duodecim Tabularum accepit, quas ab Athenienſibus habuerant.* Romani itaque & a Græcorum præcipuis civitatibus, in Græciam miſſis cum ſumma poteſtate Xviris, & a Græcorum in Italia coloniis, quarum vel præcipua Faliſci erant, ab Halæſo Rege deducta, ut libr. 2. ſupra hoc opere cap. 31. leges illas celebratiſſimas duodecim Tabularum conſcribendas, recitandas, figendaſque in foro curarunt: de quibus pauca.

Has leges Romani a legatorum numero Xvirales, aut a tabulis XIIvirales ex Lycurgi Rhetris, & Solonis Axonibus digeſſerunt. Fr. Laziard. Hiſtor. Univerſal. cap. 43. Et nimis rigidas emendarunt, mitioribus tantum tranſcriptis. Flor. Tertullian. Apolog. cap. 4. Fr. Zephyrius Florentinus Paraphraſtes, & Beatus Rhenanus. Joan. Zonar. Tom. 2. Annal. pag. 27. Georg. Cedren. Compendio Hiſtoriar. pag. 120. Freculphus Lexonienſis libr. 4. Tom. 1. Chronic. cap. 10. Dio Coccejan. libr. 44. Hiſtoriar. pag. 252. At enim nec leges illæ valde vetuſtæ ſunt cenſendæ, cum nunquam Homerus legis nomen ſuis operibus inſe-

inſeruerit. Fl. Joſephus libr. 2. Contr. Apionem pag. 1070. Jam de tempore, quo latæ ſunt leges Xvirales, ingens eſt inter ſcriptores diſſenſio.

Id factum Paulus Oroſius libr. 2. cap. 13. *Olympiade nonageſima quinta* contendit, hoc eſt, *anno* Urbis conditæ *treceteſimo*. Error in numero indubie eſt, & vidit eum verius Fr. Fabritius Marcoduranus, quem ſuſtulit: in aliis editionibus habetur *octuageſima*. Dionyſ. Halicarnaſſeus Olympiadem ponit *octuageſimam ſecundam*. Diodorus Siculus libr. 12. Bibliothec. *octuageſimam quartam*, tanta eſt diſcrepantia.

Nec Latini concordes, ut animadvertit Philippus Broidæus Arienſis. A. Gell. libr. 20. cap. 1. *anno treceteſimo*. Fl. Eutrop. libr. 1. Hiſt. Roman. cap. 14. *anno treceteſimo altero*. Cui concors eſt T. Livius 1. Decad. libr. 3. Alii paulo ſerius. Jul. Solin. Polyhiſtor. cap. 2. *anno treceteſimo quarto*. Quam controverſiam facile componemus, ſi Xviros anno Urbis conditæ trecenteſimo creatos, miſſoſque ad leges transferendas dicamus, anno ſequenti eas leges tuliſſe eos, ac populo probante fixiſſe: tertio demum anno Appii Claudii ſcelere imperium iis abrogatum, ſuffectique novi Conſules L. Valerius Potitus, M. Horatius Barbatus, ut ex noſtra liquet tragœdia, cui titulus: *Decemviratus abrogatus*, quæ biduo toto, ſummo plauſu exhibita Pariſiis Kal. Maiis CIↃ IↃCXIII. Verum interiere præclaræ illæ Græcorum Faliſcorumque Etruſcorum leges tempore Alexandri Severi, cum totum forum, cui affixæ fuiſſent, arſiſſet, ut ex Hiſtoricis alii notarunt, uſque adeo ut quæ apud Rhetores Grammaticoſque ſuperſunt, & maxime in libris Ciceronis de Legibus, *non ſunt verba legum antiquarum, ſed tantum ſenſus*. Acute Antonius Guibertus Coſtanus Quæſt. Jur. Memorabil. libr. 1. cap. 11. num. 13.

Extulere eas auctores veteres plerique, uſque adeo ut M. Cicero libr. 1. de Oratore, *omnes omnium philoſophorum bibliothecas uno legis* XII. *libello ſuperari* dicat. Et libr. 4. de Republica, *non rerum ſolum, ſed etiam verborum elegantiam* admiratur, ut recitat Nonius Marcellus in voce *Lis*. Sed varia quoque laudatis nomina, *duodecim tabula* ſimpliciter ab eodem Cicerone vocantur libr. 1. de Legibus ad finem. *Et duodecim* ſine ulla adjectione libr. 3. de Legib. fine. Interdum etiam *Lex in duodecim*. Feſt. Pomp. libr. 18. in voce *Vagulatio*. Gloſſ. Vet. Philoxeni. *Duodecim*, ταβ. δυοκαίδεκα. Idem Feſt. libr. 16. in voce *Ricinium*. Alias *Lex Romana*. Idem Feſt. libr. 5. in voce *Erctum*. Aliquando quoque *Decemviralis Lex*. A. Gell. libr. 20. cap. 1. *Lex vetuſta*. Cajus J.C. l. 1. ff. orig. Jur. *Lex antiqua*. Ulpian. J.C. l. 2. ff. noxialib. action. *Jus antiquum*. Scævola J.C. l. 29. ff. libr. & poſthum. eadem appellatio a Juſtiniano Aug. recepta l. un. C. de nudo Quirit. Jur. tollendo. *Lex antiquiſſima*. Novella 22. cap. 2. *Jus exploratum*. l. pen. C. legit. hæred. Sed & *Lex*, per excellentiam, quaſi prima præſtantiſſimaque omnium legum. Cato in Oratione, qua legem Orchiam diſſua-

det,

det, apud Feſtum libr. 14. voce *Percunctatum*. M. Tull. libr. 8. Epiſt. Famil. 8. Ulpian. Regul. Jur. tit. 22. §. 19. & l. 130. ff. verb. ſignificat. l. 7. ff. de pact. & l. 7. ff. bon. damnator. *Fons omnis publici privatique Juris*. C. Tacit. libr. 3. Annal. *finis Juris æqui*. T. Liv. 1. Decad. libr. 3. Et Poëtæ laudavere. Sidon. Apollinar. Carm. 23. v. 446.

Quo bis ſex Tabulas docente Juris
Ultro Claudianus Appius lateret
Claro obſcurior in Decemviratu.

Aurel. Prudent. libr. 2. in Symmachum:

. . . . . . dicat, cur condita ſit lex
Bis ſex in tabulis, aut cur rubrica minetur
Evinctura reos?

D. Auſon. in Ternario:

Jus triplex, tabulæ quod ter ſanxere quaternæ.

Et mirum ſane mihi viſum, hoc a nullo ante me obſervatum, quod ſciam, ſupplementa legum harum a Tuſcis petita, cum tam multi, tamque eruditi noſtro ævo ſcriptores eas illuſtrarint, Antonius Auguſtinus, Joannes Oldendorpius, Julius Pacius; Joan. Criſpinus, Ant. Contius, Franciſcus Hottomannus, Dionyſius Gottofredus, Stephanus Piglius in Annalibus ſuis, Franc. Balduinus, Hadrian. Turnebus, Ludovicus Charondas, Juſtus Lipſius, Bartholomæus Marlianus, Pandulphus Pratæjus, & omnium doctiſſime Theodorus Marcilius, Regius Pariſiis Eloquentiæ Profeſſor.

Etruſcorum inventum Juria Fecialia, & Fecialium poteſtas in rebus bellicis: haſta & caduceo armati, illam jaciebant bellum indicturi.

CAP. LXXXVI.

Non modo arma, ornamenta, ordines, acierumque ab Etruſcis diſpoſitio ad Romanos profecta, ut ſuperius hoc libro oſtenſum; ſed jura quoque bellica ab iiſdem petita. Servii verba ad libr. 7. Æneid. pag. 479. quia initio præcedentis capitis appoſui, hic non repeto; ſed addo pulcherrimum Dionyſii Halicarnaſſei teſtimonium libr. 1. pag. 17. ubi ea Regibus Aboriginum fuiſſe in uſu docet, & ſic eos deſcribit: Ἱεροί τινες ἄνδρες, ἄνοπλοι πρὸ τῶν ἄλλων ἰόντες σπονδοφόροι. *Sacri quidam viri, ſine armis alios præeuntes, libaminum & fœderum oblationes ferentes*. Et in σπονδοφορικῷ fabula, Alexis Comicus citatur a Julio Polluce libr. 10. Onomaſt. cap. 24. in fine: quod an ad Feciales referri debeat, non delibeto. Illi itaque inermes armatis impera-

perabant, & jus ultro citroque commeandi impune habebant: ſancti crediti, ac ob id ab omni injuria contumeliaque remoti. Cumque Græci eo magiſtratu careant, Romulus collegium eorum inſtituit, petito ab Æquis exemplo, ideſt Tuſcis: quoſque, quia pacis præſides erant, Græco vocabulo εἰρηνοδίκας, *judices pacis* idem ſcriptor appellat libr. 2. pag. 131. ubi omnia eorum munia exequitur: quem vide. Et libr. 6. pag. 358. & libr. 9. pag. 617. & alibi ſæpe. Iſti & feciales, & fæciales, & fætiales dicuntur. Vetus lapis apud Aldum Manutium Orthographiæ pag. 352. (1)

P. CORNELIO L. F. SCIPIONI
COS. PR. AERARII. LEGATO
TI. CAES. AVG. LEG. VIII. HISP.
PONTIF. FETIALI
D. D

Conſulebantur hi in omnibus bellicis negotiis, nec ſine eorum interventu quicquam facile poterat ſtabiliri. T. Liv. 4. Decad. libr. 1. principio. & 1. Decad. libr. 1. in rebus Romuli, & in rebus Ancii Martii, qui caduceo haſtaque armati, ut eſt apud A. Gellium libr. 10. cap. 27. Feſtum libr. 8. Ammianum libr. 19. principio, Diodorum Siculum libr. 7. cap. 2. Velaro capite bellum indicebant, denuntiabantque. Jacobus Schegkius libello Præmeriorum cap. 10. Indictio belli fiebat haſta conjecta in fines hoſtium, cujus altera pars ſanguinolenta, altera vero ambuſta eſſet, ad internecionem hoſtium exprimendam. M. Varro in Caleno, & uberrime Servius Honoratus ad illud Virgilii libr. 9. Æneid.

Principium pugnæ.

Et ad illud libr. 10. Æneid.

. . . . . *tunc res rapuiſſe licebit.*

Et ad illud libr. 12. Æneid.

. . . . . . *verbena tempora vincti.*

Corruptus locus in Bucolico carmine Titi Calphurnii Siculi, elegantiſſimi ac terſiſſimi leporis Poëtæ. Eclog. 1. v. 53.

Candida pax aderat, nec ſolum candida vultu,
Qualis ſæpe ſolet, cum libera Marte profuſo,
Quæ domito procul hoſte, tamen graſſantibus armis
Libera diffudit tacito diſcordia ferro.

Primus verſus ex Tibullo eſt libr. 1. Eleg. ult. & C. Petronio in Civilib.

Pax prima ante alias, niveos pulſata lacertos,
Abſcondit galea victum caput.

Putarem legendum *candida cultu* in eodem verſu, ut ad veſtem paucis albam

(1) Apud Gruter. pag. 397. num. 5. Vid. & Grut. pag. 360. num. 3. & pag. 457 n. 2.

albam referatur. Coripp. African. libr. 2. num. 3. Martial. libr. 8. Epigr. 64. de eadem Pace Dea.

In ſecundo verſu, Mars profuſus quid ſit, quæratur, niſi forte cladem ubique ſparſam diffuſamque intelligamus; ſed melius de publica belli licentia poſt Fetialium denuntiationem; legetur:

. . . quæ libera Marte profeſſo.

Denique in ultimo verſu, Victor Giſelinus ait, ***diſcordium*** pro diſcordia reperiſſe ſe apud Prudentium; ſed diſplicet. Itaque corrigendum:

. Libera diffudit tacito diſcrimina ferro

Quod autem haſta etiam in Urbe ex SC. ultra columnam Bellonæ indicendo bello jaceretur, & ob id eam belli Deam habitam, Deoſque haſtis armatos depingi, quod validiſſimum ſit telum, vide a me dicta libr. 3. Antiquitat. Romanar. cap. 12.

Etruſcorum haſta Velitaris, & de Velitum armaturis pauca.

CAP. LXXXVII.

Velites ipſos dictos ab Etruſcis, hoc ipſo libro ſupra cap. 65. docui; nunc vero armaturam ipſorum, ſcilicet haſtam, eorundem Etruſcorum Rex Tyrrhenus excogitavit. C. Plin. libr. 7. cap. 56. ſcribit, inveniſſe ***haſtas velitares Tyrrhenum, pilumque.*** Meminit T. Livius 4. Decad. libr. 8. ***Conſul, quia non comminus pugnam, ſed procul locis oppugnandis præceperat animo, ingentem vim pilorum, velitarium haſtarum, glandiſque modicorum, quæ fundis mitti poſſent lapidum paraverat.*** Quibus ex verbis, quæ velitum armatura eſſet, facile oſtenditur. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 8. pag. 531. eadem habet. C. Saluſt. Jugurt. ***Præterea jere ſagittarii, cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi cauſa.*** Ergo & aliis leviora erant horum arma. Ovid. in Ibin.

Utque petit primo plenum flaventis arena
Nondum calfacti velitis haſta ſolum.

Plura qui cupis, conſule Vegetium, & Juſtum Lipſium opere erudito de Militia Romana.

Etruſcorum pilum, & quale id teli genus fuerit: nomina inde Ducum Romanorum, Pilani, Primipilares.

CAP. LXXXVIII.

Pili Tyrrhenum Etruſcorum Regem inventorem eſſe, Plinii verba capite ſuperiori oſtendunt. Hoc ſane teli genus, a Tuſcis exceptum, ita ſuum Romani fecerunt, ut ſicut gladius Spartanorum, ſariſſa Macedonum, lancea Hiſpanorum, gæſa Gallorum, ſagaris Perſarum, acinacis Medorum, falarica Saguntinorum, ſparus ruſticorum, framea Germanorum, cateja Teutonum, & rhomphea Thracum habebantur; ita Romanis propria armatura erat pilum, quod Etruſcorum inventum fuiſſe ante Romam conditam, tam glorioſe prædicare poſſum, quam mirari a nullo doctorum ad tantæ gentis gloriam, quod ſciam, obſervatum. Deſcribit pulcherrime Polybius Megapolitanus libr. 6. pag. 469. quem vide: & ex eo Tit. Livius 3. Decad. libr. 1. in obſidione Sagunti: & poſt utrumque Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 5. pag. 312. Appian. Alexandrin. in bello Celt. in principio: ἃ δόρατα Ῥωμαῖοι καλοῦσι νήσσους: quæ interpres, quia non intellexerat, non vertit, *quas haſtas* (pila, quæ deſcribit) *Romani vocant neſſos;* ſed locum corruptum reſtitue & lege: Ῥωμαῖοι καλοῦσιν ὑσσοὺς. *Romani vocant pila:* qui error ab imperito eſt librario, qui ν literam, priori dictioni ademptam, poſteriori male junxerat. Gloſſar. vetus, πίλος, ὑσσός. Iterum Gloſſar. *pilum*, ὗσσος: & alibi *pilum* Ῥωμαικὸν δόρυ, *Romana haſta*. Lambertus Hortenſius Montfortius in M. Lucani Pharſaliam. L. Seneca libr. 3. de Ira cap. 2. Ipſe Lucanus libr. 1. in limine; Et libr. 3. v. 589.

Pila ſed in medium venere trementia pectus.

Et libr. 7. v. 460.

Pila parata diu tenſis tenuere lacertis.

Et libr. 8. v. 597.

Septimius, qui, proh ſuperum dolor! arma ſatelles
Regia geſtabat poſito deformia pilo.

Juvenal. Sat. 10. v. 94. Stat. libr. 3. Silv. 3. v. 101. Et libr. 4. Thebaid. v. 110. P. Ovid. libr. 6. Faſtor. principio:

Mittere qui poterat pila, diſertus erat.

Silius Italicus libr. 8. Punicor.

Pila volant, brevibuſque habiles mucronibus enſes.

Valer. Flacc. libr. 6. Argonaut.

Digitized by Google

Romanas veluti ſæviſſima cum legiones
Tiſiphone, regeſque monet, quorum agmina pilis,
Atque Aquilis utrinque micant.

Per pilum itaque honorem caſtrenſem intelligunt; unde *primum pilum capeſcere* dixit Plinius libr. 22. cap. 6. Ab eo & *primipilaris* dignitas frequenter apud probos auctores. Et *pilata cohors* Martiali dicta libr. 10. Epigr. 48. Hinc *primipilaris*. Æl. Spartian. in Peſcennio Nigro pag. 110. Et *primipilarius*. Idem in Didio Juliano pag. 91. Et ab eodem etiam fonte *Pilani* appellati, ut eſt fuſiſſime apud T. Livium 1. Decad. libr. 3. P. Ovid. libr. 1. Faſtor. Et notat Robertus Valturius libr. de Re Militari:

Et totidem princeps, totidem Pilanus habebat.

Lapſis Reip. deinde temporibus, & non magis Imperio extenuato, quam corrupta lingua, *pilum* idem fuit, ac *ſpiculum*. Fl. Veget. libr. 2. Rei Milit. cap. 15. *Item bina miſſilia, unum majus, ferro triangulo, unciarum novem, haſtili pedum quinque ac ſenis, quod pilum vocabant, nunc ſpiculum dicitur, ad cujus ictum præcipue exercebantur milites*: Forte non alienum eſſet, lectionem iſtam admittere, *ad cujus jactum præcipue exercebantur milites*. Notum quippe, pilum jacere in hoſtem, & excutere conſueviſſe. Idem Veget. libr. 1. cap. 20. *Ita enim vibrandis ſpiculis vehementior ictus eſt*. Quæ verba ſunt in libello Modeſti ad Tacitum Auguſtum de Vocabulis Militaribus. Plura de Pilo Romano a me ſunt dicta ad illud Claudiani libr. 2. in Ruffinum:

Jam jam barbaricos ſitientia pila cruores
Sponte volant.

Etruſcorum inventum venabula venatoria, quibus ingentis magnitudinis feras comminus excipiebant.

CAP. LXXXIX.

ETruſcorum Regem, de quo ſuperiori libro cap. 29. *Piſeum venabula* inveniſſe auctor eſt Plinius libr. 7. cap. 56. a quo & Græci primum ejus uſum inſtrumenti venatorii accepe- rint: quæ *Dorica* vocata, vel ab armatura ſic dicta, Heſychio teſte: vel *Laconica*; ea quippe gens a Dorica origine erat: vel certe a *Doride*, in quo monte haſtilia apta venabulis. Adrian. Turneb. libr. 17. cap. 2. Martialis in Amphitheatro Tiri Epigr. 23.

Dorica quam certo venabula dirigit ictu.

Digitized by Google

Hanc Etruſcorum inventionem tranſcripſit ex Plinio Polydorus Virgilius libr. 2. de Rer. Inventorib. cap. 11. Romani ſane hoc quoque ab Etruſcis mutuati, ut jam ex dicendis his patebit. *Venabula* contendit Servius Maurus ad libr. 4. Æneid. v. 131. pag. 321. dicta, quod ſint apta venatui, quaſi excipiabula. Iſidor. libr. 18. Etymologiar. cap. 7. *Venabula* interpretatur, *quaſi venatui habilia*. Non. Marcell. cap. 18. num. 23. *Venantiam telum latiſſimum, a ceteris aciei longiſſima* exponit. Græcis eſt προβόλιον, *quod feris obiiciatur*. Notat Æmilius Portus, Xenophon. libr. de Venatione paſſim, maxime pag. 991. quem vide. Plinius Junior libr. 1. Epiſt. 6. Poëtæ frequentiſſime. L. Seneca Hippolyto Act. 1. ſc. 1.

Tu grave dextra, lævaque ſimul
Robur lato dirige ferro.

Martial. libr. 14. Epigr. 30. lemma eſt *Venabula*:

Excipient apros, expectabuntque leones,
Intrabunt urſos, ſit modo firma manus.

M. Varro Satyr. ὄνος λύραν.

. . . . *nempe ſues ſilvaticos*
In montibus ſectaris venabulo,
Aut cervos.

Sidon. Apollinar. Carm. 7. v. 199.

. . . . *colluctantique lacerto*
Vaſta per adverſas venabula figere prædas.

Gratius Etruſcus Poëta, ævo Auguſti, in Cyneget.

Ille etiam valido primus venabula dente
Induit, & proni moderatus vulneris iram.

M. Lucan. libr. 1. v. 212. de Leone:

. . . *latum ſubeant venabula pectus.*

Stat. Papin. libr. 2. Silv. 5.

Non formidato ſupra venabula ſaltu
Incitus.

Denique Romani utebantur venabulo, non modo in veris venationibus, ſed etiam in amphitheatralibus, & arenariis, quæ ad verarum ſpeciem in gratiam populi exhiberi ſolebant, productis gladiatoribus, & immanibus belluis objectis, ut deſcribit Fl. Vopiſcus in Probo pag. 354. Idque maxime fiebat, cum ad bellum educeret copias Imperator. Jul. Capitolin. in Maximo & Balbino pag. 249. Credebant enim, venationem belli eſſe imaginem. In hac venatione venabulo gladiatores muniti, ut ex multis Epigrammatis in Amphitheatro Martialis manifeſtiſſimum eſt. Et ſale multo D. Juvenalis Satyr. 1. in principio:

Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

Etru-

Etruſcorum inventum prætoria Ducum, ſive cælula aut uraniſca: ea pellibus tegi ſolita: in obſidione Vejentum a Romanis uſurpata primum: papiliones: contubernales dicti, qui ſub iisdem pellibus milites biemaſſent.

CAP. XC.

AD majeſtatem Principum militantium attinere videbatur, ut οὐρανίσκον, ſeu *conopæum*, aut *cælulum*, (ita enim in libr. 3. Iliad. expoſitum ab Euſtathio) Dux ſaltem quieri nocturnæ captandæ haberet, hoc etiam, ut pleraque alia, Etruſcorum inventum. Sext. Properrius Lucumonem facit auctorem libr. 4. Eleg. 1.

Prima galeritus poſuit prætoria Lygmon.

Romanis certe ſerior ejus rei, ur multarum aliarum uſus conceſſus; neque enim ii habuerunr, anre Vejorum obſtinaram illam obſidionem, hoc eſt annum Urbis Conditæ 327. ut non male notavit Joannes Camers: quod magnis firmatur auctoribus. T. Liv. 1. Decad. libr. 5. *In Vejorum obſidione primum ſub pellibus biemare cæperunt*. L. Flor. libr. 1. Hiſtor. Rom. cap. 12. *Vejentum quanta res fuerit, indicat decennis obſidio: tunc primum byematum ſub pellibus, taxata ſtipendio biberna*. Quæ ille, ur mulra alia, verbatim ex Livio ranſcripſit, ur non male in Codice MS. hic rirulus ſit: *L. Annæi Flori Epitoma de Hyſtoria Titi Livii, argumentum feliciter incipit*.. Ita vidiſſe ſe teſtarur Joſephus Chaſſanæus; at in editione vulgata, ſed vetuſtiſſima hæc Epigraphe præfertur: *Iucipit Lucii Annæi Flori Epitoma de Tito Livio, qui Hiſtoriam R. ab Urbe Condita ſcripſit*. Sed de Floro ſatis: ad prætoria, ſive tentoria redeo. Mos ille a Tuſcis ad Græcos Latinoſque migravit. Ac de Græcis quidem Arrian. Nicomed. libr. de Geſtis Alexandri: *Tentoria militum erant ex pellibus, levi materia repletis*. Ita interpres Larinus; nam Græcus Codex non eſt ad manum. Idem libr. 3. *Jubet tentoriis pelles detrabi, eaſque minutis ac levibus feſtu is conſui*. Q. Curtius Rufus libr. 7. *Sæpe pellibus tabernaculi allevatis, ut aſpiceret boſtium ignes*.

Romani vero quam frequenrer pellibus uſi ſint ad prætoria ſua integenda, docenr ſequentia. Epiſtola Valeriani Aug. ad Zoſimionem apud Trebellium Pollionem pag 305. in Divo Claudio: *Pellium tentoriarum decurias triginta*. Fl. Vopiſc. in Aureliano: *Pelles ad tabernacula & tentoria paratæ*. Ammian. Marcellin. libr. 19. *Sub pellibus exercitu diffu-*

Digitized by Google

Hanc Etruſcorum inventionem tranſcripſit ex Plinio Polydorus Virgilius libr. 2. de Rer. Inventorib. cap. 11. Romani ſane hoc quoque ab Etruſcis mutuati, ut jam ex dicendis his patebit. *Venabula* contendit Servius Maurus ad libr. 4. Æneid. v. 131. pag. 321. dicta, quod ſint apta venatui, quaſi excipiabula. Iſidor. libr. 18. Etymologiar. cap. 7. *Venabula* interpretatur, *quaſi venatui habilia*. Non. Marcell. cap. 18. num. 23. *Venantium telum latiſſimum, a ceteris aciei longiſſimæ* exponit. Græcis eſt *προβόλιον, quod feris obiiciatur*. Notat Æmilius Portus, Xenophon. libr. de Venatione paſſim, maxime pag. 991. quem vide. Plinius Junior libr. 1. Epiſt. 6. Poëtæ frequentiſſime. L. Seneca Hippolyto Act. 1. ſc. 1.

Tu grave dextra, lævaque ſimul
Robur lato dirige ferro.

Martial. libr. 14. Epigr. 30. lemma eſt *Venabula:*

Excipient apros, expectabuntque leones,
Intrabunt urſos, ſit modo firma manus.

M. Varro Satyr. ὄνος λύρας.

. . . . nempe ſues ſilvaticos
In montibus ſectaris venabulo,
Aut cervos.

Sidon. Apollinar. Carm. 7. v. 199.

. . . . . . colluctantique lacerto
Vaſta per adverſas venabula figere prædas.

Gratius Etruſcus Poëta, ævo Auguſti, in Cyneget.

Ille etiam valido primus venabula dente
Induis, & proni moderatus vulneris iram.

M. Lucan. libr. 1. v. 212. de Leone:

. . . latum ſubeant venabula pectus.

Stat. Papin. libr. 2. Silv. 5.

Non formidato ſupra venabula ſaltu
Incitus.

Denique Romani utebantur venabulo, non modo in veris venationibus, ſed etiam in amphitheatralibus, & arenariis, quæ ad verarum ſpeciem in gratiam populi exhiberi ſolebant, productis gladiatoribus, & immanibus belluis objectis, ut deſcribit Fl. Vopiſcus in Probo pag. 354. Idque maxime fiebat, cum ad bellum educeret copias Imperator. Jul. Capitolin. in Maximo & Balbino pag. 249. Credebant enim, venationem belli eſſe imaginem. In hac venatione venabulo gladiatores muniti, ut ex multis Epigrammatis in Amphitheatro Martialis manifeſtiſſimum eſt. Et ſale multo D. Juvenalis Satyr. 1. in principio:

Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

Etru-

Etruſcorum inventum prætoria Ducum, ſive cælula aut uraniſca: ea pellibus tegi ſolita: in obſidione Vejentum a Romanis uſurpata primum: papiliones: contubernales dicti, qui ſub iisdem pellibus milites hiemaſſent.

CAP. XC.

AD majeſtatem Principum militantium attinere videbatur, ut *ὀυράνισκον*, ſeu *conopæum*, aut *cælulum*, (ita enim in libr. 3. Iliad. expoſitum ab Euſtathio) Dux ſaltem quieti nocturnæ captandæ haberet, hoc etiam, ut pleraque alia, Etruſcorum inventum. Sext. Propertius Lucumonem facit auctorem libr. 4. Eleg. 1.

Prima galeritus poſuit prætoria Lygmon.

Romanis certe ſerior ejus rei, ut multarum aliarum uſus conceſſus; neque enim ii habuerunt, ante Vejorum obſtinatam illam obſidionem, hoc eſt annum Urbis Conditæ 327. ut non male notavit Joannes Camers: quod magnis firmatur auctoribus. T. Liv. 1. Decad. libr. 5. *In Vejorum obſidione primum ſub pellibus hiemare cæperunt.* L. Flor. libr. 1. Hiſtor. Rom. cap. 12. *Vejentum quanta res fuerit, indicat decennis obſidio: tunc primum hyematum ſub pellibus, taxata ſtipendio hiberna.* Quæ ille, ut multa alia, verbarim ex Livio tranſcripſit, ut non male in Codice MS. hic titulus ſit: *L. Annæi Flori Epitoma de Hyſtoria Titi Livii, argumentum feliciter incipit..* Ita vidiſſe ſe teſtatur Joſephus Chaſſanæus; at in editione vulgata, ſed vetuſtiſſima hæc Epigraphe præfertur: *Incipit Lucii Annæi Flori Epitoma de Tito Livio, qui Hiſtoriam R. ab Urbe Condita ſcripſit.* Sed de Floro ſatis: ad prætoria, ſive tentoria redeo. Mos ille a Tuſcis ad Græcos Latinoſque migravit. Ac de Græcis quidem Arrian. Nicomed. libr. de Geſtis Alexandri: *Tentoria militum erant ex pellibus, levi materia repletis.* Ita interpres Latinus; nam Græcus Codex non eſt ad manum. Idem libr. 3. *Jubet tentoriis pelles detrahi, eaſque minutis ac levibus feſtucis conſui.* Q. Curtius Rufus libr. 7. *Sæpe pellibus tabernaculi allevatis, ut aſpiceret hoſtium ignes.*

Romani vero quam frequenter pellibus uſi ſint ad prætoria ſua integenda, docent ſequentia. Epiſtola Valeriani Aug. ad Zoſimionem apud Trebellium Pollionem pag 305. in Divo Claudio: *Pellium tentoriarum decurias trigiuta.* Fl. Vopiſc. in Aureliano: *Pelles ad tabernacula & tentoria paratæ.* Ammian. Marcellin. libr. 19. *Sub pellibus exercitu diffu-*

diffuſo, per Iſtri fluminis margines barbaros obſervabat. Cæſar Comment. de Bello Gallico libr. 3. in fine. *Ejuſmodi tempeſtates ſunt conſecutæ, ut opus neceſſario intermitteretur, & continuatione imbrium diutius ſub pellibus milites contineri non poſſent*. Idem libr. 3. de Bello Civili cap. 4. *Reliquarum legionum adventum expectare, & ſub pellibus hyemare conſtituit*. Corn. Tacit. in rebus Neronis libr. 13. Annal. *Retentus omnis exercitus ſub pellibus, quamvis hyeme ſæva, adeo ut obducta glacie, niſi effoſſa humus, locum tentoriis non præberet*. Latin. Pacat. Drepanius in Panegyrico Theodoſii: *Summatim tuum illud contingant, cum patre divino caſtrenſe collegium, hiemes actas ſub pellibus, æſtates inter bella ſudatas*. Cl. Claudian. libr. 1. de Laudib. Stilic.

. . . . patris ſtimulos igneſque mariti
Vincit cura ducis, quoties ſub pellibus egit
Ædonas hyemes? vel tardi flabra Bootæ
Sub dio Riphæa tulit?

Ita conſtanter in MS. meo; at in quibuſdam vulgatis paulo aliter. Servius ad illud libr. 12. Æneid. v. 365.

Ac velut Edoni Boreæ cum ſpiritus alto
Inſonat Ægæo.

Contra *Ædonius* apud Statium libr. 5. Thebaid. v. 78.

Dulcius Ædonias hiemes, Arctonque frementem
Excipere.

Ad *tentoria*, ſeu *prætoria* redeo, quæ & δερμάτινα, ſive *calula*, & *conopea* appellantur, ut ex Poëmate meo de *Muſca* liquet; ſed & *tabernacula*. Sub eodem autem tabernaculo hiemantes, militari vocabulo dicti *contubernales*. Vetus lapis. [1]

CN. CVRIONI
SABINO
LEG. XVII. MIL
P. METELLVS
CALVINVS
CONTVBERNALI
DULCISS. POS.

Altera item vetus Inſcriptio apud Wolfgangum Lazium libr. 4. Commentar. Reip. Rom. cap. 5. [2]

AVLVS. CORAVLVS. MIL.
LEG. XXII. PP. F. QVI
VIXIT. AN. XXXIII. STIP.
XIIII. CIVES. CIVITATE. ANCHE
V v SANVS. DIATR

ET.

(1) Apud Grut. pag. 539. num. 6. (2) Apud eundem Grut. pag. 523. num. 7.

ET. MVCAPOR. MVRALIS
MIL. LEG. FRATRES. ET. CONTVBERNALES. OPT
PIETATE. FECERVNT.

Plura qui cupis, adi Robertum Valturium libr. 9. Rei Militar. pag. 190. & ego dixi libr. 5. Antiquitar. Rom. cap. 31. de pellibus multa. Denique conopæa hæc etiam *papiliones* appellata. Æl. Spartian. in Peſcennio Nigro: *Idem in omni expeditione ante omnes militarem cibum ſumpſit ante papilionem.* Æl. Lampridius in Alexandro Severo: *In procinctu atque expeditionibus apertis papilionibus prandit atque cœnavit. Quum militarem cibum cunctis videntibus, atque gaudentibus ſumeret.* Et poſt in eadem hiſtoria: *Pranderat forte publico, ut ſolebat, convivio, ideſt apertis papilionibus.* Illa nón ſemper ex pellibus; ſed invaleſcente luxu etiam aurati. Trebell. Pollio in Herode: *Homo omnium delicatiſſimus, & prorſus Orientalis, & Græcæ luxuriæ, cui erant ſigillata tentoria, & aurati papiliones, & omnia Perſica.*

Etruſcorum inventum ſcorpio, tormentum poliorceticum, atque etiam telum: duplex, major, minorque: onager etiam dictus.

CAP. XCI.

HOc quoque expugnandis urbibus idoneum, ne quid deeſſe tantæ gloriæ videatur, Etruſcis debetur. C. Plin. libr. 7. cap. 56. *Piſeum venabula, & in tormentis ſcorpionem, Cretas, catapultam Syros, Phœnica baliſtam & fundam.* Ita quidem Codices vulgati; ſed longe melius MSS. in quibus, quod etiam præfert editio Jacobi Dalecampii, ſic legitur: *Piſeum venabula, & in tormentis ſcorpionem: Cretas catapultam: Syrophœnicas baliſtam & fundam.* Claro ſenſu, & probabili; ſolet enim Plinius inventorum nomina præponere, iiſque res inventas ſubjungere. Valebat itaque Scorpio, qui & onager dicebatur, poriſſimum in Urbium obſidionibus, ut a Juſto Lipſio libr. Poliorcericon oſtenditur: eſtque tam tormentum ipſum, quam telum, tormento emiſſum, ut notat Hadrianus Turnebus libr. 15. Adverſarior. cap. 1. Cæſar libr. 5. Belli Civil. *Scorpione accuratius miſſo, atque eorum decurione percuſſo, & ad terram defixo.* Solent enim promiſcue telum pro tormento accipi, & tormentum teli loco poni. M. Plaut. in Curcul. ſc. *Beatus*:

Nam illæ ad me catapultæ crebro commeant.

Et ſc. *Argentariis* eadem fabula:

Ego

Ego ex te hodie faciam pilum catapultarium,
Ita te nervo torquebo itidem, ut catapultæ ſolent:

Deſcribit Marcellinus libr. 23. Hiſtoriar. & Modeſtus obiter ex eo de Militarib. Vocabul. *Scorpionis, quem appellant nunc onagrum, hujuſmodi forma eſt: dolantur axes duo quernei vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere videantur in gibbas: hique in modum ſerratoriæ machinæ connectuntur, ex utroque latere patentius perforati, quos inter per cavernas funes colligantur robuſti, compagem ne diſſiliant continentes, ab hac medietate reſtium, ligneus ſtilus ſurgens obliquus, & in modum jugalis temonis erectus, ita nervorum modulis implicatur, ut altius attolli poſſit, & inclinari: ſimul atque unci ferrei copulantur, ex quibus pendet ſtuppa vel ferrea funda, cui ligno ſulcimentum proſternitur ingens cilicium, paleis conſertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum ſuper congeſtos ceſpites, vel lateritios aggeres; nam muro ſaxeo hujuſmodi moles impoſita, disjectat quidquid invenerit ſubter concuſſione violenta, non pondere. Cum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ impoſito, quaterni altrinſecus juvenes repagula, quibus incorporati ſunt funes, explicantes retrorſum, ſtylum pæne uncinum inclinant; itaque demum ſublimis adſtans magiſter, clauſtrum, quod totius operis continet vincula, reſerat, malleo forti percuſſum, unde abſolutus ictu volucri ſtilus, ac mollitudine offenſus cilicii ſaxum intorquet, quidquid incurrerit, colliſurum. Et tormentum quidem appellatur, quod ex eo omnis explicatio torquetur; ſcorpio autem, quoniam aculeum habet deſuper erectum: cui etiam onagri vocabulum indidit ætas novella, ea re, quod aſini feri, ut venatibus aguntur, ita eminus lapides poſt terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora ſequentium, aut perfractis oſſibus capita ipſa diſplodant.* Idem libr. 19. *Per ſcorpionum ferreas fundas, e propugnaculis ſubinde rotundi lapides acti, diſſolutis turrium coagmentis, baliſtas, eorumque tortores ſudere præcipites.* Et violentia ab eodem inſinuatur libr. 24. Hiſtor. *Poſt machinam ſcorpionis architectus forte adſiſtens, reverberato lapide, quem artifex titubanter aptaverat fundæ, obliſo pectore ſauciatus perfudit animam, disjecta compage membrorum, adeo ut ne ſigna quidem totius corporis noſcerentur.* Vide doctiſſimum Tiliobrogam.

Licet eandem machinam dicat Ammianus eſſe ſcorpionem & onagrum; tamen diſtingunt boni Auctores. Vitruvius Pollio libr. 10. cap. 1. Tertullianus, Iſidorus, laudati a doctiſſ. Godeſcalco Stennechio ad libr. 4. Fl. Vegetii cap. 22. Cteſibius, Apollodorus, Athenæus, Philo libr. de Machinis, & Anthemius a Guilielmo Xylandro citati ad Vitruvii libr. 10. cap. 15. etiam conſulantur. Et epiſtolæ, rerum nuntiæ, ſcorpionibus emiſſæ. Salluſt. libr. 3. Hiſtoriar. Denique ſcorpio duplex, major una, minor alia, ut ex Sileno Græco Auctore vetuſtiſſimo, & Valerio Antiate conſtat, laudatis a T. Livio 3. Decad. libr. 6. Et conſule Wolfgangum Lazium libr. 4. Commentarior. Reip. Rom. cap. 6.

Etru-

Etruſcorum uſus bis in die menſas ponere: & Romanos ſemel tantum comedere ſolitos, idque veſperi: prandia non ſemper in uſu.

CAP. XCII.

OPipara duplicis menſæ lautitia ab Etruſcis uſurpata Athenæus libr. 4. Dipnoſophiſt. pag. 153. Παρὰ δὲ Τυῤῥηνοῖς δὶς τῆς ἡμέρας τραπέζαι πολυτελεῖς παρασκευάζονται, ἀνθιναί τε στρωμναὶ, καὶ ἐκπώματα ἀργυρᾶ παντοδαπὰ, καὶ δούλων πλῆθος εὐπρεπῶν παρέστηκεν, ἐσθήσεσι πολυτελέσι κεκοσμημένων. Quæ ſic Latine ſonant: *Apud Tuſcos bis quotidie menſæ parantur ſumptuoſæ, cum ſtragulis florido colore tinctis, ac omnifariis ex argento poculis, & magno ſervorum numero, qui decoris ingentiſque pretii veſtibus induti adſiſtunt*. Hæc quidem Etruſcorum fuit opulenta magnificentia, quam ſenſim Romani creſcentibus opibus imbiberunt: ſenſim, inquam; quia initio naſcentis Reipublicæ, ſemel tantum de die veſci moris erat, neque cenſorias in id latas leges tranſgredi licebat. Notum illud Servii Mauri ad libr. 4. Æneid. *Prandia in uſu non erant*. Et ex illo Iſidor. libr. 2. Etymologiar. cap. 20. Salvian. Maſſilienſis libr. 1. de Providentia & Judicio Dei: *Nunquid parcam illam tunc, agreſtemque vitam cum gemitu & dolore tolerabant, cum viles & ruſticos cibos ante ipſos, quibus coxerant focos, ſumerent, eoſque ipſos capere, niſi ad veſperam non liceret?* Aurel. Caſſiodor libr. Comment. in Pſalm. 14. *Sicut antiquis mos erat, ſemel cibum ſumere*. Servio favet L. Seneca Epiſt. 122. Et Pomponius Sabinus; *Antiqui non prandebant, uti in vita Galieni traditur*. Manlius Severinus Boëthius libr. 2. de Conſolatione Philoſophiæ Metro 5.

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu;
Facili quæ ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande.

Hæc licet certa ſint populi Romani rudimenta, tamen virulenter Philippus Beroaldus invectus eſt in Servium Annotation. num. 24. qui ſemper in uſu prandia fuiſſe Romæ docere nititur: eumque ſecutus Janus Parrhaſius Epiſtolicis Quæſtionibus Epiſt. 57. Joan. Bodinus ad libr. 1. Oppiani Cyneget. Guilielm. Philander in M. Vitruvii Architectonicem libr. 6. cap 5. & alii Criticorum. Et videtur favere Cicero 3. Verrina: *Quid ego adventus iſtius prandia, cænas, equos, muneraque commemorem?* Sed ille mos non Romanorum fuit, ſed Aſiaticorum luxu perditorum. Valer. Maxim. libr. 2. cap. 1. *Prandere & cænare*

in propatulo verecundiæ non erat. Quæ de media ætate, non prima ſunt capienda: uti & illa Macrobii libr. 2. Saturnal. cap. 13. *Patentibus januis pranſitaretur & cœnitaretur*. Neque aliter poëtæ ſunt intelligendi, cum prandii meminerunt. Horat. libr. 2. Satyr. 4.

. . . . qui nigris prandia moris
Finiet.

Et Satyr. 3. præcedenti:

Laſcivas ſoliti impenſas præbere coëmptas.

A. Perſius Satyr. 1.

His mane edictum, poſt prandia Callirboëndo.

Certum igitur ſit, ut in uſu prandia fuerunt Romanis poſt Aſiam devictam; ita initio conditæ Urbis licuiſſe ſemel tantum de die veſci, quamquam noſtri Tuſci laute bis epularentur, & Græci eorum exemplo. Jul. Pollux libr. 6. Onomaſt. cap. 1. Quin imo cum invecta ſunt Romam prandia, ſoli ſemper prandebant, cum amicis hilarius, veluti diei laboribus perfuncti, cœnabant. Plutarch. libr. 8. Sympoſiac. cap. 6. qui locus digniſſimus eſt conſuli. Quare Cornelius Celſus libr. 1. cap. 3. *Hieme ſi prandet aliquis, utilius eſt exiguum aliquid, & ipſum ſiccum, ſine carne, ſine potione ſumere*. Et rurſus idem libr. 4. & ex eo L. Seneca Epiſt. 83. Hinc illud eſt, quod prandium cœnæ nomine vocabant. Feſt. Pomp. libr. 3. in voce *Cænas*, & libr. 17. in voce *Scenſas*. Et libr. 14. in voce *Prandium*. Murilatus eſt locus, quem Guilielmus Canterus libr. 4. Novar. Lection. cap. 28. fatetur, ſe non poſſe ſupplere; at deeſt dictio Græca πρώιν, ut Joſephus Scaliger docuit.

Invecto more prandendi, Romani a prandio dormiebant, aliumque veluti diem meridiantes faciebant. Plinius Junior libr. 3. Epiſt. 5. L. Seneca Epiſt. 84. Et libr. de Tranquillit. Vitæ cap. 1. quod illi vocant diem interjungere. Horat. libr. 1. od. 1.

. . . . . partem ſolito demere de die.

Martial. libr. 3. Epigr. 67.

Exarſitque dies, & hora laſſos
Interjungit equos meridiana.

Hoc illud eſt, quod meridiari appellant. Multa doctiſſimus Savaro. Sueton. Auguſto cap. 78. & in Calig. cap. 38. Plinius Panegyrico Trajani. Paul. Diacon. libr. 2. Hiſtor. Longobardor. cap. 28. de Alboino Rege. Gregor. Turonenſ. libr. 10. Hiſt. Franc. cap. 2. de Alarico Romam capiente, quod jam ſcripſerat Procopius Cæſarienſis libr. 3. Veſtigium ejus moris & in ſacris literis libr. 2. Reg. cap. 11. & in Jobo cap. 24. ubi Nicolaus Lyra. Hinc Poëtæ. M. Varro in Quinquatribus apud Nonium Marcellum cap. 2. num. 131.

Quam in teſtudineo lecto, culcita plumea
De die dormire.

P. Ovid. libr. 1. Amor. Eleg. 5.

Æſtus erat, mediamque dies exegerat horam,
Appoſui dubio membra levanda thoro.

Q. Ca-

Q. Catull. Epigr. 30.

Meæ delitiæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum.

Paucis interjectis deinde oſtendit, quid ſit meridiare:

Nam pranſus jaceo, & ſatur ſupinus.

In aliis editionibus male:

Nam pranſus jaceo, & ſatis ſupinus.

Salernitanæ certe Scholæ doctores meridiare damnant, neſcio quid inde turbidum clamantes oriri:

. . . . . . ſomnum fuge meridianum.

Quin imo Medici illi veteres omnem pæne eſum potumque conſuetum admixta glacie aut nive inhibebant; uſque adeo, ut Galenus libris de Alimentorum facult. omnia bellaria pomaque ſecundis menſis inferri ſolita, ceu noxia excludat; at contra Catius ſalubria ea defendit, ut & Plinius libr. 15. cap. 12. & libr. 33. cap. 7. Jun. Moderat. Columella libr. 10.

Ambroſias præbent ſuccos oblita nocendi.

Qui plura vis de cœnarum nimio luxu, protractiſque tota nocte in multam ſequentis diei lucem epulis, conſule, quæ reperies a me ſcripta libr. 5. Antiquitat. Romanar. cap. 27.

Etruſci poculis argenteis utebantur: in duplici genere, cælata, & pura: miniſtri ab argento, qui ea aſſervabant, dicti.

CAP. XCIII.

POcula argentea ab Etruſcis ad Romanos migraſſe, locus Athenæi ſuperiori capite allatus docuit. Ea ſane, vel pura erant, qualia frugi homines, etiam luxu invecto, ſobrietatem ſapientes, habebant: vel cælata, immenſoque pretio peritiſſimorumque artificum manu ſculpta. C. Plin. Junior. libr. 3. Epiſt. 1. *Apponitur cœna non minus nitida, quam frugi, in argento puro & antiquo.* Alter Plinius libr. 33. cap. 12. *Et quid attinet hæc colligere, cum capuli militum contempto ebore, aut etiam faſtidito, cælentur argento, vaginæ batillis, baltei laminis crepitent, jam vero pædagogia ad tranſitum virilitatis cuſtodiantur argento, feminæ laventur, & niſi argentea ſolia faſtidiant, eademque materia & cibis, & probris ſerviat.* Mela J.C. apud Ulpianum l. 7. ff. de in rem verſo. *Illud verum non eſt, quod Mela ſcribit, ſi ſervo meo argentum dederis, ut pocula tibi faceret ex quolibet argento, mox factis poculis ſervus deceſſerit, eſſe tibi adverſum me de in rem verſo actio-*

actionem, quoniam poſſum pocula vindicare. Vetus Scholiaſt. Juvenal. ad v. 141. Sat. 9. *Non licebat Senatorem olim ſupra decem libras argenti habere*, Sic Poëtæ audiendi, P. Virgil. libr. 1. Æneid.

Ingens argentum menſis, cælataque in auro
Fortia facta patrum.

Juvenal. Sat. 1. v. 76.

Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.

Et Satyr. 9. v. 141.

Pignoribus poſitis argenti vaſcula puri.

Et Satyr. 10. in principio:

Pauca licet portes argenti vaſcula puri.

M. Martial. libr. 8. Epigr. 6.

Argenti furioſa ſui dum ſtemmata jactat
Garrulus.

Sed cenſerem cum Lipſio meo legendum:

Argenti fumoſa ſui dum ſtemmata jactat
Garrulus.

De cælatura vero argenteorum poculorum, vetus D. Juven. Scholiaſtes ad Satyr. 1. v. 76. Paulus J.C. l. 13. ff. de condict. furt. ex Fulcinio J.C. *Ex argento ſurrepto pocula facta condici poſſe Fulcinius ait, ergo in conditione poculorum, etiam cælaturæ æſtimatio fiet, quæ impenſa furis facta eſt*. Ulpian. J.C. l. 19. ff. aur. & arg. leg. *Si eſcarium argentum legatum ſit, id ſolum debebitur, quod ad epulandum in miniſterio habuit, id eſt ad eſum & potum*. Qui locus ſanus fruſtra tentatur a Criticis, cum ſit correctio eorum non ferenda, qui pro *id eſt* reponunt *item*. L. Sen. libr. de Tranquill. Animi cap. 1. *Placet argentum grave ruſtici patris, ac ſine ullo opere ac nomine artificis*. Et Conſolat. ad Helviam. cap. 11. *Si quis deſiderat aureis fulgentem vaſis ſuppellectilem, & antiquis nominibus artificum argentum nobile, æs paucorum inſania pretioſum*. Sed quinam illi tam nobiles, tam periti in cælandis argenteis poculis artifices? Cum C. Plinius dicat libr. 33. cap. 12. *Mirum auro cælando inclaruiſſe neminem, argento multos, maxime tamen laudatus eſt Mentor*. Ecce inſanam penitus veſcentium ingluviem, enormemque ac vix credendam luxuriem, cum aurum ab argento ſuperaretur pretio. Et de artificibus illis. Martial. libr. 8. Epigr. 51.

Qui labor in phiala? Docti Myos? Anne Myronis?
Mentoris hæc manus eſt, an Polyclete tua?

Emblemata iſta, ſeu ſculpturæ pretioſæ, proprio nomine *formæ* vocabantur. Sext. Propert. libr. 3. Eleg. 8.


Argumenta magis ſunt Mentoris addita formæ,
Et Myos exiguum flectit acanthus iter.

Et libr. 4. Eleg. 2.

At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Oſca manus.

Præfecti iſtis poculis ſervi, dicuntur *ab argento*, uti ſolemus dicere,

a pe



agro Clusino: ex delineatione transmissa a Laurentio Sozzifant

Digitized by Google




...atric Piſtorienſi, et in Ordine D. Stephani Priore, in cuius Muſeo aſſer...

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. LXXVIII.



Peculiaris delineatio figurarũ quæ in vase præcedentis Tab. LXXVII. in limbo superiore qui totũ vas ambit cælatæ sunt. Litera A bis repetita denotat̃ unam eandemque arã, ad quã exutroque latere dirigitur duplex ordo sacrificalis pompæ. Vterque ordo desinit in milites notatos litera B.

a pedibus, ab epiſtolis, a manu. Inſcriptiones quasdam apponam. (1)

ANTHVS. AD
ARGENTVM
POT. L. CAESARIS. &c.

Alia autem ſic ſe habet. (2)

OSSA
VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER
AB. ARGENTO. POTORIO. &c.

Tertius Lapis ita fert. (3)

PARTENIVS. CAESARIS. N. AB. ARGENTO. POTORIO. &c.

Quartum denique fragmentum eſt. (4)

ET. GEMELLO. AVG. LIB. PRAEPOSITO. ARGENTI.
POTORI. (5)

Etruſcis in uſu ſervi delicati, probeque veſtiti, qui menſis famularentur: Romani hoc etiam æmulati, pueros Alexandrinos, & Symphoniacos in triclinia admittebant.

CAP. XCIV.

ETruſcos omnis lautioris victus duces habuerunt Romani; nam illi pueros venuſtæ formæ, & pretioſis indutos veſtibus, ad honeſta maximeque neceſſaria menſæ officia alebant, ut verba Athenæi, proxime ſupra laudata cap. 92. fidem faciunt: ab his, ut omnia alia præclara, exemplum mutuata Roma, pueros dicaces, garruloſque ad convivantium hilaritatem Alexandriâ accerſebant. Philo Judæus libr. de Vita Contemplativa, cujus verba Petrus Ciacconus Latina fecit: *Miniſtrantibus formoſis mancipiis, non tam ad præſens miniſterium quæſitis, quam ad exhilarandos aſpectu convivantium oculos: ex iis minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam adferunt loti, & nitidi, fucatique, ac cincinnati; alunt enim capillitium, vel omnino intonſi, vel a fronte tantum, præſectis in orbem crinibus, tenuiſſimas candidaſque præcincti tunicas, anteriori parte ad genua demiſſas, poſteriore ad poplites, utrinque mollibus tæniis adſtricti, commiſſuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus, ſic ornati adſtant, nutus obſervant, quid quiſque poſtulet*. Vide multa, quæ ſequuntur, & quædam obſcæna etiam, ex induſtria, quia Chriſtiano indigna, adſcribere nolui.

Ho-

(1) Apud Grut. pag. 582. num. 6. (2) Apud eundem pag. 578. num. 5. (3) Apud eundem pag. 578. num. 9. (4) Apud eundem pag. 532. n. 7. (5) Argentea vaſa cælaturis ornata apud Etruſcos in uſu fuiſſe demonſtrat vas argenteum, cujus typum hic poſuimus,

a pedibus, ab epiſtolis, a manu. Inſcriptiones quaſdam apponam. (1)

ANTHVS. AD
ARGENTVM
POT. L. CAESARIS. &c.

Alia autem ſic ſe habet. (2)

OSSA
VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER
AB. ARGENTO. POTORIO. &c.

Tertius Lapis ita fert. (3)

PARTENIVS. CAESARIS. N. AB. ARGENTO. POTORIO. &c.

Quartum denique fragmentum eſt. (4)

ET. GEMELLO. AVG. LIB. PRAEPOSITO. ARGENTI.
POTORI. (5)

Etruſcis in uſu ſervi delicati, probeque veſtiti, qui menſis famularentur: Romani hoc etiam æmulati, pueros Alexandrinos, & Symphoniacos in triclinia admittebant.

CAP. XCIV.

Etruſcos omnis lautioris victus duces habuerunt Romani; nam illi pueros venuſtæ formæ, & pretioſis indutos veſtibus, ad honeſta maximeque neceſſaria menſæ officia alebant, ut verba Athenæi, proxime ſupra laudata cap. 92. fidem faciunt: ab his, ut omnia alia præclara, exemplum mutuata Roma, pueros dicaces, garruloſque ad convivantium hilaritatem Alexandriâ acceſſebant. Philo Judæus libr. de Vita Contemplativa, cujus verba Petrus Ciacconus Latina fecit: *Miniſtrantibus formoſis mancipiis, non tam ad præſens miniſterium quæſitis, quam ad exhilarandos aſpectu convivantium oculos: ex iis minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam adferunt loti, & nitidi, fucatique, ac cincinnati; alunt enim capillitium, vel omnino intonſi, vel a fronte tantum, præſectis in orbem crinibus, tenuiſſimas candidaſque præcincti tunicas, anteriori parte ad genua demiſſas, poſteriore ad poplites, utrinque mollibus tæniis adſtricti, commiſſuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus, ſic ornati adſtant, nutus obſervant, quid quiſque poſtulet*. Vide multa, quæ ſequuntur, & quædam obſcæna etiam, ex induſtria, quia Chriſtiano indigna, adſcribere nolui.

Ho-

(1) Apud Grut. pag. 582. num. 6. (2) Apud eundem pag. 578. num. 5. (3) Apud eundem pag. 578. num. 9. (4) Apud eundem pag. 532. n. 7. (5) Argentea vaſa cælaturis ornata apud Etruſcos in uſu fuiſſe demonſtrat vas argenteum, cujus typum hic poſuimus,

Horum nonnulli Symphoniaci dicti, quod grata voce cœnitantibus pſallerent. Cicero Act. 6. Verr. *Symphoniacos ſex amico ſuo cuidam Romam mittit muneri*. L. Seneca Epiſt. 84. *In commeſſationibus noſtris plus eſt cantorum, quam fuit olim theatris ſpectatorum*. Juſtus Lipſius Epiſtolicis Quæſtion. Epiſt. 9. libr. 3. putavit legendum *in commiſſionibus*; ſed non bene, nam convivii luxum taxat Philoſophus: eum infeliciter ſequuti Obſopæus, Janus Gruterus, & alii. De his pueris locum vide elegantem apud C. Plinium libr. 7. cap. 12. ubi male *Taranius Mango* dicitur, qui aliis eſt *Thoranius*, quem hujusmodi puerorum familiam aluiſſe docent C. Suetonius in Auguſto cap. 69. Et Macrobius libr. 2. Saturnal. cap. 4. ubi Isacium Pontanum conſule. Jul. Solin. Polyhiſtor. cap. 5. pulchram Antonii licitationem narrat. Atque hos boni principes civeſque ſobrii non admittebant, ſed probro ducebant ei convivio adeſſe, cui illi fuiſſent adhibiti. C. Plinius Junior in Panegyrico Trajani. Claudian. libr. 2. de Laudib. Stiliconis.

. . . . nullo cytharæ convivia cantu,
Non pueri laſciva ſonant.

Alexandrini, inquam, hi ut plurimum erant qui jocis feſtivis, & dicacitate vernula convivis ſtuderent placere. Sueton. Auguſto cap. 98. C. Petron. Satyrico: *Tandem ergo diſcubuimus, pueris Alexandrinis aquam nivatam in manus infundentibus*. M. Fab. Quintilian. libr. 1. Oratoriar. Inſtit. cap. 2. *Verba ne Alexandrinis quidem permittenda delitiis*. Capitolin. in Vero Auguſto. *Adduxerat ſecum & fidicinas, & tibicinas, & hiſtriones, ſcurraſque mimarios, & præſtigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria paſcitur voluptate*. Ita Poëtæ. Stat. libr. 5. Silv. ult.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delitias, doctumve ſui convitia Nili
Infantem, linguaque ſimul, ſalibuſque protervum
Dilexi.

Idem libr. 2. Silv. 1. v. 70.

Tu modo delitiæ, dulces modo pectore curæ,
Non te barbarice verſavit verna cataſtæ,
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compoſitoſque ſales, meditataque verba locutus
Quæſiſti laſcivus herum.

Martial. libr. 4. Epigr. 42.

Niliacis primum puer hic naſcatur in oris,
Nequitias tellus ſcit dare nulla magis.

Pueri itaque iſti *delitiæ* dicti, ut ſatis liquet.

Etru-

(1) Servi menſæ ſervientes cerni poſſunt in anaglypho, cujus imaginem hic exhibemus.

Tab. LXXIX. Tom. I. pag. 462.



Perusiæ In Marmore Apud Nobiles De Meniconis. C. M. sculp.

Digitized by Google

Etruſcorum mores delicati ab Auctore perſtricti: æmulati Romani Gaditanas puellas menſis adhibebant.

CAP. XCV.

HOc licet inverecundum, fateor, ac pudicitiæ noxium, tamen ab iisdem auctoribus Romam migravit. Timæus libr. 1. Hiſtoriar. apud Athenæum libr. 4. Dipnoſoph. pag. 153. Τίμαιος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν καὶ θεραπαίνας φησὶ παρ' αὐτοῖς Τυῤῥηνοῖς μέχρις ὅυ ἂν αὐξηθῶσι γυμνὰς διακονεῖσθαι. *Timæus libro primo Hiſtoriarum prodidit etiam apud illos* (Tuſcos) *ancillas, quo uſque adultæ ſint, nudas miniſtrare*. Hoc procacius inventum a Lydis indubie fuit, priſco ævo uſque ad infamiam mollibus: qui ex Mæonia in Etruriam commigrantes, aliqua priſtinæ mollitiei veſtigia reliquerunt, & ſemina Tuſcorum animis, cum quibus in unum corpus coaluerant, infuderunt. Vide, quæ dicta ſunt a me libr. 1. cap. 4. hoc opere. Et Lydas quidem mulieres male audiſſe, καὶ τῆς μαλακίας incuſatas plerique veterum prodiderunt. Jon in Omphale:

Α'λλ' ἀι λυδαὶ ψάλτριαι παλαιθετῶν
Ὑ'μνων ἀοιδοὶ τὸν ξένον κοσμήσατε.
At vos Lydiæ pſaltriæ vetuſtorum
Hymnorum cantatrices ornate hoſpitem.

Hoc quoque laſcivum exemplum ſequuti Romani ſunt, ut appareret, eos & virtutem & vitia Etruſcorum avide percepiſſe. Aurel. Macrob. libr. 2. Saturnal. cap. 1. *Quia ſub illorum ſupercilio non defuit, qui pſaltriam intromitti peteret, ut puella ex induſtria ſupra naturam mollior, canora dulcedine, & ſaltationis lubrico exerceret illecebris philoſophantes*. Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad Satyr. 11. v. 162. *Speras forſitan, quod incipient ſaltare delicatæ, ac pulchræ puellæ Syriæ, quoniam de Syris & Afris Gadis condita eſt: nunc, inquit, expectas apud pantomimas, aut Lyriſtrias de Gadibus, quod laſciviant*. Ex quibus meridiana luce clarius eſt, has notas non eſſe unius ſcriptoris, ſed a variis viris doctis marginibus ſuperadditas; atque adeo id verum eſt, ut interdum inania, aliquando ridicula, ſed & puerilia, ac nonnunquam etiam contraria, ſibique pugnantia notare licet; ſed hæc alibi. Neque vero caret nota, quod Gaditanas puellas idem Scholiaſtes Syrias vocet, cum de Hiſpanis certum ſit loqui Satyricum, quarum ævo illo mollitia ignobilis erat; nam Gades inſula eſt prope Bæticam, dirimens Africam ab Europa 120. millibus paſſuum, nobilitata Herculis columnis. Hanc certe puellarum Gaditanarum enervem ſpurcitiem notant Poëtæ. Juvenal. loco jam proxime ſupra laudato:

Forſitan expectas, ut Gaditana canoro

Inci-

Incipiat prurire choro, plauſuque probatæ
Ad terram tremulo deſcendāt clune puellæ &c.
Irritamentum Veneris languentis, & acres
Divitis urticæ,

M. Martialis frequentiſſime meminit, & pæne paſſim. Aliquot adſcribam loca, quo facilius libido Romanorum uſque ad infamem luxuriem provecta videatur. Libr. 3. Epigr. 63.

Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat,
Et movet in varios brachia vulsa modos.

Et libr. 5. Epigr. 79.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt ſine ſine prurientes
Laſcivos agili tremore lumbos.

Et libr. 6. Epigr. 71.

Edere laſcivos ad Bætica crumata geſtus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

Et demum Idem libr. 14. Epigr. 203. cujus lemma eſt puella Gaditana:

Tam tremulum crißat, tam blandum prurit.

Sed & Lydias puellas, ad hos uſus receptas video tempore Domitiani, ſive ex Lydia ipſa Aſiatica Romam devectæ fuerint, ſive ex Etruria accitas ſic appellaverint, ut ſæpe ſolent Poëtæ, ad originem alludentes. Stat. libr. 1. Silv. ult.

Hic agnoſcitur omne quod theatris,
Aut forma placet, aut probatur arte:
Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes:
Illic cymbala, tinnulæque Gades:
Illinc agmina confremunt Syrorum:
Hinc plebs ſcenica.

FINIS LIBRI TERTII, ET TOM. I.



Perusiæ in Aedibus Angelottis

Quum Dempſterus noſter extremam huic operi manum imponere nequiverit, multaque in id menda irrepſerint, quorum nonnulla notavimus, multa correximus, quædam etiam in ultimis libris non ſine cauſâ abſque correctione reliquimus: quæ omnia identidem egimus, dum liber ederetur; factum eſt, ut minor fuerit animi attentio ad typographorum errata; quapropter quæ exciderunt, ſic corrigito. Nomina vero Auctorum in eorum Catalogo emendata reperies.

Pag.11.verſ. 25. *πανυργῶν.* 35.1. octoginta. 34. Auletis. 36. 21. Nobiliore. 40. 24. levi. 41. 22. *ὑφορβείων.* 45.43. *vilitatem.* 56.in Not.*ranæ.* 71. 19. *ὤμους.* 75.14. Νόμιος 85.11. νομίμοις. 100. 23. *Sacellum.* 108. 25. τὰς Καπιτωλίας. 26. *προάγεται.* 110. 8. Α'ρχαιολογίας. 120.12. Peribœa. 126.1. *Bel dicitur.* 127.23. *Aëtion.* 136.8. Merovæos. 138.13. LEVIS 139. 8. Martial. 141. 2. *Bœotia.* 145. 38. *Sulfureis.* 152. 23. *ξίφους.* 153. 11. *Sithonio.* 154. 21. *νήσους.* 156. 1. *ἐς ἀπὸ τρόπου ἔλθεμβῳ.* 177. 9. Rutuli (*ſic ſemper*) 178. 15. *ſordidus.* 179. 20. *ςρατηγὸς.* 190. 39. Deidamia. 193. 13. Pompejus. 198. 10. jacieni. 205. 35. *ἔιγε γένη.* 223. 5. MÆCENATE. 227. 36. alienigena. 231.23. ſcriptam fuiſſe. 245. 5. *Opimio.* 252. 2. *ὀξὺν.* 255. 5. ſolennis. 17. *a carendo.* 261. 21. puerulis. 265.1. *aheneas.* 272. 25. *delecti.* 273. 36. reſpondet. 277. 16. dictæque erant. 282. 39. *ἐμπειροπολέμους.* 40. *κατεσκεύασεν.* 283.2. *Θρησκείαν.* 286. 22. *ὑφηγουμένους.* 287. 20. *διηνεκῆ.* 288.7. *ὕιων* 289. 17. *νέκυες.* 294. 36. Luſitanus. 296. 19. *Thyeſten.* 304. 15. Πίπλει. 305. 6. *Equitum.* 38. *togamque.* 310. in Not. repræſentat. 314. 15. *digitus.* 316. 26. *pronubo.* 317. 18. *utenſilium.* 323. 24. TRIB. 328 33. *ἐς μίμημα.* 335.6. *ὀπίσω.* 7. *παρὰ τὸ ὄρος.* 336. 36. Ο῎πισθεν τούτου. 352.10. Tlepolemo. 353. 23. Ε῾λληνιχοῖς. 357. 35. Jone. 360. 18. *ποικίλη.* 362. 14. uſæ. 369. 24. *νυκτὸς.* 31. 32. *Matres Grajæ, Lampada jactans.* 373. 6. Cronoſolone. 14. *ſuper.* 383.11. AURELIO. 388. 34. *excitus.* 389. 19. *ἀλετρεύουσι.* 390. 12. manuum. 401. 28. *ſerica.* 403.5. *inſtituto.* 409.26. Βαθύλλῳ. 412.23. *Ludi.* 415.31. *ter.* 416. 23. *δρομεὺς.* 421. 5. *ἀποδύντες.* 423. 8. *κρέκειν.* 427. 11. Reges. 437. 12. *Cum.* 447. 7. Claudius. 448. 41. Pacis. 450. 4. acinaces. 16. *ſemis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

00563393

Digitized by Google

Digitized by Google